RERVM GERMANICARVM

TOM. III.

Diſſertationes Hiſtoricas varii argumenti, & Chronica Monaſteriorum Saxoniæ nonnulla continens

MEIBOMIIS

Auctoribus.

HENRICUS MEIBOMIUS Junior
LECTORI S.

Cum ſuperioribus duobus Tomis non niſi aliorum de Rebus Germanicis opera publicarim, magno quamvis labore è ſitu & tenebris eruta, a nobisque illuſtrata: nunc hoc ultimo Tomo propria Avi, & mea etiam nonnulla, Hiſtoriæ, Saxonicæ imprimis, illuſtrandæ, conſcripta, adjungere in gratiam patriarum antiquitatum amantium placet. Seculum penè volvitur, ex quo quædam eorum lucem, vivente adhuc Avo meo, viderunt, & , iteratis typis, aliquoties recuſa ſunt. Cum tamen vix ulla uſpiam reperirentur exemplaria, & vel hoc, vel illud, magni & harum rerum intelligentes Viri *Mallincrotii*, *Barthii*, *Boxhornii*, *Lambecii*, *Rottendörfii*, avidè deſiderarent, celeberrimus vero *Hermannus Conringius*, in his ſtudiis facile Princeps, non ceſſaret ſæpius me coram monere, ut Avi Opuſcula Hiſtorica, partim edita (quæ tamen etiam ultimis curis aucta apud me extarent) partim inedita ſimul publicarem, ſatisfacere deſiderio eruditorum & obſequi bene monenti non deſtiti, aliisque licet ſtudiis occupatus, & maximam partem in Belgio tùm hærens, quosdam Tractatus Hiſtoricos in typographeô hoc Academico conjunctim Anno 1660. edidi, omiſſis tamen iis, quæ Hiſtoriam Monaſteriorum quorundam Saxoniæ noſtræ complectebantur, ſeorſim vel adhuc ab Avo meo, vel à me typis exſcriptis, & exſcribendis. Poſtquam vero illius editionis quoque exemplaria diſtracta ſunt, hic & priora illa ponere, & nova de Monaſteriis addere, & ex conjunctis non ingratum conſtruere cinnum Lectori volui. Ubi aſteriſcum * poſui, vel dicta illuſtravi, vel contra diſſentientes confirmavi, vel nova adjeci. Non cohærent inter ſe libelli, & habent ſinguli diverſum argumentum, Patriæ tamen noſtræ, & Principum, Saxoniæque hiſtoriam, non ex vulgaribus Chronicis, ſed certis indubitatisque monumentis, Pontificum, Cæſarumque Bullis & Diplomatibus, omnes illuſtrant, magno proinde Eruditorum plauſu excepti.

Tu fruere illis, Lector, & fave.

IR-

IRMINSVLA SAXONICA,

HOC EST,

Ejus Nominis

IDOLI,

Sive

NVMINIS TVTELARIS,

Apud antiquiſſimos SAXONES paganos culti,

Et à KAROLO M. Auguſto per occaſionem Belli Saxonici deſtructi,

Luculenta & accurata Deſcriptio,

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

Reverendisſimis, Nobilisſimis, Reverendis,
& Clarisſimis Dominis,
Dn. ARNOLDO, Præpoſito,
Dn. HEIDENRICHO, Decano,
Dn. FRIDERICO, Scholaſtico,
& toti CAPITVLO cathedralis
eccleſiæ
HILDESHEIMENSIS,
Dominis ſuis Gratioſis, S. D.

IRminſulam, veteris Saxoniæ, verum Deum ignorantis, commune& tutelare numen, ſive Idolum potiùs, mitto ad Vos, Patres auguſtiſſimi. Quid? dicitis, tunc illam ad nos, & nunc demum, quam ab annis plus minus octingentis habemus in loco publico, conſpicuo, ſacro? Novi & vidi *antiquiſſimum hoc ſine dubio universæ Saxoniæ monumentum:* vidi, inquam, & ſuſpexi. Neſcio enim quâ occultâ dulcedine animos ingenuos adficiant iſtæ quales quales antiquitatis ultimæ apud nos ſuperſtites reliquiæ. Certè non abs re dixit Nicephorus Calliſtus lib. 1. *Quicquid vetuſtate commendatur, id venerabile eſſe neceſſe eſt.* Et Hegeſippus lib. 3. cap. 18. *Dulce eſt inter majorum verſari habitacula, & veterum dicta factaque recenſere memoria, atque eorum inhærere gratiæ.* Ad Vos redeo, Patres ſpectatiſſimi, habetis quidem Irminſulam, ſive ut nos hodie loquimur, Armenſulam, verùm qualem ego nunc ad vos mitto, nunquam vidiſtis antea, ita nempe, pictam & fictam, ut, (confidenter hoc dico) nec

—— —— Parrhaſius aut Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Solers, nunc hominem ponere nunc Deum,

meliùs eam repræſentare potuerint. Sanè quantum in me fuit, pro eâ exornanda illuſtrandâque excuſſi omnia vetuſtatis noſtræ adyta, ſacraria & penetralia: diligenterque & cum curâ auctores inter ſe contuli, neque temerè recentibus quantumvis magni nominis famæque viris, fidem adhibui: imo conjecturas eorum aberrantes, frigidas & jejunas aſſertiones, vel potius dormitantes oſcitationes, non ſemel notavi, reprehendi: eo duntaxat fini, ut quod Plinius in præfatione hiſtoriæ naturalis habet, *obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem redderem*, id eſt, ut Irminſulam, quaſi ab oblivione vindicatam, apertaque in

luce

luce poſitam, non vobis tantum, Patres religioſiſſimi, ſed toti Germaniæ facerem quàm notiſſimam. Neque ſoli, ut opinor, Irminſulæ lucem fœneratus ſum, verùm in hoc commentario paſſim per oblatam occaſionem ea admiſcui & adſperſi, quæ ad hiſtoriam communis patriæ illuſtrandam non parum conducere poterunt. Dicam quod res eſt, & cur id nolim? ſæpe mihi bilem movent ævi noſtri hiſtoriographi, qui plerumque quicquid vel apud Crancium, vel alium quempiam ejus ævi & claſſis ſcriptorem inveniunt, id ſtatim cartis illinunt, proque indubitato lectori obtrudunt, nullâ inſtitutâ prius diſcrepantium auctorum collatione; non inveſtigatâ antiquitate ſuperiori, deguſtatisque fontibus è quibus Cranciani rivuli promanarunt: non inſpectis Pontificum max. bullis, Cæſarum diplomatis, Epiſcoporum Principumque politicorum literis & inſtrumentis. Quæ omnia hìc, tum induſtriè & ſine faſtidio inveſtigari, tum cogitatè accurateque adhiberi debent. Veritatem enim, ut Terentiani verbis utar,

Dumos inter & aſpera
Scrupoſis ſequimur vadis.
Fronte exile negocium,
Et dignum pueris putes:
Aggreſſus labor arduus,
Nec tractabile pondus eſt.

Ego quod alibi conatus ſum diligenter, in Irminſulâ etiam cum ſtudio volui experiri. Quicquid id eſt operæ & laboris, Patres Reverendiſſimi, Patroni gratioſi, vobis dico, conſecro. Et quibus rectius & meliori jure? Veſtra eſt res mancipi Irminſula, auctoritate magiſtratus ſupremi: per vos hoſpitibus, quotquot eam peregrè advenientes adſpiciunt, ſuſpiciunt, etſi muta, quotidie inculcat memoriam inæſtimabilis beneficii, quo Deus opt. maximus univerſam adfecit Saxoniam, miniſterio Karoli M. ab horribilibus fœdæ gentilitatis tenebris clementer liberatam. Suſcipite igitur æquis animis vivam & præſentem divini muneris teſtem, novis nunc demum non tam coloribus pigmentiſque, quàm hiſtoricâ deſcriptione haut inamœnâ ſuperbientem, meiſque in illuſtrandâ patriâ, ejusque antiquitatibus eruendis honeſtiſſimis conatibus ex animo favete. Helmæſtadij ex Academiâ Juliâ, Kalend. Martij, anno MDCXII, qui eſt ſupra octingenteſimum quadrageſimus ab initio belli Saxonici, & deſtructione fani Eresbergenſis.

HENRICVS MEIBOMIVS.

 CAPVT

CAPUT PRIMUM.

DE IRMINSULA, IDOLO Saxonum primo.

IN *Idolis* majorum noſtrorum, quæ *Karolus Francorum Rex*, nomine & re Magnus, Saxoniam cum exercitu ingreſſus, paſſim invenit, princeps fuit IRMENSULA, ſive ut Georgius Fabricius Origin. Saxonicar. lib. 2. & 4. *Irminſulum*, numen gentis tutelare & commune.

Ab antiquis rerum Germanicarum Scriptoribus vocabulum hoc non uno eodemque modo enunciatur. Annales Francici Fuldenſes, & diverſi ab his Adelmo auctore, ad annum Chriſti 772. habent *Irminſul.* Hos ſequuntur Ditmarus Merſburgenſis lib 2. Aimoinus de geſtis Francor. lib. 4. cap. 69. Lambertus Schafnaburgenſis, Hermannus Contractus, Conradus Vrsbergenſis, Joannes Stadweg in Chron. MS. omnes ad annum 772.

Modice variant, Adamus Bremenſis, qui in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 1. cap. 6. primæ editionis *Irmindſul* appellat; Albertus Stadenſis, & Caſpar Barthius Adverſar. l. 4. c. 7. qui *Erminſul*: & auctor vitæ Karoli M. à Pithœo editus, qui *Ermenſul*: cum quo facit Joannes Trithemius de origine Francorum.

Alii in initio vocis aſpirationem habent: ex quibus Regino *Hermanſaul*: Sigebertus Gemblacenſis *Hormenſul*; Wernerus Rolevincius de laudibus antiquæ Saxon. parte 2. cap. 3. *Hermeſuel*: Auctor MS. de vita Karoli M. lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 8. Lupoldus de Babenberg lib. de zelo veterum Germanor. Principum cap. 14. & Chronicon Belgicum magnum *Hermenſul.*

Chronicon Saxonicum vernacula lingua perſcriptum, & Moguntiæ anno 1492. excuſum, ab omnibus diſcedens habet *Armenſul*, quam enunciationem, dum etiam hodie retinent veteris Saxoniæ incolæ, approbare videntur.

In *Adonis Viennenſis* Pariſienſi, prioribus longe emendatiore editione, deprehendo legi *Adurmenſul*, quæ enunciatio convenit cum hodierna, qua Armenſul vocatur. Primi Scriptores rerum Francicarum, in vocabulis noſtratibus multas coacervarunt vocales, unde pronunciatio horridior, ſimul & ſcriptio. Sic *Reginoni*, *Heridivicus*, quem *Hardvicum* dicere debuiſſet, & *Wileneburg*, quod ſimpliciter *Weilburg* dicitur, appellare placuit. Sic *Ditmaro* Merſpurgenſi *Wirincbarius* dicitur, quem *Wernerum* rectius dixiſſet. Ita *Adurmenſul*, pro *Armenſul.*

Vocabulum *Irminſul* ex duabus dictionibus compoſitum eſſe nemo inficias ibit: de utraque controvertitur. Poſteriorem nonnulli deſignare volunt *cippum* ſive *columnam* quam Saxones Sül ſive Suel: ſuperiores Germani Saul ſive Seul appellant, ut *Irminſula* ſit idem, quod cippus, ſive columna, *Irmo* ſive *Irmino* idolo ſuſtinendo deſerviens.

Alii ex Sül faciunt Sal ſive Saal quod *aulam* ſignificat ſive *baſilicam*, ut *Irminſala* ſit deaſtri illius aula ſive baſilica. Hujus ſententiæ auctor eſt Aventinus annal. Bojor. lib. 1. & 4. ſuffragantur Dreſſerus millenario 5. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 73.

CAPUT II.

De ſede & domicilio Irminſulæ.

IDoli hujus templum ſive baſilica (Græci εἰδώλιον vocant, Prudentius Apotheoſi *Idolium*, quemadmodum & Sulpitius Severus, ut pluribus docet Caſpar Barthius Adverſ. lib. 4. cap. 7.) fuit in veteri Saxonia, quæ hodie Weſtphalia. Non tamen ad ripam *Viſurgis* ut Ado Viennenſis autumat: neque ad fontem & fl. *Lippiæ*, ut Erneſtus Brotufius Hiſt. Anhald. lib. 1. cap. 14. Marcus Wagnerus in vita Karoli Magni & Joan. Lampadius in Mellificio Hiſtor. opinantur: nec etiam ad *Ruram* fl. ut Letznerus in Hiſt. Karoli M. cap. 21. adfirmat: nec ad arcem *Driburgum* diœceſis Paderbornenſis, ut vult Tilemannus Friſius Speculo de Monetis lib. 3. cap. 1. & 8. Sed in ripa *Dimele* fl.

Locum iſtum Annales Francici, Leo Papa Romanus in bulla, quam ſuo loco exhibemus, Aimoinus, Herm. Contractus, Auctor vitæ Karoli à Pithœo editus, Poëta anonymus à Reineccio evulgatus, Alb. Stadenſis, Henricus de Hervordia, Joan

Trithe-

Trithemius, Paulus Æmilius lib. 11. & alii, *Ereſburg* appellant: GobelinusCoſmodromio ætate 6. cap. 38. Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. Munſterus Coſmogr. lib. 3. cap. 33. ſcribunt *Eresberg*.

Ægil monachus, ſcriptor vitæ S. Sturmionis, Abbatis Fuldenſis, Widechindus Corbeienſis lib. 2. Regino lib. 2. SigebertusGemblacenſis ad annum 772 & 941. Auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. 3. cap. 8. & 9. cum aſpiratione ſcribunt *Heresburg*: quos in hiſtoria Ottonis M. ſecutus Vrsbergenſis, præter cauſſam à Fabricio inſcitiæ accuſatur. Fragmentum annalium Francicorum editum ab Henrico Caniſio habet *Heresberg*.

Orthographiam iſtam credo ex more ætatis mediæ profluxiſſe. Nam familiare erat ſcriptoribus uti aſpiratione in initio, in medio & fine. Teſtis Aventinus annalium lib. 1. in nomenclatura operi præfixa, ubi ejus verba: *H. aſpiratio crebrior majoribus noſtris, præcipue ſuperioribus Germanis. V ſi ſunt in principio, medio, fine. L. quoque aſpirarunt, & duriuſcule è gutture pronunciarunt: Celtæ ch. eſſe crediderunt.* Hæc ille. Dabo exempla: Annales Francici Fuldenſes ad annum 775. nominant pagum *Liedbechi*: Hunc Poëta anonymus vocat *Hlidbeki*. Regino ad annum 784. habet *Hoſtualos*, qui in vita Karoli Magni *Oſtuali*. Annales Fuldenſes & Regino ad fluvium *Obacrum* (intelligunt *Ocram* noſtratem) nominant locum quendam *Horbeim*, qui in vita Caroli Magni *Oraim*, hodie *Orem* ſub præfectura Slademenſi: Annales Francici ſcribunt *Wabarna*: Poëta anonimus *Warna*. Sed iſta obiter.

Io. Aventinus Annal. Bojor. lib. 4. nunc *Hæreburgium*, nunc *Hæroburgium* vocat: Joannes Beccherer Chronico Thuringico imperite *Erichsburgum*, quæ arx eſt Ducatus Brunſuicenſis in diſtrictu Calenbergio: & æque inepte Pomarius in Chron. Magd. *Ertzberg*.

Dithmarus Merſeburgenſis lib. 1. habet *Merſeburg*: quem ſequuntur Gepidanus cœnobita Sangallenſis in annalibus rerum Alemannicarum, Continuator Reginonis & Rolevincius: qui tamen etiam *Ariburgum* vocat, ex quo Hamelmannus perperam *Arnsburgum* facit. Chronicon Saxonicum vetus habet *Marsburg*. Chronicon Rithmicum ante annos 340. exaratum, ſcribit *Mersberg*, quæ appellatio hodieque durat, ut dicemus infra.

Eſt & hæc vox è duabus dictionibus compoſita: quarum poſterior ſimiliter in enunciatione variat. Quidam reſpicientes ad montem ipſum, ſcribunt *Eresberg*: alii ab arce, ſive propugnaculo monti impoſito, quod Germanis à Græca voce πύργος, burgum, fecerunt *Eresburg*, & per aſpirationem *Heresburg*.

Gobelinus, loco antea citato, nomen *Eresberg* (eam ortographiam nos deinceps retinebimus) natum vult à religione, quod illuc è tota gente Saxonica cotidie ſacrificandi, oracula petendi, votique ſolvendi cauſſa multi confluerent: ut *Eresbergum* idem ſit, quod *mons venerationis*, qualis olim in *Sileſia* fuit mons *Silenſis*, à quo tota regio denominata eſt: eruditi *Sabotbum*, vulgus hodie den Zottenberg / appellat: de quo vide Ditmarum Merſpurgium lib. 7. & Commentariolum noſtrum de pagis Saxonicis.

Idem tamen Gobelinus aliam adfert notionem, ac *Heresbergum* ab *Hera*, quæ Græcis ἥρα Latine Juno, dictum meminit. Cultam autem à priſcis Saxonibus *Heram*, perſuaſumque fuiſſe vulgo, dæmonium iſtud, illis diebus, qui inter feſtū Nativitatis filii Dei, & diem Epiphaniæ intercedunt, per aërem volitare, ſiquidem apud gentiles aër Junoni ceſſerit: conferre etiam ſe invocantibus omnium rerum temporalium abundantiam, idem ex relatu ſeniorum affirmat. Repetit iſta Crancius, ſed ut auctorem diſſimulet, quod ipſi familiare. Meminit etiam Chriſtophorus Encelius in Chronico veteris *Marchiæ*. Locum ipſum dabimus mox cap. 5.

Merſpergi appellationem idem Gobelinus recentiorem affirmat, vel εὐφωνίας cauſſa, ad ſonum inhoneſtiorem evitandum introductam: vel quod Mars bellipotens καὶ ὁπλοχαρὴς, quem Saxones militiam & grave Martis opus cotidie & non infeliciter exercentes, venerentur, ſub nomine *Irmi* vel *Irmini*, ſignificari creditus ſit.

Crancius in Saxonia loco ſupra citato, neſcio qua de cauſſa, montem *Eresberg* à caſtro, ſive propugnaculo *Mersburg diſtinguit*. Idem præter rem diſputat, an Merſburgum, ſive Eresbergum, fuerit in veteri Saxonia, vel ad *Salam* Thuringiæ fluvium, ubi

ubi hodieque urbs Epiſcopalis Mersburgum,(nomen non à *Marſo* priſco iſto Heroe Teutonico : neque à *Merovvigo* Francorum Rege : verùm *à loco depreſſo* ſortita, ut Petrus Albinus habet progymnaſmat. hiſtoriæ Saxon. pag:70.) cum Chronicon Saxonicum vetus diſertè rem definiat in his verbis : *Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Karolus M. deſtruxit in Weſtphalia.* Accuſat idem Crancius præter meritum ſcriptores Gallicos, perturbatè rem explicantes, imo omnia confundentes. Certe annales ſatis plani, & ſi quid hic dubii, ex ſolo Widechindo monacho tolli poteſt. Is enim bellum civile, quod Otto M. Cæſar cum fratre *Dancmaro* (Ditmarus l. 1. vocat *Tammonem*, quod idem eſſe alibi monuimus) geſſit, deſcribens, deque eodem Eresbergo loquens, non in *Thuringia* ſed in *Weſtvalia* bellatum oſtendit. Meminit enim villæ *Stela*, qui locus hodieque ſupereſt è regione *Werdenæ* monaſterii Imperialis ordinis Benedictini: Meminit præſidii *Badiliki* Albertus Stadenſis ad annum 938. *Bathiliki* (Roſuita poëtria & monialis *Gandersheimenſis* in panegyrico de geſtis Ottonis M. per errorem *Badulinum* nominat) quod hodie *Bellick* dicitur, infra Ruden opidum ad *Ruram* fluvium : Henricus II. Imp. *curtim* vocat in privilegio Gandersheimenſi ad annum 1009. Crancius Saxoniæ lib. 3. c. 15. toto cœlo errans ex *Badilico Bardewicum* facit, quem errorem non erraſſet, neque Spangenbergium & Buntingum in eundem pertraxiſſet, ſi Reginonem vel Urſpergenſem inſpexiſſet. In hoc propugnaculo captus eſt *Henricus Rixoſus.* Aucupis F. Ottonis M. Imp. frater germanus, adoleſcens, ab hoſte non principis, ſed mancipii more tractatus. Præterea ſcribit Widechindus, & ex eo repetit Gobelinus, *Dancmarum* perduellem cæſum eſſe *Eresbergi* in templo *San. Petrino*, olim à Leone Papa ejus nominis III. conſecrato. De conſecratione templi & in veteri quidem Saxonia prolixe rem totam narrat Henricus de Hervordia ad annum Karoli M. 4. Chriſti 805. *Item perlatum eſt*, inquit, *ad Imperatorem, Sanguinem Domini in Mantua civitate fuiſſe repertum: miſitq; ad Papam , ut hujus rei veritatem perquireret. Qui nacta occaſione exeundi , primo in Lombardiam , quaſi pro dicta inquiſitione progreſſus eſt, indeq; ſubito arrepto itinere ad imperatorem venit ad Kariſiam, villam juxta Remis, & Natale Domini ſecum celebravit. Deinde Aquiſgranum Papam Imperator perduxit, & poſt in Saxoniam antiquam , ibi Capellam in Bergkerken prope Mindam conſecravit. Campanula quædam , quam reliquit , etiam nunc videtur ibidem. Capellam etiam S. Petri in Eresberg, quæ nunc Mersberg dicitur , conſecravit.* Reliquit etiam Leo privilegium loco conſecrato, ſed id infra cap. 5. dabimus. Nullibi etiam legitur, Leonem Papam ad Salam Thuringicum penetraſſe. Padibornæ autem cum Karolo fuiſſe ſcribunt Annales Fuldenſes ad annum 799. Repetunt Auctor vitæ Karoli M. à Pithoeo editus, Regino lib. 2. & Marianus Scotus : nec reticet Crancius Metrop. lib. 1. cap. 2. Quas vero præterea eccleſias in Saxonia conſecrarit Leo Pontifex, commemorat Theodoricus Niemius, primo Verdenſis ad Alarim , deinde Cameracenſis ad Scaldim in Belgio Epiſcopus, lib. de jure & privilegiis Imperii : & poſt eum Rolevincius Saxoniæ antiquæ parte 2. cap. 9. in quibus ille expreſſe templum in monte Martis inculcat, quod hic præterit. Neque loco hoc ſcrupulum injicere cuiquam debet, quod *Mersburgum ad Salam* fluvium habuerit templum Sancto Petro conſecratum , eique adjunctum Collegium monachorum familiæ Benedictinæ, quod idem de caſtro *Eresbergo* ſcribitur. Nam *Salanum* illud cœnobium longe poſt, tempore nimirum Henrici IV anno 1091. ab ejusdem loci Epiſcopo *Wernero* fundatum, & ab *Adelgoto* archiantiſtite Magdeburgio , filio *Werneri Velthemii* , ex *Giſela, Wiperti Balſamiæ & Gaterslebii Dynaſtæ* ſobole, conſecratum eſt , referente Erneſto Brotufio Chron. Merſeb. lib. 2. cap. 17. & Caſp. Bruſchio in deſcript. Salæ fl. MS. *Sed* de Eresbergenſis templi inauguratione nos infra plura.

CAPUT III.

Fani Eresbergenſis & Irminſulæ deſcriptio.

IN *Eresbergo* (quod Annales Fuldenſes, Regino, Aimoinus, Gobelinus & alii *caſtrum* : Poëta ἀνώνυμος, auctor vitæ Karoli, Ægil in vita S. Sturmionis, *caſtellum* : Widechindus & Ditmarus *urbem*, Auctor vitæ Karoli M. manuſcriptus *civitatem*, nominant) fuit fanum, ſive delubrum, religione auguſtum, magnitudine ingens, ſtructurâ operoſum, ſplendore magnificum, divitiis inclytum. Rolevincius de eo

ſic:

ſic: *Multa dicuntur de fortitudine iſtius loci, deque ſtructurâ & columnarum pulcritudine, atque decore illius fani.*

In ipſo templo columnæ marmoreæ impoſitum erat

——— *Simulacrum, quod vocitabant*
Irminſul, cujus factura, ſimulque columna
Non operis parvi fuerat, parvique decoris.

ut Poëta in vitâ Karoli.

Hoc ſimulacrum ſive idolum ita deſcribit Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dexterâ ſignum militare (noſtri vexillum vocant) præferens roſam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem, facilè huc illuc incitantem: pectus inerme urſum præferebat, interritum bellatorum animum inſinuans. In clypeo leo, qui beſtiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monſtrat: floribus conſito campo in quo ſtabat, quod nihil jucundius ſolet videri fortibus, quam in acie virtutem oſtendere.* Repetit Munſterus totidem verbis Coſmograph. lib. 3. cap. 433.

Georgius Fabricius Originum Saxon. lib. 6. brevius his verbis depingit: *Imago ſtatuæ erat vir armis terribilis, & gladio accinctus: in galeâ ſtabat gallus loco coni: in thorace expreſſus urſus: in clypeo leo Manu dextera ferebat vexillum, cum inſigni roſæ rubeæ: in ſiniſtra lancem æquilibrem, quæ item in clypeo ſpectabatur.*

Idem Originum lib. 2. hanc habet deſcriptionem: *In eâ ſtatuâ hominis armati imago erat, cujus galeæ gallus inſidebat: thoraci inſculptus urſus: clypeo de humeris dependenti leo: dextera vexillum tenebat cum inſigni roſæ agreſtis, ſiniſtra lancem æqualem.* Hæc tam Crancius, quam Fabricius, ex Chronico veteri Saxonico Moguntiæ excuſo, ubi tamen tum deſcriptio, tum explicatio prolixior.

Wernerus Rolevincius antiquæ Saxoniæ parte 2. c. 3. ſic depingit: *Erant in ſtatuâ Hermenſuel quatuor imagines, ſcilicet, Martis, Mercurii, Herculis & Apollinis, ſed tamen à Marte tanquam principaliore denominabatur locus. Hoc erat vaſtiſſimum Idolum totius Saxoniæ.*

Adamus Bremenſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 6. ſcribit ſimpliciter, fuiſſe *truncum ligni non parvæ magnitudinis erectum in altum ſub divo.* Quæ verba repetit Urſbergenſis paginâ 193. & ex eo Joannes Boëmus Aubanus de moribus gentium lib. 3. cap. 13. Beatus Rheanus rerum German. lib. 2. *columnam ligneam ſub divo poſitam* appellat: Hulder. Mutius lib. 12. *ingentis magnitudinis arboris truncum in aperto campo erectum.* Et ſane apud priſcos Deorum effigies non affabre ſemper tornatas & expolitas, vel ex Lucano liquet Pharſal. lib. 3.

——— *Simulacbraque mœſta Deorum*
Arte carent, cæſiſque extant informia truncis.

Sed de idolo Eresbergenſi Chronicum Saxonicum vetus addit, idoli effigiem in reliquis etiam Saxonum templis depingi ſolitam.

CAPUT IV.

De ſacerdotibus ejus loci, & ſacrorum more.

QVæ apud Eresbergum ſacrorum fuerit religio, qui ritus, quæ ceremoniæ, propter ſupinam turpemque mediæ ætatis ſcriptorum negligentiam, *qui* (ut doctiſſimus vir Joachimus Camerarius commentario ad Chronolog. Nicephori præclarè ſcribit) *quaſi poſteri tum præſentes eſſent, atque omnes, æque ut ipſi, quæ exponerent, explorata haberent, ita nihil explicatè, nihil diſtinctè retulerunt*, pauca admodum commemorare licebit. Hoc enim, partim ex incolarum quaſi per manus traditis, relationibus, partim ex veterum ſchedarum fragmentis ſolummodo conſtat, ſacerdotes utriusque ſexus magno numero templo adfuiſſe: ex quibus fœminæ ſortibus divinatoriis ad oracula excudenda, abdita atque abſtruſa eruenda, ſuſceptorumque negociorum exitus prænoſcendos: viri ſacrificus hoſtiisque offerendis vacabant. Sed nec hi à politicis negotiis abſtinebant, imo ſe illis maximè ingerebant, quod tamen, nec principes ipſi, neque populus ægrè ferebat: cum perſvaſum haberent, quicquid agerent, tanquam ſupremi numinis miniſtri & hierophantæ, id nunquam felici ſecundoque eventu cariturum. Erat tum temporis Saxonia

omnis diviſa in *pagos*, incolæ Gowen nuncupabant; pagi verò ſinguli ſuos habebant præſides, quos Gowgraven/ hoc eſt diſtrictus iſtius judices dicebant: hi omnes à ſacerdotum Eresbergianorum collegio conſvetudine inveteratâ conſtituebantur. Similiter myſtæ illi deſignabant judices agrarios, qui annuatim ſtatis diebus judicia ruſticana ſub dio exercentes, controverſias inter agricolas de nemoribus, agris, paſcuis, hortis, fontibus, rivisque decidebant. Judicia autem illa vocabantur Godinck/ quaſi Gowdinck. Woldemannus Marchio Brandenburgenſis, Landesbergius & Luſatienſis in literis anni 1310. *Ut videlicet cives, qui in villa Wobecke reſident, à conventu populi in Scheningo, quod vulgo dicitur* Godinck/ *pariter & judiciis liberi penitus ſint & ſoluti*. Dinck enim, ſive Tinck veteribus Saxonibus erat *judicium*. Hinc Lautdinck/ Holtdinck/ Grewedinck Wichmannus Archiepiſcopus Magdeburgenſis in literis ad annum 1191. *in placito, quod* Lautdinck *vocatur*. Balduinus de Wenden miles ad annum 1315. *In judicio quod* Grevedinck *dicitur*: Ludgerus de Garſenbüttel miles ad annum 1332. *In judicio quod* Holtdinck *dicitur*. Satis & hoc conſtat, iſtum judicandi morem in *cis Veſerana Saxoniâ*, & cum primis iſtis in locis, ubi poſtea dynaſtiæ *Göttinga*. *Northemia*, *Catelnburgia*, *Lutterbergia* floruere, frequentatum: horumque tractuum judices ruſticanos auctoritatem ſuam à collegio Eresbergenſi accepiſſe. Erant autem, ut rem perſequamur, hujusmodi judices certo loco ſedecim, omnes honeſtis nati familiis, vitæque & famæ inculpatæ. Qui natu maximus inter collegas, *Gravius*, (Paulo Diacono lib. 5. cap. 36. atque aliis *Gravio*) quaſi primarius judex; minimus *Frono*, id eſt, miniſter; reliqui Freyrichter/ hoc eſt, liberi judices, indigitabantur. Hujusmodi collegium jurisdictionem habebat in familias ſeptuaginta duas, & ſimul in ſingularum fundos & poſſeſſiones, eamque quoties opus exercebant. Singulis annis bis, menſibus nimirum Aprili & Octobri, tam judex primarius, quàm miniſter, quos diximus, Eresbergum ibant, ibique duos cereos & numos novem offerebant, eo fini, ut numine tutelari placato uterentur rerumque ſuarum ſucceſſu ſecundiore gauderent. Si quis ex ſedecim-viris illis iſto anno vivis exceſſiſſet, id collegio ſacerdotum indicabant, aliumque ſubſtitui rogabant. Is ex ſeptuaginta duobus iſtis familiis, in quas jurisdictionem habebant prædicti, à ſacerdotibus Eresbergenſibus eligebatur, ſic tamen, ut legati in conſilium adhiberentur. Qui domum reverſi, adjunctis ſibi ex collegio aliis duobus, ſub dio ante ædes deſignati ſepties ſonorâ voce electionem novi judicis populo denunciabant: & hæc erat ejus inauguratio. Iidem ſacerdotes, quoties præliandum erat, ſtatuam ſui deaſtri columnæ detractam in aciem ferre, & à pugnâ captivos, quique ex ſuis ſegniter rem geſſiſſent, vinctos verberatosque pœnis atque etiam ultimo ſupplicio afficere & mactare ſolebant. In univerſum enim apud Germanos olim noſtros *non* erat *regibus*, ut Tacitus ait lib. de Mor. Germ. cap. 7. *infinita aut libera poteſtas. —— neque animadvertere, neque vincire, neque verberare niſi Sacerdotibus permiſſum*. Et ante Tacitum Strabo de Celtarum ſacerdotibus fœminis dixerat, *eas per caſtra captivis occurrere ſtrictis gladiis, & ad craterem æneum trahere, & in ſublime elevatis guttur incidere, atq; ex ſangvine poſtmodum vaticinari*. Meminit etiam hujus rei vetus catilena, in quâ regis cujusdam Saxonici filius propter infelix prælium ſacerdoti ſe mactandum tradi miſerabilibus conqueritur modis:

Sol ich nun in Gottes fronen Hende/
  In meinen aller beſten Tagen/
Geben werden und ſterben ſo elende/
  Das muß ich wol höchlich klagen.
Wen mir das Glücke füget hette/
  Des Streites einen guten Ende.
Dorffte ich nicht leiſten dieſe wette/
  Netzen mit Blut die hire wende.

Hic notandæ locutiones & verba hodie rara vel deſita. Frone miniſtrum denotat, quod jam diximus. Gottes Frone eſt miniſter Dei, ſive ſacerdos, in cujus manus ſe mactandus incidiſſe queritur. Wette leiſten antiquis Saxonibus erat ſatisfacere pro delicto: luere ſupplicium culpæ debitum. Unde hodie judices rerum criminalium pronunciant, Er iſt dem Keyſer eine Wette ſchuldig. At Hire majoribus noſtris idem

Digitized by Google

idem quod ſacrum, dubio ab ἱερὸς Græco. In epitaphio Henrici ultimi Comitis Wernigerodenſis,

Do was de Hire ſinte Eraſmi vire.

hoc eſt, Erant tum feriæ divo Eraſmo ſacræ. Poſtremò ſunt, qui ſcribant, antiquos Saxones, & cumprimis militares homines, certis iisdemque ſolemnibus & feſtivis diebus, armis indutos, aut etiam cataphractos, gladiisque accinctos, dextra verò ceſtus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum patrium obequitare, interdum equis deſcendentes in genua procumbere, cernuos preces ſuas demurmurare, opemq; hoc modo præſentem, & in bello ſecundam fortunam efflagitare ſolitos. Quæ res frequentata abiit in conſvetudinem, ut etiam ex locis procul diſſitis peregrini ſubinde advenirent auxilium petitum, devotionem ſuam numini tutelari anathematis ſtrenisque oſtendentes.

CAPUT V.

Quem Deum Irminſula repræſentarit, & cujus memoriæ ſit erecta.

CUjus honori, vel memoriæ Irminſula erecta ſit, aut quemnam ex veteribus Deaſtrum retulerit,

Hiſtorici certant, & adbuc ſub judice lis eſt.

Adamus Bremenſis *Irmindſulam* Saxonibus patriâ linguâ idem eſſe vult, quod Latinis *univerſalis columna quaſi ſuſtinens omnia.* Repetit totidem verbis Urspergenſis pagina 193. Ad illam ſententiam alludit Crancius in Saxoniâ loco ſæpedicto: *Irmenſul interpretantur nonnulli ſtatuam publicam: Conjici permittitur dictam* Jdermanſüel/ *quaſi commune profugium & aſylum omnium, & Martem communem, qui in prælio diu vagatur incertus, diu dubius, quò ponat victoriam.* Hæc Crancius, cujus ſententiæ ſubſcribit Antonius Corvinus Theologus, & auctor notarum ad Conradum Urſpergenſem paginâ 172: meminit Sebaſtianus Munſterus lib. 3. Coſmographiæ cap. 433. Huldricus Mutius lib. 12. Quod verò Crancius *Martem communem* vocat, id cum Græcis & Latinis convenit: illis enim appellatione frequenti ἄρης κοινός: Videatur Cicero Philippicâ 11. Livius lib. 7. & 8.

Gobelinus, loco allegato, opinatur Irminſulam fuiſſe *Statuam Mercurii*, quem affirmat à Saxonibus cultum: non tamen cum Romanis *Mercurium*, vel cum Longobardis *Godanum* (à quo vocabulo adhuc hodie Weſtvalis dies Mercurii der Godenstag nominatur) ſed *Hermem* vel *Irminum* appellatum fuiſſe: & *Irminſulam* eſſe idem, quod *ſtatua Hermis*, id eſt, Mercurii. Huic ſententiæ ſuffragatur Andreas Althamerus commentario ad Cornelii Taciti Germaniam: Martinus Cruſius annalium Sueviæ parte 1. lib. 12. cap. 1. Michael Neander in deſcriptione orbis terræ parte 1. Joannes Pappus in hiſtoria eccleſiaſticâ, Caſpar Barthius Adverſar. lib. 4. cap. 7. Fridericus Lindenbrogius, alias tamen varians. Meminit ſimiliter Munſterus, & Leonardus Crentzheimius in Chronologiâ.

Rolevincius *Merſpurgum*, quod vocat, interpretatur *caſtrum Martis*: cum quo facit Theodoricus Niemius his verbis: *In opido montis Martis, ubi antiqui Saxones Martem pro Deo coluerunt.* Et Franc. Irenicus Exegeſ. German. lib. 12. Huc etiam ſpectat, quòd Rolevincius pro Eresburgo *Arisburgum* ſcribit, ſiquidem Mars Græcis ἄρης. Ab hac opinione non abhorret Georgius Fabricius Origin. lib. 2. ubi *Irmum Martem* fuiſſe dicit: alibi tamen ita recedit, ut in principio libri 2. Mercurium intelligat: libro 4. in dubio relinquat, Martemne an Mercurium Irminſula repræſentarit. Gobelinus errorem hîc ſtatuit, ortum ex Widechindo Corbejenſi, qui falsò affirmarit, Martem Græcis dici Hermem vel Hermetem, cum is ſit Mercurius, teſte Auguſtino lib. 7. cap. 14. de C. D. & Iſidoro Etymolog. lib. 8. cap. 11. quos allegat. Idem addit recens eſſe nomen montis Martis: reclamare, diplomata, privilegia, aliaque inſtrumenta publica, ab annis quadringentis ſcripta. Verum quia auctor hic prolixus eſt & accuratus in deſcriptione Irminſulæ, integrum locum ex cap. 38. ætatis ſextæ adſcribam. *Anno regni ſui ſecundo* (Karolus) *congregato generali Wormatiæ conventu, Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eamque ſine morâ ingreſſus, cuncta ferro & igni depopulatus, caſtrum Eresburg, quod modo mons-Martis dicitur verbis Latinis, cepit, & Idolum, quod à Saxonibus dicebatur Irmenſeul, de-*

ſtruxit & deinde usq; ad flumen Weſeræ accedens, recepit à Saxonibus obſides 12. & receſſit. Sciendum eſt de hoc Idolo Irmenſeul, quòd Mercurius apud Græcos Hermes dicitur: & quia Saxones olim ſunt de Græcis exorti, ut ſuprà dictum eſt, hunc Mercurium ſecundum linguam Græcam, quaſi honorabiliori nomine Hermin *ſeu* Irmyn *nominabant: quamvis idem Mercurius vulgò* Godan, *quaſi bonum faciens (juxta quod lingua Latinâ ipſe quoque* Stilbon, *quaſi* ſtillans bona *dicitur) ſeu mutatâ literâ* Wodan, *apud incolas regionis illius, quam Saxones occupabant, dicebatur. Unde dies Mercurii apud eos* Godenstag/ *prout ſuperius dictum eſt, nominabatur. Unde legitur in geſtis Longobardorum, quòd Longobardi, dum adhuc gentiles erant, Godan Deum, quem Romani Mercurium appellabant, ſpeciali veneratione colebant, ex eo, quòd opera ejus primum bellum, quando de ſedibus ſuis egreſſi fuerant, quas ſub nomine Romulorum primò poſſidebant, contra Wandalos feliciter egerunt, & nomen Longobardorum ſibi ab eo inditum crediderunt. Cumque poſtea de Pannoniâ verſus Italiam intendebant proficiſci, Saxones, tanquam ſpeciales amicos & fortes bellatores, ſibi ſubſidium, ſeu verius in conſortium, per legatos venire poſtulabant. Qui ad eos cum magno exercitu venientes, ſimiliter cum eis Italiam invaſerunt. Unde Saxones adhuc pagani ejuſdem religionis cum Longobardis fuiſſe videntur, & Deum illum, cujus ope res Longobardorum proſperari credebantur, ſpeciali cultu venerabantur. quamvis fortè ante illa tempora ſpeciali cultu ipſum Mercurium venerari ſoliti erant, ex eo, quòd Mercurius Deus ſermonum dicebatur, & Græca lingua inter alias linguas clarior exiſtit. Et hoc maximè videtur ex eo, quòd hunc Deum, non Mercurium, ſicut Romani, nec Godan, ſicut Longobardi, ſed Hermem, quod proprium ejus nomen fuerat, antequam pro Deo habitus fuerat, ſicut Græci nominabant. Huic Deo conſecratum erat Idolum ſeu ſimulacrum, in loco prædicto quod Irmenſeul, id eſt, ſtatua Hermis dicebatur. Et quod in loco prædicto concurſus pro ſacrificiis, ipſi Idolo faciendis, ex omni regione fiebat, à veneratione locus ille* Eresberg/ *id eſt, mons venerationis dictus eſt. Vel fortè Juno, quæ apud Græcos Hera dicebatur, antequam Hermes in eodem loco, vel forſan ſimul cum eo colebatur, inde locus dictus eſt* Eresberg/ *id eſt, mons Heræ, videlicet Junonis. Quòd autem Hera colebatur à Saxonibus, videtur ex eo quòd adhuc quidam vulgares recitant, ſe audiviſſe ab antiquis, prout & ego audivi, quòd inter feſtum Nativitatis Chriſti, & feſtum Epiphaniæ Domini domina Hera volat per aëra, quoniam apud Gentiles Junoni aër deputabatur: Et quod Juno quandoque Hera appellatur & depingebatur cum tintinnabulis & aliis, dicebant vulgares prædicto tempore,* Browe Here/ *ſeu corrupto nomine* Vro Here de vluget/ *& credebant illam ſibi conferre rerum temporalium abundantiam. Ab hac Herâ tractum eſt nomen Heroum apud Græcos antiquitus. Unde animæ defunctorum, qui apud eos alicujus meriti æſtimabantur, apud ipſos Heroës, quaſi cum Herâ, id eſt, in aëre habitantes, dicebantur, ut teſtatur Auguſtinus lib. 10. de civitate Dei, cap. 21. Sed quacunque ex cauſa prædictarum locus prædictus nominatus ſit, conſtat ex hiſtoricis, de partibus iſtis ſpecialiter tractantibus, & aliis Chronicis, quod iſte locus priùs* Heresberg *nominatus erat: ſed poſtea vagâ quorundam curioſitate mutatum eſt, ut dicatur mons Martis, quod mihi videtur ſic exortum. Poſtquam multa loca in partibus iſtis ſub cultu veri Dei ſub fide Chriſtiana conſecrata ſunt, nomen venerationis ob uſum deſuevit, ſicut & nomen Hermis & Heræ. Et quia Mars apud Gentiles Deus belli dicebatur, & Saxones bellorum feritate multas gentes excellebant, credebant quidam Martem fuiſſe illum Deum Irmin, quem Saxones in loco prædicto coluerunt, neſcientes hæc nomina Mercurius & Hermes eundem ſignificare, prædictum locum quaſi præ ceteris curioſitate quadam excellere videri cupientes, montem Martis nominaverunt, credentes hoc cum vulgari linguâ, quâ dicitur* Mersberg/ *concordare. Sed iſti videntur decepti ex eo, quòd ſyncopationes & abbreviationes literarum & ſyllabarum multæ ſunt in vulgari, propter quas origo dictionum non advertitur, nec intellectus earum primitivus habetur. Unde ſi hæc oratio Latina:* vado ad montem venerationis, *transfertur ad linguam vulgarem, dicitur,* Ick gha tho dem Eresberge. *Unde tandem uſus invaluit, quòd cauſâ prolationis celerioris dicebatur,* Ick gha tho dem Mersberge. *Nam ſi diceretur,* tho dem Eresberge/ *turpiter ſonaret illa ſyncopatio, nam ſonaret dicere ad montem culi. Quare hæc litera M præponitur huic dictioni* Eresberg. *Et inde ſupradicti accipientes occaſionem dixerunt montem Martis. Sed non reperiuntur libri antiqui, nec privilegia, nec literæ aliæ, quæ habeant quadringentos annos, ubi reperitur hoc nomen mons Martis de loco ſupradicto. Fuit autem quidam conventualis monaſterii Corbiæ, Paderburnenſis diœceſis, Witikindus nomine, tempore Ottonis primi Imperatoris, qui ſcripſit geſta Saxonum & præcipuè ejuſdem Ottonis & ſuorum genitorum. Hic videtur occaſionem dediſſe huic vocabulo montis Martis, quoniam in libro ſuo, quem ſcripſit de prædictis, hunc locum nominat Herosburge. & dicit, quòd Saxones coluiſſent Martem, quem ex eo, quòd ex Græcis fuiſſent exorti, Hermem nominaſſent, ſeu vulgari linguâ* Irmyn: *quia, ut aſſerit, Mars apud Græcos Hermes dicitur. Et quòd* Hirmyn *in hoc*

loco

Digitized by Google

loco olim colebatur, alii librum prædicti VVitikindi fortè legentes, credebant hunc locum montem Martis rité nominandum. Sed tam ille, quàm iſti convincuntur ex dictis Auguſtini lib. 7. cap. 14. de civitate Dei, & Iſidori lib. 8. cap. 11. Etymol. qui dicunt, quòd Mercurius apud Græcos dicitur Hermes, & Mars apud Græcos vocatur Gradivus, ut teſtatur Iſidorus. Hactenus Gobelinus. Ubi ad id, quod *Heram* à Saxonibus cultam ait, nota ex Michaëlis Rupii Chron. Gandersheimenſi MSC. in Epiſcopatu Paderbornenſi cultum olim idolum *Heremune* dictum, in loco *Hieranga*, hodie Hojerſchen/ ubi Beatrix abbatiſſa Gandersheimenſis, filia Conradi Salici Aug. circa annum 1040. monaſterium fundavit.

Joannes Aventinus, non Romano, neque Græco indigeti, ſed domeſtico & Germano Irminſulam ſacram fuiſſe contendit. Verba ejus in annalibus Bojorum lib. 4. hæc ſunt: *Erat templum Hermionis Saxonibus vetuſtà religione auguſtiſſimum, quo frequens populus coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum populorumque viſebantur munera, ingens auri argentique ibi copia oſtendebatur, quæ vota reddentium grata voluntas congeſſerat. Saxones Hermanni-Salam vocabant, id eſt, aulam ſive baſilicam Hermanni, Hermionisve. Is fuit quintus Germaniæ magnæ Imperator, pronepos regis Manni, filii Tuisconis, parentis & auctoris noſtri. Ipſum majores noſtri ob bellica facinora in numerum Deorum retulerunt, pro numine & belli præſide hactenus coluerant. Ejus fanum Magnus diripit, militibus aurum & argentum, opes Hermioni conſecratas, diſtribuit.* Idem Annalium libro 1. *Sed ad Hermionem redeo: qui ob virtutem in cælum ſublatus à ſuis, cultusque pro Deo. Ejus templum ac ſignum dictum Herman-Sal, hoc eſt, Hermionis Sala, id eſt, aula, Karolus M. ſolo æquavit, & demolitus eſt.* Hactenus Aventinus.

Recentiores Germanicarum rerum ſcriptores, & in his Georgius Spalatinus, Reinerus Reineccius, Petrus Albinus, Andreas Vellejus Danus, Matthæus Dreſſerus, Cyriacus Spangenbergius, Chriſtophorus Entzelius, Tilemannus Friſius, Joannes Lampadius, Fridericus Lindenbrogius (qui tamen interdum variat) & alii, exiſtimant *Irminſulam*, ſive *Hermenſulam*, fuiſſe ſignum quoddam in memoriam *Arminii*, ſeu *Hermanni* celeberrimi illius Germanorum regis & *Cheruſcorum* Ducis, qui *Quintilium Varum* anno Chriſti decimo cecidit, grati animi ergò poſitum, indeque *Hermanſula ſive Armenſula* appellatum. Huic ſententiæ ſuffragatur, quòd prælium illud celeberrimum, quo Arminius *exercitu omnium fortiſſimo, diſciplinâ, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites principe, ad internecionem trucidato* (verba ſunt Vellejii Paterculi lib. 2.) Romanam ſervitutem à Germaniâ exterminavit, in veteri Saxoniâ adeoque intra *Lippiæ & Ameſii* fontes ubi hodie Dynaſtia Comitum Lippienſium commiſſum ſit.

Joannes Goropius Becanus in Originibus Antwerpienſibus, ſive Cimmeriorum Becceſelana lib. 6. circa finem, it in omnia contraria. Refutat enim Crancium, negatque Irminſulam ad Mercurii, vel alterius Ethnici Dei memoriam poſitam, ſed hieroglyphicam eſſe, ejusque interpretationem operosè admodum molitur. Verba etſi longiuſcula, tamen quia auctor in paucorum manibus, & ut lectori exemplum hominis docti, in re neque difficili, neque tanti momenti, otiosè argutantis, oſtendam, integra hic ſubjiciam. *Porrò illud minime negligendum, Dacis cum Saxonibus non originem tantum & linguam, ſed religionem etiam communem fuiſſe: Vtraque enim gens ſummo honore Mercurium coluit, quem* Herman/ *vocabant, quo communis omnium monitor notatur, uti latius in Deorum expoſitione docebo. Tacitus generatim ab omnibus Germanis* Mercurium *maxime coli tradit; ſtatuas tamen humani oris ſpecie Diis non fieri, ſed Deorum nominibus ſecretum illud, quod ſola reverentia vident, nuncupari. Lucos igitur & nemora, ut idem refert, conſecrant, &, ut ego comperio, integras etiam urbes Deorum nominibus appellant. Hic igitur in Dacia* Hermanſtatt. *id eſt*, Hermopolis, *à Mercurio nomen duxit, præcipua totius regionis urbs: cui in Saxonia* Hermenſtal *accedere videtur, de quo temporum illorum barbaries nihil certi nobis reliquit, aliis* Hermanſuel / *aliis* Hermeſal *ſcribentibus. Albertus Crancius hanc inſcriptionem inventam tradit:* Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus. *Addit deinde hanc effigiem, ut toto corpore armatam dicat, dextra vexillum militare tenentem, cui roſa intexta, ſiniſtra libram. Pectus ei inerme præ ſe urſum tuliſſe: in clypeo leonem fuiſſe; effigiem totam ſtetiſſe in campo floribus luxuriante. Horum interpretationem bene frigidam adjecit. Nos totam hanc delineationem ſymbolicam eſſe dicimus, & nulli Deo peculiari-*

ter propriam ſuamve. Alludit quidem nomen ad Herman/ ſed quæ adjicitur cauda ſignificationis rationem penitus commutat, Hal & Sal, id eſt, conſeruo, à quo fit Sal, quaſi ſo Hal/ id eſt, ad conſervandum. Hal autem olim in uſu fuiſſe de opidis ad Salinas poſitis, & inde nomen adeptis, licet æſtimare. Eſt Hal inter Swatzum & Oenipontem ingenti Salis monti ad radices hærens, ubi Sartaginibus ad 20. & amplius pedum diametrum patentibus ſalis petra ſalſæ aquæ permixta, tum ad dulcedinem coquitur, tum ad augmentum. Eſt & Hal in Saxonia eandem nominis rationem habens. Hoc vero tempore Solt & Sout magis eſt in uſu ſicut pro Halt/ Haut: pro alt/ aut/ fere pronunciamus. Permitterem Græcis & Latinis harum vocum natales, ſi etymon domi ſuæ, vel melius vel par invenire poſſent: quod cum nequeant, fateantur primogeniam originem noſtratibus debere, qui ſalem à conſervando dici intelligunt. Hinc igitur mox elucefcit, cujus rei teſſeram & ſymbolum in ſacris ritibus gerat. Chriſtiani pueris, quos baptizaturi ſunt, ſalem in os induunt, ſapientiæ ſalem ab ipſis accipi jubentes; quo ſignificant conſervationem hominis, atque ejus ſalem in ſapientia conſiſtere. Precantur igitur hoc ſuo ſymbolo, ut Deus ſapientiam eis largiatur, cujus ſupremus apex eſt, ut Deum ſapiant atque cognoſcant. cujus ſolius intuitu homo conſervatur. Hinc Moſi Deus præcipit in hanc formam: Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies; nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal. In Numeris item Aaron alloquens: pactum ſalis ei & filiis ejus ſempiternum eſſe dicit Chriſtus verus ſal, & vera patris ſapientia, Apoſtolos ſuos dixit eſſe ſalem terræ; eo quod per eos ſapientiam ſuam mundo largiturus eſſet. per quam omnes ſervarentur ad vitam ſempiternam. Bene autem ſalem pacti æterni vocavit, eo quod illo ſignificaretur ſapientia & verbum patris incarnandum, quo homines ſervandi eſſent, quod Deus Abrahæ promiſit, dum fore dixit, ut ſemen mulieris conculcaret caput Draconis. Pactum igitur illud & fœdus, quod Deus cum homine, ſerpentis fraude decepto, ſanxit, ſale notabatur: eo quod illo ſolo, perinde atque ſale quodam divinitatis, hominem ab omni corruptione, cui per peccatum obnoxius erat, ſalvum redditurus eſſet. Per ſapientiam igitur crucis ſuæ ab interitu nos liberaturus, voluit in omni ſacrificio ſalis hanc teſſeram adhiberi, ut intelligeretur, non à nobis & aliunde, ab eo nimirum, cui ſacra faciebant, conſervationem corporis & animi pendere, atque ab illo ſolo ſapientiam nobis eam infundendam, qua ſalutem conſequi poßimus, eamque eſſe ſalem fœderis ſempiterni. Admiranda myſteria ſub exigua recula, & ubique obvia, & nunquam non neceſſaria, contineri videmus: quæ ſignificantiſſimè lingua noſtra tribus literis expreſſit, dum ſalem à conſervando per excellentiæ figuram nominavit. Non immeritò igitur baptizandis exhibetur, quo hujus fœderis, hujusque ſapientiæ, per quam ſolam effugere poſſumus corruptionem, omnes adſtantes, recordanter, & ipſi tandem, cum adulti fuerint, cogitent, ſe cum illo unitos eſſe, cujus ſolius ope ſalutem obtinere poſſint. Hinc illud eſt, quod pactum conventionemque cum aliquo inituri ſalem deguſtare ſolent, eo innuentes, ſe quæcunque dixerint pepigerintque ſervaturos eſſe: non aliter atque ſi ſale eſſent condita. Ex eodem fonte manat, quod Salt/ ſive Saut/ ſive Solt/ uti plerumque ad ambiguitatem vitandam dicimus, pro ſtipendio ponatur, quo milites obligantur, ut memores ſint, ſe illud accipere, quo firmam incorruptamque fidem ſervare teneantur, quâ incorruptibili fœdere ducibus ſuis devincti. Antiquitus tamen, non tam ſtipendium ſpectabatur, quam fœdus ſale conſignatum: quod tam ſanctum habebatur, ut ii, qui ſic inter ſe conveniſſent, omnia, quæ ad vitæ ſive commoditates: ſive pericula pertinerent, communia exiſtimarent. Sed quia raritas per magna eorum eſſet, qui confœderationem ejusmodi cum principibus inire vellent, cœpit ſtipendium ſalis locum implere, ita ut nomen quidem ſit conſervatum, ſed immutata ratio paciſcendi. Qua de re facile eſt videre, quam vere Cæſar de Solduriis ſcripſerit, quod neſcio an à quoquam ſit hactenus intellectum. Atque, inquit, in ea re omnium noſtrorum intentis animis, alia ex parte opidi Adcantuanus, qui ſummam imperii tenebat, cum ſexaginta devotis, quos illi Soldorios appellant, quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint, ſi quid iis per vim accidat, aut eundem caſum unà ferant aut ſibi mortem conſciſcant. Neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſarit. Hunc fœderum amicitiæque ineundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum ſit, ut Cæſar ita devotos, Soldurios dixerit Gallis vocari; cum Soldurii illi ſint hoc tempore, qui ſalario conducuntur: quod vox ipſa

compo-

compoſitionis ſuæ ratione apertè declarat. Accepit igitur ſtipendium militum ab hac antiqua conſuetudine honeſtisſimum nomen; quo commonentur, haud ſecus ſe duci obedire debere, ac ſi ſalis fœdere devoti fuiſſent. Crediderim itaque à priſcis Cimmeriis, apud Romanos etiam nomen ſalarii ab hac origine fluxiſſe: ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitiâ & ſincerâ fide exſulantibus cœpiſſe proverbio jactari; nemini fidendum, niſi cum quo modium ſalis abſumſeris: quaſi diceretur, nulla pacta, nulla fœdera ſatis firma eſſe, quamvis ſale ſint ſancita: neque enim parum ſalis ſufficere, ſed integrum modium cum eo prius edendum, cui fidem ſit adhibiturus. Quod proverbium, quia Græcis etiam uſitatum eſt, antiquum eſſe reor, & ab illa, quam dixi, priſca conſuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus ſalis mihi continere videtur, quam dum ſimpliciter intelligitur de temporis diuturnitate. Hæc ergo ſalis ſignificatio, cum apud omnes, tum maxime apud Cimmeriorum colonos, ſacroſancta ſemper habita eſt, adeo ut hactenus, dum quippiam ratum eſſe volumus, aut in ſocietatem quampiam cooptari, ſalem edamus, quaſi eo omnia ſalva fiant atque confirmentur. Quamobrem ſalem in menſa caſu everti ac diſſipari, in auſpicatum habetur; eo quod portendere videatur, eorum qui adſunt amicitiam & fidem non diu conſtaturam: quam rationem non opinor à multis hactenus obſervatam fuiſſe. Quia enim Sal à conſervando dicitur, nec poteſt homo citra hanc cum aliis conjunctiorem vitam tueri, voluerunt priſci amicitiæ, fœderumque ſalem ſymbolum habere. Hermansſal igitur ad verbum publicum communemque virorum ſalem nobis ſignificans, quid aliud ſibi vult, quam in fida ſocietate hominum inter ipſos omnem & communitatis & ſingulorum conſiſtere ſalutem? Et quia ad hanc firmam civium unionem magna opus eſt prudentia, fit ut ſal alterum rurſus ſignificatum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conſervandamque neceſſarium. Qua enim re magis opus eſt ad publicam ſalutem, quam ſapientia? cujus officium eſt omnia diſponere & ordinare, quam ſale quoque notari oſtendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine ſuo ſe publicam conſervationem continere profitebantur. Quia ergo tota armata erat, oſtendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam eſſe, quin ſemper arma ſint in promptu habenda: & eam civitatem felicem cenſeri, quæ nunquam curam armorum deponat, ſed ſemper ad defenſionem ſit parata, ſive pax ſit ſive bellum. Pectus inerme erat, quo animus imperterritus indicatur; quod urſum præferens notabat, eo nos animo eſſe debere, ut non tantum ſævi contra hoſtes, ſed aſtuti etiam eſſemus; quod urſi contra tauros pugnaturi ſupini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita validam belluam proſternant. Deinde ut urſi ſunt ſævisſimi contra hoſtes, ita catulos ſuos mirũ in modum amant, & quod imperfectum in eis eſt, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt; quod item civibus, tum omnibus, tum maxime optimatibus imitandum, ut ſævitiam contra hoſtes, amorem erga ſuos, & omnem juvandi diligentiam exhibeant. Multa ſunt, quæ in hac ferâ ſymbolicôs conſiderari poſſunt, ſed nihil æque atque hæc duo; amor erga catulos, & ſævitia erga hoſtes, quam ingenio & ſolertia juvant. Non eſt tamen etiam illud negligendum, quod pectori potius, quam capiti urſum additum videamus; quo monemur, virorum fortium eſſe, pectore, non ore ſævire. In urſo enim horrida illa continua, dum iraſcuntur, vociferatio, quam ſævitiam prope nominandam quidam arbitrantur, homines magnanimos minime decet; ſed contra os comprimere, & pectore imperterrito in hoſtem ferri, ſic tamen ne urſinæ aſtutiæ immemores ſimus. Clypeus leonem habebat ſignum maximi & regii animi: quod apertius eſt, quam ut multis ſit explicandum. Haſta cum vexillo, quod multis faſciis ſive teniis conſtat, oſtendit cives omnes unanimes & colligatos eſſe debere, & hoſti oſtentare: haſtam ſe habere ad pugnandum, & vittas haſtæ alle-

gatas

gatas: quibus ſignificent, ſe homines eſſe ad ſanctam amicitiam & firma fœdera ineunda, ſi injuriis ſuperſedeatur, & ſi quid damni acceptum, id reſarciatur. Sed de vexillo militari Cimbrorum in Brabantiæ nomine plura memini dixiſſe. Quod autem dixi de amicitia ineunda, id clarius roſa, quæ in vexillo erat ſignata, indicabat, quæ quia Veneri ſacra eſt, ad amorem invitat. Neque enim cum ulla gente ſic bella gerenda, ut nullus aditus ad pacem detur, imo contra virorum fortium eſt, omnes, quoad eius fieri poteſt, ad æquabilem amicamque ſocietatem vocare, nec alia de cauſſa bella geruntur, quam ut amoris & pacis vincula inter homines redintegrentur. De roſa in Antvverpianis inſignibus locus erit amplius diſputandi: hic ſatis eſto, Venereum hunc florem pacem amoremque notare, quibus totius hominum univerſitatis venuſtas continetur. Siniſtrâ lancem tenebat, chariſſimum juſtitiæ indicium, quâ opus eſt, non ſolum ad pœnas malorum, & bonorum præmia in civitate diſpenſanda, ſed ad omnem etiam rerum permutationem, tum inter cives, tum inter hos, & exteros omnes. Ad hanc conſervandam, arma totius corporis, & haſta, quam in dextra tenet, magno animo ſunt conferenda: quoniam citra illam nulla Reſpublica pacem tranquillitatemque poſſit tueri. Bene itaque militaris labor dextra parte, unde motionis eſt principium, ſignificatur, ſiniſtrâ vero, in qua quietis ſedes, ad quam motio tendit, juſtitiæ teſſeram præfert; propterea, quod omnes conatus, omne ſtudium, omnes bellorum motus, ad juſtitiam & æquitatem, tanquam ad finem ſuum, tendere oporteat. Porrò nota hæc imago in campo omni florum genere ridente poſita cernebatur: quo non aliud denotabatur, quam eam civitatem, eam regionem florere, in qua diligenter omnia ſymbolis his indicata obſervantur. Non indigna ſane effigies Sagarum ſobole: quam equidem vellem, non à Saxonibus tantum, ſed ab omnibus Chriſtianis accurate conſiderari, quo intelligerent, omnem bellicum apparatum, ad juſtitiam, non ad tyrannidem referendum: & tum demum, cum juſtitia & æquitas inter Principes & ſubditos ſervabitur, Rempublicam Chriſtianam florere poſſe. Hermenſal igitur dicitur ab Her / quod commune & publicum ſignificare, alibi quoque docui: & Man voce nota & Hal / quo id ſignificatur, quod conſervat. Hinc Antvverpiæ Hal / quævis domus vocaur, in qua merces conſerventur. Hal & Sal / pro Sale quod eo carnes & alia hominis alimenta conſerventur. Hermanſal ergo eſt communis virorum conſervator, vel communis hominum Sal: quia hac hieroglyphicâ figurâ ea monebantur, quæ ad publicam civium ſalutem erant neceſſaria, quæ de ritu priſco loco Hermæ poſita, tandem in veſanam ſuperſtitionem eſt converſa: uti in aliis quibusdam hieroglyphicis videmus eveniſſe, quæ ad commonendum duntaxat conficta, ab imperitis hominibus, vel avidis lucri impoſtoribus, ad falſam & impiam religionem ſunt detortæ. Neque igitur Mars eſt neque Mercurius, ſed Idolum, vel ex errore, vel ex impoſturâ natum, dum majorum hieroglyphica monita, aut non intelliguntur, aut fraude ſacrilegiorum lucrionum ut digno nomine pſeudierophantas appellem, in fœdam & anilem ſuperſtitionem trahuntur. Crancius Gallos accuſat, quòd Germanicæ linguæ imperitiâ dictionem hanc ita perturbarint, ut à ſe non intelligatur. Addit tamen, eſſe, qui ſtatuam publicam interpretentur, atque hinc conjicit Irmanſuel dicendum, quo clarè demonſtrat, ſe linguæ ſuæ nihilo Gallis quos accuſat, eſſe peritiorem. Ignorat enim Her / publicum communemque ſignificare: & hinc exercitum Her dici, & publicam viam Her-ban / & ducem communitatis Hertzog: & communem in domo ad ignem locum Hert / & Heralt / & Herman & Heer / & Herculem & Heram ab eodem derivari ut alibi dicetur. Putavit itaque Hermæ, & aliorum Deorum nomina Saxones à Romanis tempore Druſi didiciſſe quaſi antè ſine Diis, & eorum nominibus fuiſſent. Nos contra demonſtrabimus, Romanos à Cimmeriis, Saxonum parentibus, nomina Deorum habere, neque domi ſuæ ullam ſanam interpretationem invenire. Ridiculus eſt etiam Munſterus, qui opida, quibus à Salinis Hal nomen eſt, credit à Græcis id emendicaſſe: ſcilicet Saxones, Suevi, & Oeni in Alpibus accolæ, Græcos conſuluerunt, qui opida eſſent à Salinis nominanda. Interrogantur potiùs Græci, quâ ratione ἅλα pro ſale dicant, & quicquam adducant, quod tam ſolidum tinniat, quàm etymologia, quæ conſervandi vim noſtratibus expreßit. In linguæ Cimbricæ ſive primæ artificio in poſtulatis ſive ætematis mihi ſumo quando eadem vox in diverſis linguis reperitur, eam illius eſſe propriam & germanam, in quâ ratio rei ſignificatæ naturam optimè explicans invenitur. Hal igitur noſtras eſt nec Sal magis Romanorum, quàm Hal Græcorum, cùm apud nos Romanos natura ſalis & ejus uſus hac voce clarè exprimatur. Agnoſcant igitur Saxones nunc tandem Salem ſuum, quo majores communem omnium ſalutem putarunt contineri, non

aliter

aliter atque Chriſtiani, inſpectâ Chriſtophori imagine, conſervationem per eam diem ſibi policentur: nec id falsò, ſiquæ ſignificantur, ea diligenter, & animo revolvant, & opere præſtent. Sive verò publicum hominum conſervatorem, ſive publicum hominum ſalem, cum utrunque poſſis interpreteris, nihil refert, niſi quòd ſymboli naturam magis ſapiat, ſi poſterius ſequaris, atque ab eo ad prius collectione pergas. Hactenus Goropius, qui an acu rem tetigerit, aliorum eſto judicium: certè ejus originationes, vel ipſo Lipſio judicante, Cent. Epiſt. ad Belgas 3. ep. 44. *riſum non oppoſitionem merentur, & ſæpe ſine indignatiuncula, vel riſu, legi non poſſunt.* De fide vero ejus hiſtorica lege Suffridum Petrum lib. 1. de Friſior. orig. pag. 96. & 97.

CAPUT VI.

De nomine Irmin & ab eo compoſitis.

QVæcunque tandem origo ſit nominis Irminſula, hoc conſtat, vocabulum *Irmin* priſcis Germanis uſitatiſſimum fuiſſe, eoque tam viros quàm fœminas appellatas. *Irmino* abbas additur teſtis ultimæ voluntati Karoli M. apud Eginardum: & *Irmina* filia Dagoberti regis Francorum refertur à Caſparo Bruſchio hiſtoriâ monaſterior. pag. 76. & apud Trithemium Chronico Sponheimenſi ad annum 1152. Compoſita ab hoc vocabulo (mirificè enim iſtis majores noſtri delectati ſunt) reperias perquam multa: nos pauca hic attingemus. *Irminburc, Irminfrid, Irmingard, Irmingarus, Irminger, Irmingund, Irminheid, Irminhild, Irminholt, Irminhulf, Irminrabt, Irminric, Irminſind, Irmintrud, Irminivar, Irminwic, &c.* Quæ eadem alii in initio cum aſpiratione ſcribunt, ut *Hirminwic, Hirminſind, Hirmintrud.* Alii omiſsâ aſpiratione pro litera I uſurpant E initio harum vocum, ut: *Ermingardus, Ermenfredus, Ermenbolfus, Ermenmarus, Ermenradus, Ermenricus, Ermenſind, &c.*

CAPUT VII.

De Irminſulæ deſtructione.

HActenus habuimus deſcriptionem & Etymon Irminſulæ, reſtat de ejus deſtructione aliquid ſubjiciamus. Incidit illa in annum Chriſti 772. qui eſt primus belli Saxonici in *Comitiis Wormacienſibus* decreti, & à Karolo M. feliciter auſpicatoque ſuſcepti. Erat ille tum temporis annorum circiter triginta. Initia belli fuere ſecunda, Eresbergo propugnaculo firmiſſimo primo impetu expugnato. Ab occupatione præſidii itum ad demolitionem fani, inveterataeque ſuperſtitionis maturum excidium. Sapienter in hoc Karolus: oſtendit enim Saxonibus, inanem fuiſſe fiduciam, quam habuiſſent in tutelâ & patrocinio deaſtri imbellis, cujus impunè triumphati cadaver, & deformia rudera miſerè ante oculos disjecta diſſipataque jacerent. Deinde ſublato veteris Idolomaniæ fomite & incitamento, ad ſincerioris religionis propagationem aditum viamque ſibi perquam commodam aperuit.

In fano ipſo multa, ut memini antea, reperta opulenta regum, principum, gentiumque donaria, puta anathemata, & in his coronæ, ſcuta, vexilla, enſes: præterea inſtrumenta ſacra, menſæ, omnis generis vaſa, nolæ, crotala, acerræ, thuribula, amulæ: plæraque ex auro, argento vel ære: inæſtimabiles denique theſauri, quos vota ſolventium inconſulta prodigalitas ibi accumularat. Hæc præda ceſſit victori, partim inter milites, ut ad bellum alacriores eſſent, diſtributa: partim piis uſibus debitæ gratitudinis ergò deſtinata. Idolum ipſum columnæ affabrè factæ impoſitum, cum diris & contumeliâ dejectum comminutumque: tota ædificii ſacri moles, quæ aliquot ſeculorum ſpacio magnificè exædificata ornataque, ſpectatores ad magnam admirationem traducebat, ſolo æquata eſt.

Auctor vitæ Caroli M. ſcribit Karolum voviſſe, nullatenus inde ſe egreſſurum, niſi prius plena ejusdem loci & idoli ad laudem & gloriam nominis divini ſubverſio facta fuiſſet.

Demolitioni totum triduum impenſum ferunt, parte exercitus alia laborem urgente, alia contra hoſtilem vim & impetum in armis ſtante. Quod autem magna id temporis eſſet ſiccitas deficientibus tam rivis, quam fontibus, ſiti laborare exercitus cœpit: verum cùm in ipſo meridie quieſcerent, fons fœcundus largifluusque

improvisè erupit: cujus beneficio recreati, tàm homines, quàm jumenta, piumque abolendæ infamis ſuperſtitionis negotium eſt maturatum. Rem totam ita narrat Henricus de Hervordia, ad annum Conſtantini Imp. 31. *Karulus Rex congregato Wormatiæ exercitu ---- Eresberg caſtrum quod nunc Mersberg dicitur, cepit & ipſum fanum deſtruxit, & omne argentum, quod ibi reperit, abſtulit, idolum vix per triduum evertit. In cujus deſtructione, cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam cæli ſerenitatem deſiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus aquæ ad bibendum inveniri non poſſent. ſed ſubitò divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quieſcentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui ſufficeret. Tunc Rex idolo deſtructo arbitratus ſe Saxoniam domuiſſe, Wyſeram ſt: acceſſit, ibique acceptis à Saxonibus XII. obſidibus receſſit.*

Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9 innuit ſimulachrum conſervatum, diuque pòſt viſum in monaſterio Corbeienſe, cum tali inſcriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam policeor me venerantibus.* Hæc ille ex Chronico Saxonico veteri: cujus mentem tamen non eſt aſſecutus: cùm verba Saxonica more gentis & ſeculi conciſa & ſubobſcura, Latinè reddita ita ſonant: *Olim Saxonum Dux fui & Deus, adoravit me populus Martis: gens quæ me veneratur, aciei cornua gubernat.*

Georg. Fabricius Orig. lib. 2 Statuam Irminſulam memoriæ & vetuſtatis cauſſâ Eresbergi diligenter aſſervatam fuiſſe affirmat, uſque ad tempora Ottonis M. cujus juſſu, bello civili *Dancmariano* confecto, inde ſit ablata.

CAPUT IIX.

Tranſlatio Irminſulæ ex Veteri in Ciſueſeranam Saxoniam.

JOannes Letznerus Theologus, patriarum antiquitatum inveſtigator diligens & induſtrius, de hac translatione texit narrationem notatu dignam, quam, cùm alibi non extet, fidem tamen mereatur, ex auctoris Corbeienſi Chronico, & libro de vitâ Karoli M. vernaculâ linguâ conſcriptis, noſtris hîc verbis ſubjiciemus: Deſtructo fano Eresbergenſi & Idolo Irmo vel Irmino confracto, cùm Karolus animadverteret, columnam ſuperſtitem æquè Saxonibus venerabilem eſſe, atque deaſter ipſe fuerat, plauſtro impoſitam, rectâ ad flumen Viſurgim devehi, eoque in loco, ubi nunc *Corbeia* conſpicitur, deponi, terræque infodi juſſit. Defuncto autem Karolo, cùm *Ludovicus* primogenitus & in Imperio ſucceſſor, Corbeiam quam dixi, fundaret, contigit, ut columna iſta reperiretur: quam Imperator, non minus prudens, quàm religioſus, ut Saxonibus ad [illegible] proclivibus, omnem veteris Idolomaniæ memoriam ex oculis animiſque auferret, è veſtigio trans Viſurgim deportare mandavit. Agebatur negocium clàm & occultè, ſed rumor nihilominus emanavit, Saxonumque animos plurimùm reddidit perturbatos. Qui Irminſulam deducebant multi erant, armati omnes, ut vim, ſi qua inferretur, propulſare poſſent. Hos inſecuti ſunt Saxones, tranſmiſſoque Viſurgi, eo in loco, ubi poſtea Comites, ſive Dynaſtæ *Wincenburgii*, dominati ſunt, feſtinabundos apprehenderunt. Orta ibi eſt velitaris pugna, quòd Saxones rem ſacram à majoribus ſuis religiosè habitam cùm imperio repoſcerent: Cæſariani acriter reſiſterent, eo eventu, ut ex totâ multitudine octo ſtatim interimerentur, quorum memoriæ totidem cippi lapidei in formam crucis cæſi, juxta viam poſiti ſunt, additaque ædicula ſacra, ſive capella, ut vocant. Quæ velitationi & cædibus perpetratis occaſionem præbuerat, loco conflictus nomen reliquit, ut *Armenſula* (ſic enim veteres Saxones locutos ſuprà meminimus) deinceps appellaretur. Ubi cùm initio unus & alter ex agricolis conſideret, ſucceſſu temporis plures confluentes, vicum ſive pagum ibi mediocrem condiderunt. Is hodie paret equeſtri familiæ *Stockheimiorum*, ſic, ut beneficium, ſive feudum, ſit illuſtriſſimorum Ducum Brunſvicenſium, quorum præfecturæ Wincenburgiæ *Armenſula* accenſetur. Cæſariani, profligatis Saxonibus ſuperiores, ne novi pluresve hoſtes ſupervenirent, alacriter pergentes Armenſulam ad *Inneram* fluvium (diploma Henrici 4. Imp. ad annum Chriſti 1045. *Entriſtam* appellat) devexerunt. Agebat ibi Ludovicus Cæſar, novæ urbi, cui à vicino ſaltu, der Hilles appellato, nomen *Hillesheimiæ* indidit, condendæ, ſimulque novæ & ampliori baſilicæ, ſivè templo Dominico, in uſum Epiſcopi & Canonicorum, quos *Aulicam* ad *Salæ* & *Leinæ* confluen-

fluentem ubi Karolus M. ſedem cathedralem erexerat, relinquere, & ad Inneram fl. migrare jubebat, erigendo, largiterque dotando, totus incumbens. In novum iſtud templum *Armenſula* prius tamen ſolemnibus cerimoniis luſtrata, & à noxis, quibus in templo Ethnico inquinata credebatur, interventu piarum precum ritè expiata, cum tripudio introducta, atque ante presbyterium, ſive chorum, ut vulgò vocant, ubi templi medium, collocata eſt. Ibi etiam hodie conſpicitur, ſuſtinendis luminaribus, quæ feriis ſolemnibus accenduntur, deſerviens. Hactenus Letznerus, qui auctorem, quem ſequatur, laudat Conradum Fontanum, monachum Helmershuſenſem, familiæ Benedictinæ.

Hoc habet peculiare Irminſula, ut cultello percuſſa, ſonum acutum inſtar tinnimenti reddat. Æſtate cùm aër ferventiſſimus, ipſa per-quam eſt frigida, ſudanti non abſimilis.

Ignorata fuit hactenus & neglecta aliquot ſeculis, donec ante paucos annos, vir dignitate, genere & doctrinâ nobiliſſimus, Dn. *Aſchius ab Heimborg* ſummi templi apud Hildeſienſes Canonicus, mihi & ſtudiis hiſce ex animo favens, ſitu & rubigine ſqualentem interpolari innovarique curaret. Inventi ſunt in ea tres verſiculi aureis literis exarati, quos ut ab Heimburgio accepi hic adjungam.

Sic fructus veſtri veſtro ſint gloria Patri,
Ne damnent tenebræ, quod fecerit actio vitæ:
Iuncta fides operi ſit lux ſuperaddita luci.

CAPUT IX.

De ſpectaculo in memoriam dejectionis Irminſulæ inſtituto.

IN memoriam deſtructionis Irminſulæ hodieque ſingulis annis ſolemne, etſi ludicrum, peragitur ſpectaculum, iſtum in morem. Pridie diei Dominicæ quam vulgò *Lætare* nominamus, colonus quiſpiam, ex proximo rure ad id conductus, in areâ templo Dominico, ſive Baſilicæ San Marianæ contiguâ, comparet, deſertque ſecum duo ligna oblonga, ſenum circiter pedum, quibus terræ firmiter impactis, ſingulis imponit lignum inſtar pyramidis acuminatum, longum pedem unum. Inveſtigio confluunt ex plebe pueri magno numero, arreptisque baculis & lapidibus, ex intervallo longiuſculo certatim pyramides iſtas dejiciunt, dejectas reponunt, iterumque deturbant, tamdiu hoc agentes, donec ludi ſatietas eos domum redire jubeat. Hæc idem Letznerus in Chronico Corbeienſi Germanico Hamburgi excuſo, cap. 18. atque ex eo repetit in vitâ Karoli M. cap. 18. ſic tamen ut in circumſtantiis modica variatio. Atque hoc modo antiquitas religioſa, rituumque in oculo incurrentium amans, ſuperſtitioni exploſæ ac profligatæ multis etiam ſeculis poſt cum contumeliâ illudere & inſultare, præſentes verò gratitudinis Deo debitæ admonere voluit.

CAPUT X.

De ſimilibus ſpectaculis, alibi locorum quotannis exhibitis.

COnſimilia vero ejus generis ſpectacula alibi etiam uſitari ſolita, tum intra tum extra Germaniam, non unus fidem facit ſcriptor. Cum enim anno 965. Polonia ſub Principe Mieſlao accepiſſet fidem Chriſti, atque hoc famæ nuncio Romam deferretur, Pontifex Johannes XIII. miſit in Poloniam Ægidium Cardinalem Tuſculanum, qui hinc inde in regno conſtituit Epiſcopatus, ut nominant, & eccleſiis præfecit homines Italos Germanos, qui populum erudirent & religionem propagarent. *Tum ex edicto regio,* inquit Joachimus Curæus in Annal. Sileſiæ pag. 31. & meminit in formulis precum deſumptarum ex lectionibus Evangeliorum Dominicaliſum ad Dominicam Lætare, *Simulacra idololatrica ubique in Polonia publice confracta & exuſta ſunt die 7. Martii. Is fuit tum Dominicus quartus in quadrageſima, quem nominant Lætare Hieruſalem. Horum encæniorum memoria diu conſervata eſt in hac gente, & eo Dominico die geſtata ſunt ſimulacra terribilia, ſimilia ſpectris, in perticis, eaque tandem in cœnum devoluta: qui mos adhuc hodie à pueris & puellis in Sileſiâ repræſentatur, & vocatur* Dominica mortis. *Quia etiam malos genios ſolebat colere*

 & pla-

& placare vetuſtas Ethnica. Meminit hujus moris apud Sileſios etiam Alex. Guagninus Compendio Chronicor. Polon. in hiſtoria Mieſconis primi. *In Sileſia quoque Poloniæ confini die 7. Martii, quo videlicet tempore idola demolita ſunt, pueri in villis & opidis ex more recepto ſimulachrum quoddam ad ſimilitudinem mulieris conficiunt, opidoque exeuntes & cautionem quandam ingeminantes; ſimulachrum de ponte in flumen præcipitant.*

Martinus Cromerus de rebus geſtis Polonorum lib. 3. hæc habet: *Repræſentari ejus rei memoriam etiam ſua ætate Dlugoſſus teſtatur, quod in pagis quibusdam ſimulacra Marzanæ,* (quæ *Ceres* fuiſſe dicitur) *& Zevoniæ* (quæ alias etiam *Dzeviana,* & *Diana* fuit) *contis præfixa (vel ut nos ex majoribus natu didicimus, trabis impoſita) cum querulo & lugubri cantu vulgo in pompa geſtari, & in paludem vel flumen abjici ſoleant ea die, quæ eſt quarta Dominica Quadrageſimæ.*

Similiter Matthias de Michovia Chron. Polonor. lib. 2. cap. 2. *Quia multi reſtabant,* inquit, *ſacro fonte baptizandi, ideò per edictum ſtrictè demandavit rex Mierzslaus, ut omnes in civitatibus & villegiis, nobiles atque ignobiles, ſeptimâ die Martii adventante Idolis confractis & in lacubus aut aquis ſubmerſis: ſimul & lapidibus ab utriusque ſexus hominibus obrutis, ſub confiſcatione bonorum & exterminatione baptiſarentur. Quâ die ſuperveniente, ut erat conſtitutum, cuncti juſſa exſolventes renaſcebantur in Chriſto, & baptiſabantur, ſervaturq; ille mos usque in hodiernam diem in majori Poloniâ. Nam pueri in Dominica Lætare, facto Idolo ſeu imagine, alicubi in ligno longo eam portant, alibi in vehiculo ducunt, & in aquam projcientes demergunt, ſinguli properè domum repetentes.*

Georgius Torquatus Theologus & Hiſtoricus in annalibus ſuis Magdeburgicis & Halberſtadienſibus manu-ſcriptis, partis primæ lib. 3. cap. 9. hæc habet: *Alibi alii inſtituti ſunt ritus & publica ſpectacula, ſive per Karolum, ejusve duces & ſucceſſores, ſive ex ipſorum hominum arbitrio, quibus abrogatæ vanæ ſuperſtitionis commonefacti ad conſtantiam in Chriſtiana religione retinendâ excitarentur. Sic Halberſtadii quotannis in Quadrageſimâ, Dominica* Lætare, *Canonici Cathedrales, in loco plano ante gradus cellæ, pyramidem quandam capitatam, columnæ impoſitam ſinguli ejaculatis fuſtibus dejicere tentabant, canentes Antiphonam:* Auferte hinc, dicit Dominus, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Joan. 6. *Verum inter tot Canonicos vix unus & alter pyramidem illam columnâ deturbabat, reliquis omnibus ictu aberrantibus. Quo ſolemni ritu auctores haud dubiè retineri voluere apud poſteros ingentis iſtius laboris atque ſtudii memoriam, quod Karolus impendit ad deſtruenda regionum Idolaque Saxones in columnâ poſita, ut Deos venerabantur. Canonicos verò commonefacere, ut pro ſuis quisque viribus & officio anniteretur, religionem veram, tot laboribus, tantoque ſtudio inter toties ferociter rebellantes Saxones ſemel conſtitutam, incorruptam conſervare rejectis & exturbatis è Chriſti Eccleſiâ omnibus aliis dogmatibus verbo Dei contrariis. Hæc peragebatur dicto Dominico die poſt Nonas, inde è multis ſeculis usque ad* Joannem Albertum, *Marchionem Brandenburgenſem, adminiſtratorem Halberſtadenſem, & Archiepiſcopum Magdeburgenſem, qui Alberto Cardinali, Electori & Archiepiſcopo ſucceſſerat. Tùm demum abrogabatur ritus ille, propter ſpectantis multitudinis pericula, quæ ei ex aberrantibus ictibus ſæpe imminebant, & propter contemtum ipſius cleri: quos ut viros graves, & annis, nobilitate atque ſapientiâ præſtantes, ejusmodi ludicra exercere in tantâ luce Evangelii ridiculum erat.* Hactenus Torquatus.

CAPUT XI.

De Chriſtiana Religione in Eresbergo propagata.

NOn erat ſatis Karolo Idololatricos cultus in Eresbergo aboleviſſe, etſi hoc fuerat Augiæ ſtabulum purgare: quomodo fides Chriſtiana idolomaniæ eliminatæ ſubſtitui,

tui, & in rebelli indomitaque gente radices commode agere & efflorefcere poſſet, de hoc cogitabat, ſolicitusque erat plurimum. Condidit itaque in ruderibus veteris templi, nuper in cineres redacti, ſacellum, ſive, ut à primaria actione, quæ ibi peragi ſolebat, vocabant *Oratorium*: Græcis ejusmodi ædes εὐκτήρια, ſive προσευκτήρια. De templo ſic ſcribit auctor vitæ Koroli Magni MS. lib. 1. cap. 14. *Apud Eresbergum civitatem Saxoniæ quam propter inhabitantium pertinacem perfidiam & indomabilem contumaciam deleverat, ſed tamen poſt caſum in majori ſplendore zelo pietatis reſtruxerat, poſt everſionem Idoli*, Hermenſul, id eſt ſtatua Hermetis *ab incolis vocati, baſilicam Imperialis munificentiæ & celſitudinis conſtruxit: ut quem locum cultura Dæmonum ſordidaverat, Chriſtianæ religionis veneratio emundaret.* Sacello Karolus adjunxit collegium monachorum ordinis Divi Benedicti, homines doctrinâ vitæque ſanctimoniâ commendatos, qui ibi verbi divini ſementem ſpargentes, & tanquam in ſpecula pro cuſtodia gregis excubantes, filio Dei quam plurimos lucrifacerent. Cæſar Baronius Cardinalis collocat in annum 799. qui belli Saxonici fuit viceſimus ſeptimus, climactericus ſimul & auſpicatus. Addit idem Baronius privilegium à Papa Leone 3. eccleſiæ recenti condonatum, quod undecunque ille habuerit, à noſtratibus etiam conſervatum conſtat. Etenim ab Henrico de Hervordia ad annum Karoli M. 4. Chriſti 805. totidem pene verbis refertur, intercedente tamen modica in uno aut altero variatione. Nos integram hic apponemus: *Leo ſervus ſervorum Dei, Karulo M. Imperatori Romanorum Auguſto. Piæ tuæ intentioni per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti, & per nos B. Petro conſecraſti, liberum ab omni humana poteſtate eſſe, & fratrum inibi ad Chriſti ſervitium adunatorum ditioni tantum modo parere cenſemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur: neve regni veſtri invaſoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, ſed anathemate, S. Petri interdicimus, ne quis unquam bellica in ipſo monte præſidia collocare, aut decimas circa montem per duas Saxonicas* Raſtas, *quas illuc delegaſti, audeat diripere. Hoc* (conſervantibus) *ſit pax à Deo patre: infringentibus excommunicatio, & à beatorum collegio ſit ſeparatio in æternum. Datum Eresburgi per manum Joannis Bibliothecarii & Cancellarii eccleſiæ Romanæ Kalend. Ianuarii 8. Kalend. Ianuarii, anno Domini *** Leonis tertii 4. Indictione 8. die Dedicationis capellæ in Eresburg.* Hæc Baronius annalium Eccleſiaſticorum tomo nono, ex Regeſto Innocentii 4. ut ipſe affirmat. In hoc privilegio (quod obiter monere liber) conſideranda eſt vox *Raſta*, merè Germanica, uſitata mediæ ætatis ſcriptoribus. Adamus Bremenſis: lib. 1. cap. 23. *Locus Ramſola in Epiſcopatu Verdenſi poſitus, ab Hamburg niſi tribus diſparatur raſtis.* Quod Crancius Metrop. lib. 1. cap. 34. ſic exponit: *tribus diſparatur raſtis, hoc eſt, paſſuum millibus.* Vetus eſt vocabulum, teſte Hieronymo, cujus in Ioëlem verba ſunt: *Nec mirum ſi unaquæque gens certa viarum ſpacia ſuis appellat nominibus, cum & Latini* mille paſſus *vocent, & Galli* Leucas, *& Perſæ* Paraſangas, *&* Raſtas *univerſa Germania.* Saxonibus adhuc hodie Raſten vel Reſten / affine Græco ῥαστῶν, ut in Tacitum annotat Althamerus, eſt vel à labore, vel ab itinere quieſcere: Unde *Raſta* tale viæ ſpacium, quo emenſo aliqua quiete opus ſit: CL. Freherus putat eſſe milliare Germanicum: quem vide Gloſſario, primo tomo ſcriptorum rerum Germanicarum præfixo: neque non Simonem Schardium Lexico juris.

Theodoricus Niemius meminit dedicationis fani Eresbergenſis à Papa Leone factæ, verùm de ſuo addit, inſpectionem & tutelam religioſi iſtius ſodalitii à Karolo M. Antiſtiti Corbeienſi demandatam. In quo graviter allucinatur: nam defuncto demum Karolo, Ludovicus F. quem ſcriptores Pium vocant, ex aurea Corbeia Galliæ cœnobio haut longe Ambianis, ad ripam Somonæ fluvii, anno Chriſti 660. à *Bathilde*, Saxonici generis heroinâ, *Clodovæi* 2. Francorum Regis conjuge fundato, *novam Corbeiam* prope *Huxariam Weſtphaliæ urbem* non incelebrem, auſpicatu incoavit, religioſisque colonis implevit. anno 822. ut Joannes Trithemius ex Henrico Hervordienſi, monacho Dominicano Mindenſi, annotavit. Credibilius ergo, Ludovicum Imp. Corbeiam Saxonicam, quibus poſſet modis ornare, & ſimul commodis collegii San-Petrini providere volentem, fratres Eresbergenſes Corbeiæ primum ſubjeciſſe. Id quod confirmat Chronicon Corbejenſe luci à me datum, deſinens in *Wicboldo* abbate, qui à Friderico Barbaroſſâ Imperatore, anno 1155. Conſtantinopolim ablegatus

 ſequenti

ſequenti rediit, ut Otto Friſingenſis de geſtis Friderici Imp. lib. 2. cap. 23. & 29. ubi tamen *Guibaldum* nominat. Verba Chronici ſunt: *Dominus Liudvvicus Imperator Auguſtus, Karoli M. filius, tradidit monaſterio* (Corbeienſi) *locum Huxeri cum omnibus terminis ſuis: Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & cætera prædia in Aquilone: Iudita Imperatrix hæc à viro ſuo obtinuit.* Recitat eadem verba Henricus de Hervordia ex Ordinario Corbejenſi ut vocat. Verba ejus ſunt. *Tradidit etiam eidem Huxeri cum omnibus terminis ſuis, Eresberg & Moppen Abbatialas & cetera prædia in Aquilone. Iudita Imperatrix ab eodem viro ſuo hæc obtinuit.*

Templum Karolinum hodieque ſuperat, vivamque fundatoris imaginem ſaxo inſculptam in aditu cœmiterii oſtentat. In frontiſpicio templi litera A expreſſa apparet, quam incolæ, ex relatu majorum, affirmant denotare, collegium Eresbergianum primum eſſe ex illis quæ Karolus magnus amplificandi cultus divini cauſſa certo numero ſtruxit: ſicut inter reliqua Latinorum elementa A primum ſibi vendicat locum. Quæ relatio cum hiſtoricorum fidem merentium monumentis comprobetur, facile mihi perſuadebitur. Addam autem quorundam noſtratium ſcriptorum teſtimonia, ut res illuſtrior ſit. Gloſſator ſpeculi Saxonici ad libri 3. articulum 82. *Karolus ad numerum literarum alphabeti cœnobia fundavit, & in unoquoque per ordinem unam literam alphabeti de auro fabricatam, plus quam 100. libras Turonenſes valentem reliquit: quæ literæ adhuc in pleriſque monaſteriis reperiuntur.* Chronicon Belgicum magnum pag. 44. *Karolus Imp. ad numerum litterarum apbabeti cœnobii fundavit, & in uno quoque per ordinem literam ex auro fabricatam, plus quam ducentas libras Turonenſes valentem reliquit: ut ex ordine literarum tempus fundationis cujuslibet monaſterii recognoſceretur.* Huldricus Mutius Chron. rerum Germanicar. lib. 8. *Monaſteria Karolum ſcribunt fundaſſe, ut ita loquar, ſecundum numerum alphabeti literarum & in ſingulis monaſteriis ſingulas aureas literas depoſuiſſe.* Rudolphus Hoſpinianus de origine templorum lib. 1. cap. 6. *Referunt de Karolo, quod tot monaſteria & templa extruxerit, quot Latinorum elementa ſint, & cuilibet elementi vocem indiderit.* Hæc malui auctorum, quàm meis verbis exponere, cum nonnihil inter ſe diſcrepent. Litteram A etiamnum Merſpergenſes ſuis, quos cudunt, numis imprimunt.

Collegium Eresbergenſe ſimiliter adhuc perdurat, habetque Præfectum (vulgò Præpoſitum vocant) ex ordine equeſtri, cujus confirmandi poteſtas eſt penes Principem Corbeienſem.

Quod Iſenacenſe Chronicon affirmat, Eresbergi templum à *Pipino*, Karoli M. parente, conditum eſſe, nullam fidem meretur, quamvis in centurias Magdeburgenſes irrepſerit. *Dancmarum* Henrici Aucupis Cæſaris F. ibi ſepultum ſcribit Georgius Fabricius Origin. lib. 3.

CAPUT XII.

De Eresbergo opido ejusque Hiſtoriâ.

CHronicon Saxonicum vetus anno 1492. Moguntiæ excuſum (quibusdam ab urbe, in quâ ab homine plebejo, quod res & verba arguunt, compilatum eſt, Brunſuicenſe dictum) affirmat poſt domitam Galliam à C. Julio Cæſare, cui ineptè regis Romanorum titulus adſcribitur, de nomine ſeptem Planetarum in Germaniâ Transrhenanâ verſus Septentrionem oportunis locis totidem arces fundatas eſſe. Inter has primo loco in Weſtvaliâ in edito monte conſtructum *Marſpurgum*, Marti, cujus idolum ibi poſitum ſit, conſecratum, &c. Sed hoc tanquam frivolum inepti ſomniatoris commentum irrident, Crancius Saxoniæ lib. 1. cap. 25. Fabricius Originum lib. 1. Refutat ſolidè & accuratè Petrus Albinus Chronici Miſnenſis titulo 11. Credibilius eſt Romanos rerum dominos, poſt ſubjugatam Galliam Germaniæ inhiantes, oportunum faciendis excurſionibus & devictis in officio retinendis primos ibi erexiſſe propugnaculum. Deficiente autem Imperii Romani auctoritate & potentiâ, reges Francici, ut cæteras regiones vicinas, ſic illud etiam præſidium ſui juris fecere, atque ex eo debellarunt Saxones. Qui cum deinceps contra *Thuringos* & *Vinulos*, ſive *Slavos*, ſubinde Francis operam navarent, fortè Eresbergum, vel dono acceperunt, vel Francis multitudine hoſtium laborantibus vi extorſerunt. Certi nihil hîc definire licet, neque de origine ſuperſtitionis atque Idolomaniæ iſthic cœptæ & ſtabilitæ quicquam affirmare

poſſum.

poſſum. Munſterus conjicit à Romanis ſuperſtitionem promanaſſe, verba ejus ſunt: *Putantur Saxones per Romanos, maximè per Druſum aut per Germanicum, qui ſub Auguſto hanc provinciam ſibi ſubjugaverunt, Deorum varias culturas ſuſcepiſſe.* Chronicon Saxonicum omnia fabuloſè refert ad Julium Cæſarem. Hoc, quemadmodum ex veritate hiſtoricâ ſuprà demonſtravi, conſtat Karolum M. ex decreto conventus Wormatienſis bellum Saxonicum aggredientem primô hunc locum, in quo ad rem feliciter gerendam, multum erat momenti, ſibi delegiſſe expugnandum. Erant tum temporis, ut Ertwinus Ertmannus, conſul Oſnaburgenſis Chronico ſuæ diœceſis ſcribit, *tria præcipua & eminentiora caſtella* (retineo verba autoris) *videlicet* Herisburg *in Saxoniæ Haſſionumque ſitum confinio*: Sigiburg *ſuper Ruram fluvium poſitum, &* Iburg: *quod ex jucundo ſitu terrarum egregium fuiſſe nemo dubitet.* Hæc propugnacula Karolus ſui juris fecit, non tamen uno eodemque tempore, ſed per intervalla. Ad Eresburgum ex animi ſententiâ egit, quod voluit, labefactatâ per primam victoriam magnâ præſentis potentiæ & fiduciæ ulterioris parte: religione planè peſſundatâ. Saxones ad inopinatum infortunium exanimati, cum victore pacem fecerunt, datis obſidibus: ſed quod libertati, quam in periculo videbant, plurimùm metuerent, per abſentiam regis Karoli præſidiarios, in arce relictos tamdiu oppugnando fatigarunt, donec ſe dederent: quo facto muri à victore circumducti, à Saxonibus diruti ſoloque æquati ſunt. Tertio belli anno Karolus in Saxoniam reverſus Eresbergum, tanquam locum munitioni perquam idoneum, denuo & firmius, quàm antea, inſtauravit: ſed in ſequenti anno (fuit is 776) Saxones per vim iterum eo potiti ſunt. Regino tamen lib. 2. & auctor vitæ Karoli M. Anonymus, qui MS. extat in monaſterio S. Gothardi in inclyta Hildeſia, lib. 3. c. 9. diſſentientes, oppugnatum quidem, ſed non expugnatum Eresbergum ſcribunt, quod prodigio duorum clypeorum, ſanguineo colore flammantium conſternati Saxones, re infecta abierint. Auctor vitæ Karoli, quem dixi, ſic loquitur: *Alio quoque tempore prænominato victorioſiſſimo & Chriſtianiſſimo Rege, poſt captivitatem & decollationem Rotgandi, nefandiſſimi tyranni, in Franciam reverſo & de negociis ſanctæ Eccleſiæ & Regni fideliter & prudenter diſponente, Saxones cognita ejus abſentia; more ſolito ruptis ſacramentis, in unum conglobati, Heresburg caſtrum aggrediuntur, fraudulenter Francis ſuadentes, ut de caſtro exeant, & cum pace in patriam pergant. Sed cum illi fallacibus monitis minime aſſenſum præberent, machinas præparant, munitionem obſidione cingunt, & ſummis viribus certant, ſed nihil proficiunt. Quadam itaque die, cum iterum redivivo certamine bellum præparâſſent, apparuit Dei gloria manifeſte ſuper domum eccleſiæ, quæ erat infra caſtrum, videntibus multis, tam Chriſtianis, quam paganis. Nam duo ſcuta apparuerunt ſuper præfatam eccleſiam ſanguineo colore flammantia & velut in prælio quibusdam motibus agitata. Itaque pagani hoc ſignum aſpicientes, timore & formidine repleti, mox in fugam converſi ſunt, & in tantam amentiam devenerunt, ut ſtrictis gladiis mutuis ſe armis confoderent. Quanto vero illi pavore perterriti tanto amplius Chriſtiani confortati, omnipotentem Deum laudabant, qui ſalvos facit ſperantes in ſe.* Hactenus vita Karoli. Mentionem prodigii hujus faciunt etiam verſiculi de Karolo ſcripti:

Divino clypei ſuper urbem ſole rubentes,
Abſterrent hoſtes converſa cæde furentes.

Quicquid ſit, Karolus poſt paucos menſes rediens, Eresburgum non tantum porro munivit, ſed aliud etiam in ripa Lippiæ contra excurſiones hoſtium propugnaculum extruxit. Scriptores coætanei nomen non exprimunt. Henricus vero de Hervordia, quem ſequitur Rolevincius, Bechtelar appellatum ſcribit, & prius Widechindi regis fuiſſe. Nomen id interpretor ſedes ſive caſtra pugnæ. Nam Bechten priſcis Germanis eſt prælio decertare: Ler vero, vel Lar/ ſedes vel caſtra ſignificat, voce Leger vel Lager diſſyllaba more Germanico in monoſyllabam contracta. Sic Bredelar/ de quo infra, ſignificat caſtra lata: Frislar/ cujus meminere Annales Francici ad annum 774. caſtra pacis: Goßlar/ caſtra ſive habitationem ad Goſam fluvium.

Sed

Sed ad Eresburgum redeundum. Id à proſtrema occupatione, Saxonibus Occidentalibus, in Karoli poteſtatem paullatim concedentibus (Jam enim primores gentis regi Francorum ejusque filiis, totique regno fidelitatem & obedientiam juraverant) ab omni præterea rebellione & injuria ſe abſtinentibus, ampliari, publicisque ædificiis & privatis exornare cœpit. In illud juſſu Karoli conceſſit *Sturmio*, aliis *Sturmus*, Norica provincia oriundus, primus Abbas Fuldenſis, cum contra Orientales Saxones bellum redintegraretur: ſed quod ætate fractus & invalidus, morbo etiam langueſceret, cum Wintero Karoli medico, cujus in cura aberrationem experiebatur, inde ad ſuos reverſus eſt, paulloque poſt, anno 779. oddormivit, ut Ægil habet, Abbas Fuldenſis in vita Sturmionis. Repetit inde Chriſtophorus Browerus Annal. Fuldens. lib. 3. cap. 5. Rediit Eresburgum Karolus anno ſequenti, commoratusque ibi diebus aliquot, acceſſit ad fontes Lippiæ, hodie Lipſpringe. Quinquennio poſt iterum Eresbergi fuit. Cum enim *Luidæ* ad *Ambram* fluvium, in agro Padibornenſi natalem Domini celebraſſet, paulloque poſt *Remam*, ubi Wernæ & Viſurgis confluens, inde in ulteriorem Saxoniam progreſſurus, perveniſſet, ne Viſurgim transiret, magnitudine hyemis, concitaque effuſi fluminis inundatione prohibitus eſt. Rediit ergo Eresbergum, eoque *Faſtradam* conjugem *Rudolphi* Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium Wormatiæ ductam, cum primogenito *Ludovico*, cæterisque filiis & filiabus ad ſe venire, præcepit. Aderant ipſi præſidii cauſſa virorum fortiſſimorū juxta etiam fidiſſimorū cohortes aliquot, quas in agrū hoſticum ſubinde emittebat, non raro ipſe educebat, tota iſta hyeme ſolito aſperiore, quibus poterat modis, vicinos impreſſionib⁹ fatigans, donec appetente vere, cum conjugē prius alio ablegaſſet, ad conventum Padibornenſem ſe conferret. Hyems iſta Eresbergi transacta peperiſſe Saxonibus dicitur *jus Weſtphalicum*, quod alii *Vemum* ſive *Vemium* vocant; Crancius Saxon. lib. 2. cap. 21 appellat *occultum*, quem ſequitur Munſterus Coſmogr. lib. 3. cap. 456. Franc. Irenico Exeg. lib. 12. dicitur *Lex Sicambrica*, quod Weſtphalii idem ipſi cum Sicambris: vulgo Vehmrecht. Teſtis Wernerus Rolevincius, cujus hæc ſunt verba, per quam notatu digna, Antiq. Saxon. parte 2. cap. 6. *Hoc anno hyemavit Rex in Saxonia, ſimul proponens in ea manere, donec totaliter Chriſtianæ religioni ſubderetur, & feculenta progenies perfidorum tolleretur. Erat hic hyems lugubris multum imbellibus, quia ſæpe fiebant de juſſu regis expeditiones ad vaſtanda loca illa, ubi ſe continebant, & flammis ac cladibus ſpoliisque diſtractis cuncta perierant, ut jam non eſſet ſpes reſiſtendi. Hanc extremam ſeveritatem cogebatur pius Rex miniſtrare cum multo dolore cordis ſui, propter nimiam pertinaciam ipſorum, qui nec Francis, nec Saxonibus converſis pepercerunt. Interea, ut fertur, miſit Rex legatum Romam ad Leonem Papam pro conſilio habendo de rebellibus iſtis, quos nulla poterat diligentia ex toto compeſcere aut exterminare. Aſt ſanctus vir audita legatione nihil prorſus reſpondit, ſed ſurgens ad hortulum ivit, & Zizania cum tribulis colligens ſupra patibulum, quod de virgis fecerat, ſuſpendit. Rediens autem legatus hæc Karolo annunciavit, qui mox* JUS VETITUM *inſtituit, quod uſque in præſens* veme *vocatur. Videtur autem hoc nomen tractum à Latino, & ſicut quidam de more habent etiam Teutonici, ut dicant* We mi/ *quando aliquid triſte vel terribile vident, vel audiunt, quaſi,* væ mihi! *Sic hoc pragmatico & formidabili & peremtorio jure promulgato, ilico reſponderunt,* We mi/ *quaſi animo conſternati pro tam ſevera conſtitutione palam ſancita.* Hactenus Rolevincius ex quibuscunque etiam auctoribus iſta habuit. Huic quoad Pontificis conſilium aſtipulatur Caſpar Fachius, Politica Liviana, Errore 23. *Cum Carolus M.* inquit, *de Saxonibus toties rebellantibus Leonem III. conſuleret per Legatos, refertur Papam eos introduxiſſe in hortum, & radicitus evulſis Zizaniis, impoſuiſſe ea furculis, in modum patibuli erectis, ſanguinarium ſuum reſponſum hoc facti ambage reddens. Unde imperator conjectans, quid per ambages ſibi vellet, inſtituit judicium occultum Weſtphalicum,* das Heimliche Weſtfaliſche Gericht/ *quo quiſaltim ſuſpectus erat defectionis, à clandeſtinis judicibus clam è medio tollebatur.* Cæterum Judicii vetiti, quod merito mireris, apud ſcriptores iſtius ſeculi, qui quidem ad nos pervenerunt, nulla mentio. Elapſis tamen ſeculis duobus, ac fere dimidio, meminit ejus Wippo, Capellanus Conradi II. Imp. cognomento Saliqui, dum in hujus vita cap. 6. ita ſcribit: *Reverſus Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi Legem crudeliſſimam Saxonum, ſecundum voluntatem eorum conſtanti auctoritate roboravit.* Per Saxoniam autem intelligit Veſtualiam, quod notum. Meminit ejusdem Judicii, ex ſat longo tamen intervallo, Henricus de Hervordia, qui ſub Carolo IV. vixit, cujus ſimiliter en ipſa verba:

ba: *Karulus in patriam, de qua antiquos Saxonas fugaverat ultra Wiſeram, de Franci^a, Eſſlaba, Hasbania & Ardania populum novum introducens, terram eis dedit perpetuo poſſidendam: ſic tamen, quod regionis totius proprietatem de eo dederit, ut videlicet patriam illam in fide Chriſti & fidelitate Regis manutenerent, propter quod &* Legem ſecreti judicii, *quod patria illius lingua* Veme *dicitur, ſtudens regionem ipſam expurgare furtis, quod terra ſalinoſa ſit, & latibunda, perjuriis etiam & proditionibus & aliis talibus, ſibi crebro compertis, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter inter Rhenum & Wiſeram obſervari ſancivit.* Inter recentiores primus, quod ſciam diſerte aliquid explicavit Æneas Silvius, Cardinalis Senenſis, poſtea Romanus Pontifex, Pius II. lib. de ſtatu Europæ ſub Frid. III. Imp. cap. 29. *Karolus M.* inquit, *multa cum Weſtphalis prælia geſſit, eosque magnis affecit cladibus, coëgitque Chriſti religionem amplecti relicto idolorum cultu: quam cum ſæpius abnegaſſent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœnæ rebellionem compeſceret, occultos inſtituit judices, quibus poteſtatem dedit, ut quamprimum dejeraſſe aliquem comperiſſent aut fregiſſe fidem, aut aliquid aliud flagitium commiſiſſe mox illum ſupplicio afficerent, ubi primum comprehendi poſſet. nulla citatione prævia, aut defenſione præmiſſa. Elegit* viros graves & recti amantes, *quos plectere innocentes haud veriſimile fuit. Terruit ea res Weſtvalos, ac demum in fide continuit: cum ſæpe in nemoribus, & proceres, & mediocres viri laqueo ſuſpenſi invenirentur, nulla accuſatione prius audita. Quærentibus tamen cauſſam, conſtabat fregiſſe fidem, aut magnum aliquod ſcelus commiſiſſe qui necati reperiebantur. Id judicium ad noſtram usque perdurat ætatem vocaturque* VETITUM. *Qui præſunt* SCABINI *appellantur, quorum præſumptio eſt, ut per totam Germaniam juriſdictionem exercere velint. Scriptos habent ritus & arcana quædam, quibus malefactores judicant. Ea nondum quisquam repertus eſt, qui vel precio vel metu revelaverit. Ipſorum quoque Scabinorum magna pars occulta eſt: qui per provincias diſcurrentes criminoſos notant, & referentes judicio accuſant, probantque, ut eis mos eſt: damnati deſcribuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus ſuæ damnationis, ubicunque repertus fuerit, ſupplicio afficitur.* Silvio ſubjungo Paullum Æmilium, qui iſta habet lib. 3. de rebus geſtis Francor. *Ultima mala meriti erant toties victi* (Saxones ſive Weſtphali) *toties fidem ludificati. Traduci decumari, internecione deleri poterant: pacem Auguſtus* (Karolus) *dedit. Dati Magiſtratus ad jus palam dicendum, unde provocaretur ad Auguſtum. Sed & ſanctius arcanumque delectiſſimorum integerrimorumque virorum Concilium ſine provocatione inſtitutum. delectique pari ſanctitate velut ſpectatores, qui cæteris omnibus ignaris, Veſtfaliæ opida vicosque ac conciliabula circumirent, moresque & dicta cujusque factaque notarent: acquemcunque perjuriis perditæve religionis reverſi in Concilio coarguiſſent, ſine interceſſione primo quoque tempore, ubicumque comprehendi poſſet, necaretur. Nemini ſua dignitas ſuffragabatur: ſummi infimique prius laqueo ſuſpenſi conſpiciebantur, quam reſ fuiſſe audiebantur: Quemquisque tam ignominioſo genere ſupplicii affectum videbat, hic violatæ fidei pœnas dat, dictitabat. Hic novi exempli metus eam gentem & Numinis & Auguſti reverentiorem effecit Judices ſpeculatoresque rem totam, notasque quibus reus coargueretur, tam ſancte occuluere, ut cum Carolo Auguſto defuncto idem inſtitutum vigeret, nullis unquam minis, nullo malo adduci potuerint, ut enunciarent.* Paulli Æmilii ſententiam recepit Ioan. Cuſpinianus in vita Karoli M. Silvii verba repetit Felix Faber monachus Ulmenſis Hiſtor. Suevor. lib. 1. cap. 7. & poſt eum Joannes Boëmus Aubanus deſcript. orbis terræ lib. 3. cap. 14. Munſterus Coſmogr. lib. 3. cap. 456. Jac. Spigelius Comm. in lib. 1. Ligurini. Georg. Torquatus Chronico Magdeb. & Halberſtad. MS. lib. 3. cap. 8. Ubbo Emmius de Friſior. orig. lib. 4. Addam iſtis etiam locum Aventini, ex lib. 4. Annal. Bojor. ubi, diſcedens à Rolevincio, ſanctionem hanc collocat in annum 794. quo tempore Colonia Saxonum in Galliam traducta eſt. Verba Aventini ſunt: *Cuncti Tranſalbiani cum liberis, uxoribus, mancipiis, in Franciam tranſlati: eorum ſedes Abotridis Venedis, antiquisſimis & conjuratisſimis Francorum ſociis attributæ ſunt: perpauci ad Cimbrorum Regem profugere. Decemque tum millia Saxonum librorum, cum parvis pignoribus, conjugibus, ſervis, per cæteras pasſim Germanias diſtributa ſunt. In quorum domicilia gravisſimi quique delecti, vitæ & morum probitate inſignes, ex omni Germania tranſlati, penes quos foret arbitrium & poteſtas animadvertendi etiam indicta cauſſa, in pacis & fidei violatores religionisque deſertores. Inde Jus, ut vocant,* Weſtophalenſe *derivatum, ſilentio & taciturnitate ſacroſanctum Judices, quos* CONSCIOS *nuncupant neſcio*

quibus ceremoniis initiati ſe invicem agnoſcunt. Porò profanis ritum prodere religio eſt, & pro piaculo habetur. Neq; quisquã adhuc omniũ inventus eſt qui hujusmodi myſteria evulgarit. Hucusque Aventinus. Qui vero hic *conſcii* vocantur, eos Jacobus Spigelius loco adducto vocat die Wiſſner / Vigularius Hundius im Bäyeriſchen Stambuch / in explicatione vocum veterum, die Wiſſende. Si Rolevincii aſſertio fidem meretur, vero-ſimile eſt, Nemeſin hanc, ſive conſtitutionem Karolinam, Eresbergi deliberatam, Padibornæ verò in Comitiis, de quibus ſuprà dixi, ordinibus Francicis & Germanicis ſuffragantibus, ſolemni modo promulgatam eſſe.

Quæri autem poteſt, cur jus à rege Chriſtianiſſimo ſancitum, tam Æneas Cardinalis, quàm Rolevincius aliique VETITUM appellare, auſi fuerint? CL. Freherus σφάλμα librarii agnoſcit, cenſetque ſcribendum VEMUM vel VEMIUM, additque ſe olim putaſſe legendum VITUTUM, quam ſententiam priori poſtponit. Ego verò eam minimè dimitto: ſic tamen ut malim VITIUM ſive WITTIUM. Witt veteribus Germanis idem eſt, quod prudentia, teſte Lipſio centur. 3. Belgas Epiſt. 49. & auctore etymologiarum nominum Germanicorum, quod opuſculum quidam volunt eſſe Dn. Lutheri. Cum Lipſio facit Petrus Albinus, qui in progymnaſmatis hiſtoriæ Saxonicæ pag. 200. affirmat *Witta* vocabulum ſignificare principem ſapientem. Idem in Aulæo Vetero-Saxonico pag. 161. de hoc eodem Wittâ Saxonum rege,

Witta *ſubit, certis cui dat* ſapientia *nomen.*
Ominibus. ---- ---

Nec ignoravit hoc Suidas Græcus: nam in vocabulo *Amalaſintha* ſcribit, nomen *Amalſuida* idem eſſe, quod ἱερομαντὶς ἡ ἱερόσοφος, cœleſti prædita ſapientia. Atqui hoc eſt noſtrum Himmels witte. Quod non animadvertit doctiſſimus Melanchthon, dum lib. 3. Chr. Amaloſuntha interpretatur Amalorum Schönheit. A vocabulo Witte nomen habet *Vitiges* Gothorum rex, Procopius lib. 1. de bello Goth. *Witta* rex Saxonum & ejus F. *Witgiſlus* pater Horſæ & Hengiſti, qui primi colonias Saxonum in Britanniam deduxerunt, Beda hiſtoriæ eccleſ. Angl. lib. 1. cap. 15. *Witigo* Epiſcopus Miſnenſis, Fabricius Annal. urbis Miſnæ lib. 2. *Witbertus* Comes, Regino lib. 2. *Witigowo* abbas Augienſis, Bruſchius de Monaſter. *Witirichus*, Jornandes lib. 2. *Witgerus* Epiſcopus Metenſis, Regino lib. 2. *Witradus* abbas Fuldenſis, Bruſchius ibidem. *Witigaſt* dictator legis Salicæ, Sigebertus Gemblacenſis. *Witfridus* F. Edvini regis Saxonum in Angliâ, Fabricius Orig. Sax. lib. 1. Ab hoc vocabulo nomen etiam ſumſit *Witticbindus* rex Saxonum; præterea *Witili*, *Wittold*, *Witolf*, *Withilt*, *Witwar*, *Witpurc*, nomina priſcis Alemannis, Melchior Goldaſto Heiminsfeldio Alemannicar. antiquitat. tomi 2. parte primâ teſte, uſitata, ejusdem ſunt originis. Erit igitur judicium Weſtvalicum, non *Vetitum* ſed *Wittium*, hoc eſt, prudens, vel hominum prudentiâ præditorum. Paullus Æmylius vocat *conſilium ſanctius arcanumque delectiſſimorum integerrimorumque virorum*: Silvius *virorum gravium & recti amantium*: Aventinus *graviſſimorum quorumque delectorum ac vitæ & morum probitate inſignium ex omni Germania*:. Ertwinus Chronico Oſnaburgenſi, *nobilium, legalium & virtuoſorum.* Cuſpianus in vitâ Caroli M. *delectiſſimorum & integerrimorum.* Et tale ab initio, & aliquod poſt ſeculis fuiſſe nullum eſt dubium: eoque inclinat etiam rerum Saxonicarum ſcriptor diligentiſſimus David Chytræus, cujus verba ex lib. 3. Saxoniæ coronidis loco ſubjiciam. *Inſtituit clandeſtina judicia Karolus M. ſapienti deliberatione & gravibus cauſſis adductus. Cùm enim gens Weſtvalica amans libertatis, jugum imperii ægrè ferret, & nihil non moliretur, ut excuſsâ Epiſcoporum & regum Romanorum dominatione, priſtinum libertatis decus reciperet: Karolus M. aliquot* viros honeſtos, ſapientes & induſtrios *ſecretò delegit, eosque hac potentiâ armavit, ut, quoscunque certò cognoſcerent & deprehenderent rerum novarum & moliendæ turbationis imperii, aut ſeditionis cupidos & auctores eſſe, ſine longiore diſputatione ſtatim mulctarent. Hac ſeveritate tunc ad reprimendos turbulentorum hominum ſeditioſos conatus uti neceſſe fuit.* Sed addit: *Poſtea, ut omnibus bonis rebus, ut nomine & verbo Dei, ut magiſtratu, conjugio, vino, abuti homines, & ſcelera ſua miſcere conſueverunt, ita non negabo, in his occultis judiciis aliqua inconſideratiùs & injuſtiùs facta eſſe. Sed genus ipſum judicii, ut à Karolo M. ordinatum eſt, non vituperari poſſe, declarant etiam re-*

centio-

centiorum Imperatorum Friderici III. & Maximiliani I. conſtitutiones. Hactenus Chytræus. Ubi ad ultima verba Chytræi noto, Judicium Weſtvalicum jam dictum, ab Impp. ſubſeqvutis, etiam poſt ejus abuſum, nunquam abrogatum, aliquando faltem reformatum fuiſſe, donec in deſvetudinem prorſus abiret. Nam à Conrado Salico Weſtvalis petentibus confirmatum ſupra ex Wippone monui. Anno vero 1439. abuſu jam invaleſcente Theodoricus Colonienſis archi-præſul reformationem Judicii ſcripto comprehenſam Sigismundo Imp. in Comitiis Auguſtanis exhibuit, quam ille ratam habuit. Eam ipſam vero innovavit Imp. Fridericus III. in Comitiis Francofurtenſibus, atque ut ad præſcriptum Karoli M. prædeceſſoris ſui judicium illud per viros prudentes & expertos, non deſpectæ aut illegitimæ originis, nec perfidos aut ſervilis conditionis homines exerceretur, edicto cavit. Idem demum fecit Maximilianus I. Imp. Conſtitutione illa peculiari in comitiis Wormacienſibus anno 1495. promulgata, qua & Sigismundi & Friderici III. conſtitutiones laudat ratasque habet.

CAPUT XIII.

Quomodo Eresberga ad Saxones redierit.

POſt obitum Ludovici Pii, Karoli M. filii, cùm heredes ejus regnum paternum inter ſe partirentur, Eresbergum cum totâ Saxoniâ tranſiit in poteſtatem *Ludovici Germanici.* Quo ſub annum Chriſti 876. defuncto, novaque inter filios heredes, Carolomannum, Ludovicum & Carolum Craſſum, regni paterni diviſione inſtitutâ, Ludovico obvenere Franconia, Thuringia, Saxonia, Friſia & pars Lotharingiæ. In hujus matrimonio fuit Lutgardis Ludolfi Ducis Saxonici filia. Deceſſit Ludovicus ſine herede anno 882. Per quam occaſionem, reliquis Karoli M. poſteris bellis civilibus mutuo ſe atterentibus Saxones, provincias cis Rhenanas paullatim ſui juris ditionisque fecere, & in his famoſum Eresburgum. Poſſedit illud Otto, magnus Dux Saxoniæ, Ludgildæ reginæ frater, & poſt eum Henricus Auceps filius. Huic ad ſumma nato omnique virtute principe digna excellenti, ſupra modum infeſtus erat Conradus Imp. ideoque fratrem Eberhardum *Franconiæ Ducem* ipſi immiſit, urbemque Eresbergum, in quô Saxo cum ſuis hoſtem exſpectabat adoriri juſſit. Fecit ille imperata quærens adverſarium: qui cùm conſultò non compareret, ſuperbè ei Francus inſultabat, exprobrans Saxonibus indignam bellicosâ gente timiditatem, quòd mulierum inſtar mœnibus fiderent, intraque vallum deſidentes, hoſtis aſpectui ſe oſtendere formidarent. Quo ſermone vix prolato, Saxones improviſò hoſti incubuere, tantamque gravi diuque ancipiti prælio commiſſo, ſtragem ediderunt, ut per jocum mimi canerentur Saxonici:

Tantus ubi infernus, qui cæſos devoret omnes?

Fabricius in Originib. Saxon. lib. 2. habet de hac re dimetros Jambicos, lingva Saxonica per jocum cantari ſolitos. Contigere hæc anno 916. In deſcriptione hujus memorabilis victoriæ iterum graviter impingunt, tàm Fabricius, quam Spangenbergius. Nam ille pugnatum ſcribit ad Harceburgum, ubi *Pæla* Benedictinorum monaſterium poſtea conditum (eadem habent centuriæ Magdeburgenſes) hic iterum *Mersburgum ad Salam* inculcat: cùm tàm Widechindus, quàm Ursbergenſis diſertè loquantur de Eresburgo veteri propugnaculo Tranſveſerano, hoc eſt Weſtvalico: neque diſſentiat Crancius Saxon. lib. 2. cap. 1. Addunt præterea omnes Henricum Saxonem, poſt inſignem victoriam recepiſſe ſe in *præſidium Grona*, ut Widechindus lib. 1. vocat: Auctor vitæ S. Godehardi â Browero editus *caſtellum* nominat part. 2. cap. 6. Auctori vitæ Meinwerci, Urſpergenſi & Crancio ſcribitur *Gruona*: diplomata veterum Impp. habent *Gruonaba.* Id vero nemo intellexerit cum Fabricio de *Gruninga*, opido ad Bodam fl. Epiſcopatus Halberſtadenſis arce & præfectura primaria: cum *Grona* adhuc ſuperſit in ripa Viſurgis Occidentali, peculium hodie Ducum Brunſvicenſium, olim locus mortualis Henrici Claudi Imperatoris, qui eodem in loco anno MXXII. duobus ante obitum annis S. Godehardum abbatem, Epiſcopum conſtituit Hildeſienſem, ut habet Auctor vitæ S. Godehardi loco adducto cap. 1.

Henrico Aucupe defuncto filioque *Ottone* ad faſtigium Imperii evecto, frater

ejus

ejus germanus *Henricus*, poſtea *Bajoariæ Dux*, cognomento *Rixoſus*, cum reliqua Saxoniâ ultra Viſurgim Eresbergum in poſſeſſionem accepit. Exceſſerat nondum ille tum temporis ex ephebis, juſſuque fratris Cæſaris educabatur Eresbergi. Otto autem civili tumultu, rebellantibus nimirum Imperatori, *Dancmaro* Aucupis filio, & *Eberbardo* Franconiæ Duce, perduelles Eresbergum in ſuam poteſtatem anno 937. ut colligere eſt ex Dithmaro redegerunt, Henrico regio adoleſcentulo contra morem Germanicæ gentis in vincula conjecto. Hæc Gobelinus ætate 6. cap. 48. ubi addit urbem *Trotmundam* (Henrico Claudo Imp. in diplomate quodam eſt *Druthmannia* Continuatori Reginonis ad annum 953. *vicus Drotmanni*: Ditmaro pag. 64. *Throtmunni. Trotimania* eſt in diplomate Ottonis 3. Imp. ad annum 993.) quæ hodie *Tremonia*, urbs Imperialis, eidem Henrico fidelem fuiſſe. Variat Widechindus & exſcriptor ejus Urſpergenſis, aſſerens Henricum adoleſcentulum in præſidio *Badilicenſi*, de quo ſuprà, captum, inſtarque vilis mancipii habitum. Verùm non diu retinere Eresbergum potuit Dancmarus: nam Otto Cæſar de vi & injuriâ fratri indignè illata edoctus; inaudiens etiam de excurſionibus & rapinis, quas rebelles ſubinde committebant, cum exercitu illuc venit, atque è veſtigio ab opidanis, quibus propter importunitatem & proterviam intolerabilem novus iſte dominatus inviſus erat, cum copiis intromiſſus eſt. Quod intelligens Dancmarus, in templum ejus loci, ob memoriam Leonis 3. Pontificis maximi, à quo juſſu Karoli Magni in honorem *Divi Petri* apoſtoli conſecratum erat, omnibus venerabile habitum, ſeſe abdidit. Milites regii, intellecto ubi hoſtis eſſet, non exſpectatâ Cæſaris voluntate, impetum fecerunt in locum ſacrum effractiſque templi foribus, Dancmarum invenerunt ſuplicem, cingulo & torque aureâ depoſitis, aram ac ſimulacra ſanctorum tenentem: cui *Ditboldus*, *Cobbonis* Comitis *Tecklenburgici* filius nothus, primum vulnus inflixit: quem inſequens *Mencia*, ſive *Meinbardus* qvidam, per feneſtram aræ proximam ſariſsâ eum trajecit. Sic vitæ finem & ſepulcrum infelix Dancmarus Eresbergi invenit. De caſu iſto temerario fratris ſæpe conqueſtus eſt Cæſar, & tali ejus interitu doluit: nec ex interfectoribus quiſquam evaſit, qui ſit cum honore & placide mortuus: nulli etiam poſtea nomen Dancmari fuit ex filiis Imperatorum impoſitum, ut Georgius Fabricius annotavit: qui etiam Originum lib. 2. ſcribit ſtatuam Irmi, ſive Martis, quæ Eresbergi ſervata erat memoriæ non vetuſtatis cauſſa, tum ſimul ſublatam eſſe regis Ottonis juſſu. Vetus Chronicon Saxonicum, Coloniense, & Cuſpinianus in hiſtoriâ Ottonis I. Imp. *Danquardum* vel *Tanquardum* nominant, quem alii *Dancmarum*, quorum hoc noſtrum Danckmeier / illud Danckwert.

Hoc loco, propter Cæſares Saxonicos, qui iſto ævo cum imperio fuere, operæ pretium exiſtimo, ut aliquid addam de *Palatinatibus*, ſeu *Palantiis civitatibus*, de quibus Speculum Saxonicum, loco citato, ſequentia refert: *Quinque civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitime debet curiis præeſſe. Prima dicitur* Grona: Werlitz *ſecunda, quæ modo in Goslariam translata eſt*: Walhauſen *tertia*: Alſtede *quarta*: *quinta* Merſeburg *nominatur.* Hæc ibi. In hiſce Palantiis urbibus commoratos frequenter Saxonicos Impp. oſtendunt Datæ Diplomatum Auguſtalium plurimæ. De *Grona* autem ad Viſurgim fl. dixi paulo ante. Pro *Werlitzio* in Speculi Saxonici quibusdam exemplaribus legi *Werl abam* teſtatur Chriſtoph. Browerus Scholiis ad vitam S. Bernwardi. Unde ſuſpicari poſſis intelligi *Werlam* diœceſis Colonienſis, quæ Widechindo Corbeienſi & Gobelino in Coſmodromio *Werlaon*, Ursbergenſi cum aſpiratione *Werlahon* dicitur: ubi tempore impreſſionis Hungaricæ, alibi intutus, ſedit Henricus Auceps, ut Widechindus monachus & alii plures ſcribunt. Ejus loci Palatinatus ſine dubio per hanc occaſionem translatus eſt Goslariam, quod huic urbi, recens ab Henrico primo Cæſare conditæ ab ejus nominis ſecundo amplificatæ à tertio & quarto ut plurimum habitatæ, aliquis ex his, quicunque ille, nonnihil ſplendoris conferre voluerit. Cui absque dubio in mentem venit, quod præter Werlenſem Saxonia Trans-Veſerana haberet Merſeburgenſem. Nam *Merſeburgum* quintam civitatem Palatinam, ſeu Palantiam, intelligo de noſtro *Eresburgo*, quod quibusdam hoc nomine venit, ut ſupra pluribus demonſtravimus. Sic igitur Eresbergo indultus fuit honos ſedis Palatinæ, vel à Karolo M. qui ut Fabricius Originum Saxon. lib. 1. affirmat *Albionem Edelbardi F. Diterici Saxonum*

Regis

Regis nepotem, primum in Saxonia Palatinum conſtituit: vel (quod mihi veriſimilius) à Saxonici generis Cæſaribus, ſive is fuerit Henricus Auceps, ſive ejus F. Otto Magnus. Nec mirum videatur cuiquam, in Speculo Saxonico uſurpari nomen civitatis de iſtis locis, quæ tunc temporis (uti etiamnum hodie *Grona & Walbuſium*) vix fuere opidula, Burgi tantum, hoc eſt, arces, caſtella & præſidia oportunis locis condita. Nam & Ditmarus lib. 4. *Walbecum* præfecturæ Wevelingenſis pagum Helmæſtadio vicinum *civitatem* vocat: Chronicon Halberſtadenſe MSC. *Ilſineburgum* nominat *civitatem* donatam Arnulpho Epiſcopo Halberſtadenſi ab Henrico Claudo Imp. Et in veteribus inſtrumentis fundationum donationumque monaſticarum pluries deprehendi *pagorum incolas cives indigitari*. Si quis vero à nobis diſſentire, & quintam ſedem Palatinam ad Salam Thuringicum, ubi hodie Mersburgum civitas Epiſcopalis, collocare velit, ſecutus Erneſtum Brotufium Chronici Mersb. lib. 1. cap. 10. ei oppoſuerim, Weſtvaliam, quæ Crancio Saxon. lib. 1. cap. 3. lib. 4. cap, 14. *vera & vetus Saxonia* (etſi Suffridus Petri de Friſiorum antiquitate, lib. 2. id neget & perneget) cum porrecta & populoſa ſit regio, minime gentium ſede Palatina ſpoliandam. Præterea non fit veriſimile Mersburgi ad Salam fl. fuiſſe ſedem Palatini, quod propter quotidianos Slavorum incurſus, admodum intutus eſſet locus, nec tam remotus ut Eresburgum, ſive Mersburgum Weſtphaliæ: neque illa erat ejus facies (quod non diſſimulat Georgius Hahn Ditmari Mersburgenſis interpres Germanicus in Supplemento) quæ hujusmodi ſplendorem caperet. In Brotufii vero antiquitatibus cenſendis nullam hic ponemus operam, cum conſtet eum non pauca poſteris tradidiſſe, quæ fidem omnino non merentur, quod non ſemel inculcat Dominicus Dreverus in genealogiis Saxonicis MS. teſtantur etiam alii, & nos per occaſionem manifeſtum faciemus. Præterea cum *Alſtoti* ad *Ilmum* eſſet ſedes Palatina, & *Walbuſium*, Herciniæ opidum, æquali inter Querfurtum & Sangerhuſium diſtantia ſitum, quid opus erat aliam in vicinia Mersburgi inſtituere? Sed contentioſior eſſe hic nolo, relinquens lectori judicium.

CAPUT XIV.

Quomodo Eresbergum ad Arcepiſcopum Colonienſem pervenerit.

IN poſteris Witechindi magni novíſſimus & ultimus Eresbergum poſſedit *Henricus Leo, Henrici Superbi*, ex *Gertrude* Cæſaris *Lotharii* primogenita filius: Bojoariæ & Saxoniæ Dux potentiſſimus: cujus ditiones Rheno adeo fuere vicinæ, imo contiguæ ut in peculio ſuo ſtanti ſagittam ex arcu in flumen illud ejaculari non eſſet difficile, quemadmodum id Leonem de ſe gloriatum Philippus Ubiorum archiepiſcopus, Chronico Colonienſi atteſtante, in literis ad Ducem Geldriæ perſcripſit. Incomparabilis iſte princeps, *Henricus Leo, etſi populum ſibi ſubjectum juſte & ſecundum leges in omni pace & tranquillitate regeret & gubernaret, ac propter pacem & juſtitiam cunctis factam, in ore omnium laudem & honorem ſuper omnes principes illius temporis haberet*, ut præclare Joannes Trithemius Chronico ducum Bojoariæ, per invidiam tamen & injuriam, omni pene paterna maternaque hereditate, in utraque Saxonia, & in his Angariæ & Weſtphaliæ Ducatibus florentiſſimis, exſutus eſt. Ab eo tempore Eresbergum, exuviarum proſtrati leonis pars, cum toto vicino tractu, in ditione archiepiſcoporum Colonienſium, qui ſe *Angariæ & Weſtvaliæ* Duces indigetant, usque in hodiernum diem permanſit.

Veteres appellationes, quarum meminimus, plane obſoleverunt, ipſaque urbs hodie Stadtberge nominatur: politiores *Marsbergum* ſive *Mersbergam* malunt, manetque opinio adhuc apud incolas, Martem ibi à majoribus cultum. Mons cui urbs incumbit, præcelſus eſt lateque conſpicuus, cujus pedem alluit *Dimela* fluvius piſculentus, troctis ſive variolis abundans. Is bonam Weſtvaliæ partem emenſus, recepto ad *Warburgum*, diœceſis Paderbornenſis opidum elegans, *Almâ* fluvio, non procul ab *Herſtello Saxonico* (aliud enim eſt *Gallicum* in diœceſi Leodienſi, à quo noſtrati, volente Karolo M. anno 797. ut annales Francici & Regino, nomen inditum) in Viſurgim ſe exonerat. Ad Stadbergam ſunt confinia archiepiſcopatus Colonienſis, diœceſis Padibornenſis, Dynaſtiæ Waldeccenſis, & Comitatus provincialis Haſſiæ, cujus principis tutelæ urbs ipſa ſe ante annos aliquot ſubjecit. Habet circiter quingenta domicilia pro captunationis & loci non inelegantia. Cives propter negociationes cum

vicinis exteriſque aſſiduas, quas inexhauſtæ & perennes in montibus *Surlandicis*, (Neowaldius Sorlandicos indigetat) metallifodinæ pariunt, in re plerique vivunt lauta, ſuoſque liberos, tam domi, quam foris in pietatis & literarum ſtudiis educari curant diligenter. Non procul inde abeſt Bredelar/ ſupra à nobis relatum, monachorum inſtituti Ciſtercienſis cœnobium: cujus fundatio incidit in annum Chriſti 1170. ut Chriſtianus Cleinſorgius Lemgovienſis, JCtus & Orator eminentiſſimus, in Chronico Comitum Lippienſium manuſcripto, anotatum reliquit. Et tantum de Eresbergo, ejusque Idolo famoſiſſimo.

Notæ ad Irminſulam.

CAp.2. *Eresburg*) Hanc ſcriptionem ſequitur Joannes Nauclerus Chronographiæ volum 2. gener. 26. In hiſtoria Conradi I. Imp. generat. 31. habet *Heresberg*.

Cap.3. Truncum ligni non parvæ) Eadem invenias apud Nauclerum volum. 2. gener. 31. Mutium lib. 12.

Cap.4. Gowgrauen) Vera hæc eſt etymologia, inepta quam adfert gloſſator Speculi Saxonici ad articulum 56. libri 1. Gograff heiſſet ein Gograff/ durch das/ daß er gehe noth oder that richten mag/ oder daß er gelichen/ oder ſchnelliglich richten mag/ oder daß er gehende richten mag.

Cap. eod. In Epithaphio Henrici Comitis) Propter vetuſtatem, & conatum Poëtæ, hexametro verſu in vernacula lingua utentis, integrum adſcribam epitaphium, quod exſtat Wernigerodæ in templo SS. Silveſtri & Gregorii.

Na bort M. ſchreuen/ ver C. twe X. daby negen/
Starff Henrich Greue der von Stalberg leue neue/
Van Warnirode ſtarff Henrick leſte Erue dode:
Do was de hire Sünte Eraſmi vire.
Vp Fridach wende/ na Veſper/ was ydt ſin Ende.
Der Seelen ſine ſi Gott gnedig ane pine.

Cap. 5. univerſalis columna) Ad hunc modum loquitur etiam Nauclerus volum. 2. generat. 31. ubi de Saxonum origine & moribus diſſerit.

Cap. eod. de geſtis Longobardorum) Vide Paulum Warnefridum lib. 1. cap. 9.

Cap. eod. Quod autem Hera colebatur Saxonibus) Credi poteſt *Heram* eandem eſſe cum *Herthumo*, ſive *Hertho* Suevorum idolo, de quo Tacitus in Germania: *in commune Herthum, id eſt, terram matrem colunt.* Juſtus Lipſius, Notis ad Tacitum, legi vult *AErthum* Philippus vero Cluverus German. antiq. lib: 1. cap. 27. miratur, cur Tacitus antiquum illud idoli vocabulum maſculino genere pronunciaverit *Herthum*, cum non Dei ſed Deæ voluerit eſſe nomen. Eſt autem terra nobis Erd/ & per aſpirationem Germanis uſitatam Herd/ qua pronunciatione etiam hodie Helvetii terram dicunt Herde. Habitaſſe autem olim Suevos etiam in Saxonia teſtatur Paulus Warnefridus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 2. cap. 5. Widechindus Saxo lib. 1. Nauclerus vol. 2. gener. 20. Crancius Saxon. lib. 1. cap. 29. & Joannes Neowaldius JCtus, commentario de antiquis Weſtvaliæ colonis. In deſertas Saxonum, cum Longobardis in Italiam profectorum, ſedes à Sigeberto Francorum rege Suevos collocatos ſcribit Sigebertus Gemblacenſis ad annum 568. Atque inde fortaſſis ille Herthum ſive Herthus, aut Hera, utriſque Saxonibus & Svevis, communis. Richardus Bartholinus Auſtriados lib. 9. ſimpliciter Erdam nominat:

Erdaque telluris Dea.

Hinc compoſita, Erdman/ Erdmuth/ Erdwin: & pagus Herd/ miliari diſtans à Wolfenbütel/ Ducum Brunſuicenſium aula. Neque dubito, quin poſterior ſyllaba in voce Herthum ex vulgata conſuetudine, qua dicimus Hellithumb/ Eigenthumb/ Reichthumb/ Irthumb/ Wachsthumb/ priori conjuncta ſit. Andreas Althamerus commentario in Taciti Germaniam, putat Eresbergam arcem ab *Hertho*, ſive *Erda* denominatam. Verba ejus, etſi rectius & commodius ſupra cap. 5. adduci potuiſſent, hic apponam. *Opinor*, inquit, *Eresbergum, ubi martis Idolum Irmenſuel Karolus Magnus evertit, ſimul ipſam ſtatuam ab Hertho, ſive erda, id eſt, tellure cognominatam.*

Cap. eod. Cæſar de Solduriis) Locus eſt lib. 3. de bello Gallico. Athenæus lib. 6. cap. 6. *Silodunos* appellat. De his lege Reinerum Reineccium, dum fata Deusque ſinebant, collegam meum conjunctiſſimum, Hiſtoriæ Juliæ ſive ſyntagmatis parte 2. in regno Celtico, & commentario de nobilitate, pag. 137.

Cap.

Cap. eod. Vrbi cui à vicino ſaltu der Hilles *appellato*) Non ignoro vetus Chronicon Saxonicum, Bruſchium tomo 1. de Epiſcopatibus Germaniæ, in hiſtoria Antiſtitum Hildenſemenſium, & Antonium Mökerum in oratione de Hildenshemio, affirmare, nomen urbis hujus promanaſſe à nive quadam miraculoſa cœlitus delapſa. Quam etymologiam Crancius in metropoli lib. 1. cap. 10. non veretur affirmare fabuloſam, nec diſſimulat, unde originem ſumſerit, quæ omnia in medio relinquo. Apprime autem mihi arridet illa de ſaltu iſto conjectura, qui etſi arci Hildeshemenſi non eſt contiguus, haud tamen procul abeſt: & fuiſſe olim porrectiorem nemo dubitaverit. Nam nec ſylva Hercynia hodie illud implet ſpacium, quod ei Cæſar tribuit lib. 6. de bello Gallico. Noſtri majores cum apud ipſos, uti Herodianus lib. 7. ait, rara eſſet ſtructura è lapide atque lateribus coctilibus, denſisque potius ſilvis, quorum confixis coagmentatisque lignis quædam quaſi tabernacula ædificarent, plerumque à ſilvis, amnibus & fontibus, opidula, burgos ac vicos, quos ſparſim rarosque habebant, denominarunt, aſſuta vocula aliqua, manſionem, propugnaculum, tabernaculum, caſtra, vel locum ſignificante, qualia ſunt, Büttel/ Heim/ Horſt/ Lage/ Hauß/ Stedt/ Burg/ Welle/ & frequentiſſimum illud in Saxonia, Thuringia Lebe/ quod veteres annales & diplomata ſcribunt, Löue/ unde ortum barbarum illud *lobium*, pergulam ſignificans. Quemadmodum igitur à *Ganda* fluvio Gandeshemium, à fonticulorum frequentia Bornhemium nomen accepere, ſic ab Hilles nemore derivo Hildeshemium: ea ratione, qua Hamburgum ab Hama, Hujesburgum ab Hujo, Elmesburgum ſedes olim Commendatoria ordinis Teutonici, quæ nunc eſt in pago Weddi/ ab Elmo, vicinis ſaltibus, appellationem traxere.

* *Cap. eod. In novum templum.*) De translatione Irminſulæ ita *Hermannus Stangefolius* in Annal. Circul. Weſtphal. l. 11. p. 129. *Columnam Hermenſulæ, quæ æque Saxonibus venerabilis erat, atque Diſter ipſe fuerat ad Viſurgim in loco, ubi Corbeia conſpicitur, deponi terræque infodi juſſit, quam filius Ludovicus Pius, cum Corbejam fundaret, reperit, eamque Imperator non minus prudens, quam religioſus, ut Apoſtaſiam Saxonibus ad eam proclivibus ex oculis & animis auferret, è veſtigio trans Viſurgim deportari mandavit. Poſtea eſt dicta columna Irmenſula ſive arenſula vocata Hilsbemium deportata, & cum tripudio in cadethrale ibidem templum introducta, prius tamen ſolemnibꝰ ceremoniis luſtrata interventu piarum precum à noxis gentilibus rite expiata ante chorum collocata, ubi & hodie conſpicitur ſuſtinendis luminaribus, quæ feriis ſolemnibus accenduntur, inſerviens.* Non videtur autem *Stangefolius* hæc aliunde habere, quam ex *Leznero* & *Avo* meo, cujus ipſius verbis, licet non nominet, utitur, quod alias ipſi ſolemne. Habet autem Irminſula hæc in longitudine pedes plus minus undecim: circumferentia proxime baſin eſt duodecim cubitorum. Baſis ipſa conſtat è rudi lapide ſive topho: columna eſt marmorea, coloris ſpadicei. Cingula, quibus ambitur, ſunt ex orichalco, inaurata duo, medium & ſuperius, ſicut & interſtitium, quod eſt inter hoc & coronam: quæ & ipſa inaurata eſt, nec minus circulus cupreus ei incumbens inſcriptos habens tres verſus heroicos. Reliqua ex Figura adjecta diſcere licet. Totum opus incingitur cancellis ferreis dentatis ne patiatur injuriam.

Cap. 12. Sigeburg ſuper Ruram) Annalibus Francicis & Reginoni eſt *Sigisburgum* ſine dubio à victoria dictum. Captum eſt à Karolo M. anno 775. inſequenti fruſtra à Saxonibus obſeſſum. Diverſum ab eo eſt *Sigebergum* in Ducatu Bergenſi, dictumq; à *Siga* amne præterfluente. Splendidiſſimum & magnificum ordinis Divi Benedicti monaſterium ejus loci fundavit *Anno* (Hermannus Contractus & Marianus Scotus Hannonem vocant) ex Præpoſito Goslarienſi tricesimus quartus archiepiſcopus Colonienſis. Petrus Merſæus, catalogo archiepiſcoporum Colonienſium fundationem collocat in annum 1066.

Ibidem Iburg) Deſtructum eſſe à Karolo M. Iburgum affirmat Ertvvinus. Benno ſive Bernhardus ejus nominis 2. Epiſcopus Oſnaburgenſis 18. motus loci amœnitate, quodque olim primarium patriæ propugnaculum fuiſſet, novam monti arcem impoſuit, addito inſigni cœnobio inſtituti Benedictini, cui primum præfecit abbatem *Norbertum*.

Ibid. ad Ambram fl.) Sic appellatur auctori vitæ Karoli M. apud Pithœum: accolis eſt die Emmer/ influens in Viſurgim. Ambrones Cimbrorum in Italiam irrumpentium fideles ſocios, denominatos eſſe ab hoc flumine, natus in ripa ejus Steinhemii Reinerus Reineccius libro de Myſorum origine, contra Peucerum, qui à Rheno nomen deducit, affirmare non dubitat.

Ibid. Remam, ubi Warna & Viſurgis) Largiar hoc vetuſtati hujus pagi, ut pluſculum de eo dicam, quam inſtituti noſtri patitur ratio. Roma nota eſt Reginoni lib. 2. ad annum 753. ubi meminit Pipinum Regem iſtuc penetraſſe. Scribit *Rimia*, quod idem facit auctor vitæ Karoli M. more

Digitized by Google

veterum Germanorum, quibus ſ pro e uſurpare fuit familiare. Sic Dithmarus lib. 6. Wolmerſte-
tum, Wolmerſtidi: lib. ultimo Werbenum, Wirbini: lib. 6. Walbecum, Wallibiki nominat
de hoc addens ſignificari rivum ſilvaticum. Non procul à Rema in arce Viburg, ut Ado Vien-
nenſis ætate 6. (Regino lib 2. depravate Nigberg) hodie der Wedenberg/ quem Bernhardus Lu-
derus in encomio urbis Mindæ *montem Vedegonis* appellat, à Saxonibus occiſus eſt Hildigarius, a-
liis Hildebertus, decimus ſeptimus archiepiſcopus Colonienſis caſtra Pipini regis ſecutus. Hunc
Karolus M. ſepelivit in monte Ovesberg, ut Henricus de Hervordia lib 2. cap. 69. Qui idem ad-
dit, Remæ à Karolo templum conditum, locoque nomen inditum à *Remis*, urbe archiepiſcopali in
Galliis, quod facile credo. Nam familiare fuit Karolo M. peregrina nomina noſtris locis inferre.
Sic à *Pado Italico*, Padus noſtras dictus, teſte Gobelino ætate 6. cap. 38. unde urbi Paderbornæ no-
men: ab *Heriſtallo Gallico* Herſtelle Saxonicum. Idem in *Corbeia* fecit Ludovicus Pius Karoli F. ut
Crancius metrop. l. 1. cap. 24. Habuit Rema olim cœnobium monialium titulo Vallis benedictio-
nis, fundatum anno 1258. de cujus translatione videatur Crancii metropolis 8. cap. 9. & Hamel-
manni Chronicon Oldenburgenſe parte prima, cap. 21. Inſignis eſt etiamnum Rema *Archidiaco-
natu*, quem non ita pridem tenebat *Theodoricus* ab Heimborg/ vir genere & virtute nobiliſſimus, tum
temporis cathedralis eccleſiæ Mindenſis Canonicus. Subeſt pagus Rema dynaſtiæ, ſeu comita-
tui *Ravensburgenſi*, in territorio *Vlothano*.

Jam ante Carolum M. Remæ nomen ad confluentem Werræ & Viſurgis extitiſſe,
notat Reverendiſſimus Auctor Monumentor. Paderborn. p. 101.

Cap. 12. Verba Sylvii repetit) Eadem etiam habet Naucierus volum. 2. gener. 27.

Ibid. Vitutum) Priſcis Germanis *Witut*, lex *Witute*, lege, *Witutdragere*, legislator. Vide
Lipſium centuriâ miſcellanea tertiâ ad Belgas, epiſtolâ 49.

Ibid. Wittium) Quid ſi nomen hujus judicii derivemus à Wette/ quod ſupra diximus ſi-
gnificare pœnam: ut ſit Wettegericht/ quaſi Peinlich gericht.

Ibid. Hactenus Chytræus) Cum Chytræo conſentit Ertwinus cujus hæc ſunt verba: *Propter
quod maximè à Karolo ſedes liberæ ſunt conſtituta: Quæ extunc & merito & ex fundationibus per nobiles
legales & virtuoſos gubernari conſueverunt, in defenſionem fidei Chriſtianæ, & pœnam malignorum, ad fo-
rum & cognitionem earum ſedium ſpectantium: prout & ego legi in vetuſtis literis, ubi nobiles milites ſcri-
bebantur* Vrigravij / etc.

Ibid. poſt finem) Adde: A judicio tamen iſto Weſtvalico, ſeu Vemio, ſeparandum omnino
eſt *Judicium Trutmari Comitis*, à Carolo M. inſtitutum Partem diplomatis dedi in Vindiciis Bil-
linganis: integrum vero Notis ad Widechindi Annal. lib. 2. adſcribi curavimus. Separanda ſunt
Judicia per Saxoniam alia, ab eodem Carolo M. inſtituta: qualia fuere illa, quorum meminit Go-
belinus ætate 1. cap. 5. his verbis: *Intra patriam eorum* (Weſtvaliorum) *certa loca privilegiavit* (Ca-
rolus M.) *pro fidei defenſione, in quibus certo modo judicium celebratur, quod ipſi* Friegedinck *appellant: nec
cuiquam licet extra loca adhoc decreta hujuſmodi judicia exercere, quantacunque ille præeminentia exiſtat.*
Separanda ſunt Jura Soſatiæ, ſive Suſatiæ (ut tum vocabatur Suſatum) quæ tempore Friderici
Barbaroſſæ in veteri Saxonia plurimum viguere: quæque Henricus Leo, cui Suſatum ſuberat. no-
væ urbi Lubecæ in ſuam poteſtatem redactæ, uſurpanda tradidit: exauctorato vero Leone idem
Imperator Lubecenſibus ad deditionem coactis, ad petitionem ipſorum confirmavit, ut eſt apud
Arnoldum Lubecenſem lib. 2. cap. 40. Nec eſt quod quis pro juribus Soſatiæ legendum volit *jura
Holſatiæ*, in cujus ſolo Lubeca condita. Nullum enim id temporis in uſu fuit, neque nunc eſt, pe-
culiare jus Holſatiæ, qvum hodie etiamnum omnia Holſatiæ opida Lubecenſi jure utantur, & in ca-
ſibus dubiis à Lubecenſibus informari petant.

Cap. 14. Cobbonis) Cobbonem iſtum ex familiâ Teckelnburgenſi ortum fuiſſe conjicit Span-
genbergius, Chron. Saxonici cap. 129. non malè. Fuit enim *Cobbonis* nomen in familiâ iſta uſita-
tum, ſicut *Stolbergii* habuerunt ſuos *Bothones*: *Schavenburgii*, *Adolfos*: *Lippienſes*, *Bernhardos* & *Simo-
nes*: *Honſtenii Eligeros*. Coætaneus Ludovici Imp. Cobbo nominatur ab Ertwino: repetit Cran-
cius Metropol. lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 14. Hujus Cobbonis frater *Warinus* fuit abbas Corbeien-
ſis: N. ſoror, magna ſacerdos, ſive abbatiſſa in cœnobio Hervordienſi, ut idem Ertwinus.

Ibid. Herſtello Saxonico) Herſtelle arx eſt, ſeu prædium potiùs, agri Paderbornenſis in ripâ Vi-
ſurgis occidentali. Nomen ei inditum à Karolo M. qui ibi caſtra habuerit, referunt auctores vitæ
Karoli, Pithœanus & ἀνώνυμος à Reineccio editus. Cum quibus faciunt Annales Francici, Adelmo
auctore, diſertim tempus, nempe annum 797. addentes: Item Regino lib. 2. Crancius Metropoli
lib. 1. cap. 12. Georgii Fabricii Originum Saxon. lib. 4. hæc ſunt verba: *In eo loco, qui à ſtabulis principum
Herenſtelle appellatus fuit.* Ego vero non tam de caſtris ibi locatis, quàm de palatio Gallico in diœceſi
Leodienſi, cui ſitu loci & amœnitate ſimile fuerit, denominatum puto. Palatii iſtius meminit au-
ctor vitæ Karoli magni, ubi villam nominat: meminit auctor vitæ Ludovici Pii & Regino, quo-
rum hic ad annum 772. expreſsè dicitum Karol reverſum in Franciam Natalem Domini celebraſſe
In Heriſtallio. Præterea annales Francici ad differentiam alterius diſertè nominant *Heriſtallum Sa-
xonicum.* Henricus Hervordienſis nominat *Eroſtal*, alibi tamen *Herſtelle*, Chronicon Mindenſe, &
Centuriatores Magdeburgenſes ex jam dicto Henrico Hervordienſi affirmant conditum hoc in lo-
co fuiſſe Epiſcopatum, qui poſtea ad fontem Padi Weſtvalici Padibornam migrarit. Prædium
ipſum Herſtelle diu poſſedit equeſtris Falcoburgiorum familia, donec illud Henricus Dux
Saxoniæ, Epiſcopus Padibornenſis repigneraret.

FINIS.

HEN-

HENRICI MEIBOMII VINDICIÆ BILLINGANÆ,

ſive demonſtratio evidens,

HERMANNUM BILLINGUM, primum ab Ottone M. Imperatore, Saxoniæ Borealis inſtitutum DUCEM,

non equeſtris ordinis hominem, nedum pauperis agricolæ filium,

ſed ex illuſtri generoſâque familiâ Saxonicâ fuiſſe oriundum.

Fridericus Hortlederus, Conſiliarius Saxonicus,

Tomo I. de cauſſis belli Germanici, lib. IV. cap. XXIII. in Notis ad Chronici Spalatini titulum II. ubi de Hermanni Billingi proſapia agitur.

INveteratum hunc errorem (de obſcuris natalibus Hermanni Billingi) ex animis hominum nuper doctiſſimè exemit, Hiſtoricorum ac Poëtarum noſtri ævi facilè Princeps, amicus meus, HENRICUS MEIBOMIUS, in Vindiciis Billinganis.

Illuſtriſſimo, generoſiſſimoque Principi ac Domino,

DN. RVDOLPHO,

Principi Anhaldino, Comiti Aſcaniæ, Domino Serveſtæ & Bernburgi, &c.

Domino meo Clementisſimo.

ILluſtrisſimi generis, illuſtrisſime & generoſisſime Princeps, Domine clementisſime, Reinerum Reineccium, multæ lectionis, magnique & ingenii & judicii hominem, collegam & amicum meum conjunctisſimum, in familiaribus colloquiis ſæpenumero conqueſtum memini, quòd in primis operum ſuorum editionibus, præceptorum, quibus in academiis Lipſienſi ac VVitebergenſi uſus fuiſſet, ſententiis & opinionibus intrepidè ſubſcripſerit, ratus nihil ab illis profectum, quod non in fontibus, unde iſta haurienda, eodem ſenſu reperiretur. In quo tamen pluries fuerit deceptus, eamq; ob cauſſam ipſum deinceps nullis, quantumvis magnæ in re litterariâ auctoritatis exiſtimationisq; hominibus, temerè fidem adhibuiſſe: ſed majoris ſecuritatis cauſſâ in univerſis ſuis commentationibus, relictis rivulis, ad fontes ipſos provolaſſe, nihilq; unquam protuliſſe, de quo non certo ſibi conſtaret, in antiquis ſcriptoribus, ſive illi ſacri, ſive profani, eodem quo vulgaretur ſenſu inveniri. Atq; inde eſſe, quod annis ſubſequentibus multa in ſcriptis ſuis mutarit: non paucos aliorum lapſus veritate demonſtratâ indicarit, agrumque hiſtoricum multis modis cultiorem reddiderit. Incomparabilis hujus viri judicium ſemper magni feci: pluris nunc facio, poſtquam in accuratâ antiquitatis noſtræ inveſtigatione deſudanti, tam crebræ recentium ſcriptorum ſeſe offerunt hallucinationes. Ad præſentes Vindicias quod attinet, equidem ſanctè affirmo, inveteratam iſtam aſſertionem de Hermanni Billingi natalibus obſcurioribus req; familiari ſupra modum anguſtâ, ut cunq; illa, non à vulgo tantum ſcriptorum, ſed à coryphæis frequenter inculcetur, ſuſpectam ſemper mihi fuiſſe. Cogitabam mecum, fieri vix potuiſſe, in tantâ frequentiâ & multitudine familiarum illuſtrium, per Saxoniam florentium, ut homo novus, ruri natus & educatus, ad honorem non medioxumum, ſed primarium, atque ſummo Reipublicæ principe proximum, Ducalem puto, derepentè proveheretur. Statuebam rem inſolentem invidiam & ſermonem habituram fuiſſe. Invidiam, quòd homo nullarum imaginum, modici agelli poſſeſſor, ad tantum dignitatis apicem, nullo ſingulari ſuo merito præcedente, promoveretur. Sermonem, quòd Cæſar, alioqui ſapientisſimus, inconſideratè ac ſine exemplo, neglectis, quibus abundabat, gentilibus ac conſangvineis, præteritis aliis de illuſtri nobilitate dynaſtis, tantum, tamque rarum beneficium homini privato & ignobili elargiretur: quâ ſuâ prolixâ munificentiâ in toto Imperio, Saxoniâ cum-primis, ſimultates, æmulationes, odia, (mala innocentis ſangvinis effuſioni occaſionem præbitura) indubitatè excitaturus videretur. Hæc diligenter expendenti in mentem & illud veniebat, à plærisque recentiorum affirmari, Hermannum Billingum apud Ottonem M. regiæ ſobolis maſculæ pædagogum egiſſe: quod ab illorum temporum moribus eſt alienisſimum. Etenim ſub ævo

Carolorum, Ottonum, & Henricorum, Regum Ducumq́ liberi, tenelli adhuc, in Canonicorum aut monachorum collegia amandabantur, ut apud religioſos homines, procul à ſtrepitu offendiculisq́ aulicis, à tenero ungui ad exercitia pietatis, honeſtarumq́ ac liberalium artium & linguarum cognitionem aſſuefierent. Exemplis abundant hiſtoriæ, nos relictis extraneis, unum atq́ alterum ex domeſticis proferemus. Otto M. Imp. filium cognominem, Imperii heredem deſignatum, vix ſeptennem, enutriendum informandumq́ tradidit VVilhelmo archiepiſcopo Moguntino, ut continuator Reginonis: vel ut Sigebertus Gemblacenſis VVilhelmo Moguntino & Brunoni Colonienſi. Otto tertius inſtitutus eſt à VVarino archiepiſcopo Colonienſi, ut Ditmarus ſub finem libri III. affirmat. Idem in carmine, quod libro V præfixit, de Henrico II. ſcribit, quod à VVolfgango Epiſcopo Ratisbonenſi educatus ſit. Henricus IV. fuit in diſciplinâ Annonis archiepiſcopi Colonienſis, quem inde ſuum magiſtrum appellat. Hæc, quæ attulimus, exempla, planum faciunt magnorum principum liberos olim in religioſorum hominum contuberniis, minimè verò in aulis enutritos. Vnde corruit etiam illud, quod de παιδοτροφίᾳ aulicâ Hermanni Billingi vulgò affirmatur. His præjudiciis animatus, in ea, quæ de laudatisſimi principis natalibꝰ ſuſpecta jampridem habueram, diligentiùs inquirere cœpi: animadverſoq́ tandem, quàm facilè totum hoc commentum refutari poſſet, Vindicias meditari cœpi, quæ cum illuſtriſſimi herois, familiæq́ auguſtisſimæ conditoris feliciſſimi, cauſſam agant, dignas putavi eo principe, qui inter majores ſuos Billingos numeret; cui etiam à pietate, litterarum cognitione & beneficentiâ apud eruditos illuſtre nomen. Hunc verò tua mihi præſtat excelſitas, princeps generoſisſime, in cujus laudes ut hîc ampliùs digrediar inconveniens puto. Didici enim à ſapientibus, Virtuti laudes poſt funus rectiùs perſolvi, & ab exequiis majus exſurgere nomen: neq́ deerunt qui id ſuo tempore luculenter præſtabunt. Vnum rogo, ut Excelſitas veſtra litterarium hoc munus, neq́ mole magnum, neq́ fortè ſatis elaboratum, ſolo ſe argumento, quod principi minimè ingratum eſſe poterit, commendans, clementer ſuſcipere, meisq́ laboribus ad illuſtrandam patriam ſpectantibus, patrocinio ſuo ſubvenire non dedignetur. Deus opt. max. per quem reges regnant, in cujus pallio & femore ſcriptum eſt, Rex regum, & dominus dominantium, *Exc. V. cum illuſtriſſimâ conjuge, totâq́ familiâ, ad nominis ſui gloriam ſubditorumq́ ſalutem quam diutisſimè incolumem conſervet. Dabam Helmæſtadii in Iuliâ academiâ, pridie Non. Februarii, quo die ante annos ſexaginta quatuor Excel. V. avus paternus, Ioannes Princeps Anhaldinus, heros inclytus, ſynceræ religionis, pacis & concordiæ ſtudioſisſimus, anno ætatis XLVI. ex hac vitâ in cœleſtem aulam evocatus eſt. Anno poſtremi temporis CIƆ IƆ C XV.*

Excelſ. Veſtram

ſubmiſsè & reverenter colens

HENRICUS MEIBOMIUS.

Poſt

POſt tempora Karoli Magni apud Saxones cum Imperio fuere, non præſidatus titulo, ſed jure hereditario, Widechindi ultimi Regis & primi Saxoniæ Ducis, poſteri. Ex quibus Otto Magnus, Henrici Aucupis F. patri in Imperio ſurrogatus, patrem Saxoniæ Aquilonarem, tàm Danis, quàm Henetis ſive Slavis vicinam, annisque ſuperioribus ab utriſque nunquam non infeſtatam afflictamque, Hermanno, Billingi filio, uni ex miniſtris aulicis, primum tanquam legato gubernandam, deinde ceu peculium poſſidendam, atque ad Heredes transmittendam conceſſit. Hujus poſteritas novum iſtum Saxoniæ Ducatum (nam qui hactenus fuerat ex hoc minime deſiit) circiter centum & quinquaginta annos tenuit, claudente demum familiam Duce Magno: ex cujus filiabus, cum altera nubſiſſet Henrico Nigro, Bajoariæ Duci, è Guelfis oriundo, altera Ottoni Ballenſtedio, marchioni Soltwedelenſi, evenit, ut inter generoſas iſtas familias deinceps ſuper hoc Ducatu diuturnæ eſſent lites & dimicationes.

Ab Henrico Nigro Guelfo (quod & in vulgus notum) originem ducunt BRUNSUICENSES & LUNEBURGENSES Duces hodie longe potentiſſimi. Ottonis poſteri ſunt inferioris Saxoniæ Duces, quos ab illuſtri aulæ ſede LAWENBURGIOS vulgo appellamus, & principes ANHALDINI. Inclytæ hæ familiæ originem ſuam arceſſunt ab Hermanno Billingo, novo, quem dixi in Saxonia Boreali principe.

De hoc ſui temporis laudatiſſimo Heroë invaluit nugatoria & vana opinio, non quidem, quæ famam ejus & gloriam vel minimum obfuſcare aut lædere poſſit: ſed quæ à vero, quod manifeſte evincemus, longè aberret. Sunt enim qui affirmant, humilis obſcuræque originis, neque in re ſatis lauta, imo pauperem fuiſſe, virtute autem & fortitudine, quæ in eo præclare, quaſi per gradus ad ſummos honores perveniſſe. Quod ipſum etſi in laude cenſeri collocarique poſſit & debeat (nam & illuſtria exempla in medio: *Davidis* in ſacris literis; *Agathoclis* in profana hiſtoria: quorum neutri natales obſcuri regnum invidere: notusque ſenarius, à Polybio Claudii Cæſaris liberto apud Dionem lib. LX. prolatus:

Reges quoque exſtitere de caprariis.)

glorioſum tamen eſt viris magnis, ſi ex majoribus honoratis primordia generis arceſſant. Quo reſpiciunt verſus Euripidis à Plutarcho lib. de nobilitate repetiti:

Non præmium ullum liberis præſtantius,
Ac noſſe patrem nobilem, fortem, probum.

Minime igitur ſilentio illud involvendum, imo omnes iſtius generis errores & opiniones commentitiæ, quæ in agrum hiſtoricum, quacunque vel incuria vel injuria, inſtar infelicis lolii irrepſere, evellendæ ſunt & eradicandæ.

Sane de Hermanno Billingo longe aliter, quam vulgo affirmatur, rem ſe habere, neque novum fuiſſe hominem, parvis opibus & facultatibus præditum, evidenter demonſtrabimus & lucidè: atque ita quidem, ut qui contradixerit, nihil eum dixiſſe, evincamus. Initio autem quibus auctoribus ſuſpecta hæc aſſertio ſe debeat: deinde quomodo qui ſucceſſere ſcriptores novitii aliquid de ſuo aſſuentes errores erroribus cumularint, exponemus.

Primus qui obſcuros natales Billinganos adſtruxit eſt M. Adamus, Canonicus Bremenſis, homo peregrinus & in Saxonia hoſpes: quem ſi accurate ex hiſtoria Eccleſiaſtica, quam nobis reliquit, examines, natione vel Thuringum, vel quod tutius affirmaverim, Miſenum invenies. Nam ex ea gente, & quidem è comitibus Wetinenſibus originem traxit Adelbertus, Hamburgenſis archiepiſcopus, cum quo Adamus Bremam venit.

Hiſtoricus ille operis ſui lib. II. cap. IV. de Hermanno Billingi F. ſic ſcribit.

Vir iſte pauperibus ortus natalibus, primo, ut aiunt, ſeptem manſis, totidemque manentibus, ex hereditate paterna fuit contentus. Deinde, quod erat acris ingenii, decorisque forma, cum pro merito fidei & humilitatis, quam dominis & patribus exhibuit, facile notus eſſet in curia, ad familiaritatem ipſius Regis pervenit. Qui comperta juvenis induſtria ſuſcepit eum in numero miniſtrorum, deinde nutricium præcepit eſſe filiorum. Mox etiam ſuccedentibus proſperis commiſit ei vices Præfecturæ. In quibus officiis ſtrenue adminiſtratis, dicitur manentes ſuos pro furto in judicium relatos, data ſententia ſimul omnes ad mortem damnaſſe. Cujus novitate facinoris, & tum carus in populo, & clariſſimus deinceps factus eſt in palatio. Poſtquam vero Ducatum meruit Saxoniæ, judicio & juſtitia gubernavit provinciam, & in defenſione ſanctarum eccleſiarum ſtudioſus uſque in finem permanſit. Hactenus Adamus Bremenſis, quem de verbo ad verbum exſcripſit Helmoldus Chron. Sclavorum lib. I. cap. X. niſi quod pro *patribus* legit *partibus*, rectiſſime meo judicio. Reponit cramben iſtam Albertus Stadenſis ad annum MCCCCLXI. nulla vocula immutata. Notanda autem apud Adamum veniunt vocabula, *manſus* & *manens*, in hac ſignificatione claſſicis ſcriptoribus ignota: mediæ ætati uſitatiſſima. *Manſus*, manſa, manſum (ſic enim promiſcue uſurpant ſcriptores) eſt latifundium, ſive prædium, in quo quis manere ac familiam alere poteſt: *Manentes* (quos aliqui *Manſuarios*, *Crancius Manſionarios* appellat) ſunt villici manſos incolentes agrosque exercentes. Chronicon Saxon. vernacula lingua ſcriptum de Hermanni Billingi animadverſione in villicos ſuos eadem cum Adamo referens, manſum interpretatur iſtam agrimenſuram, quæ mediæ ætatis ſcriptoribus *Huba*, *Hoba* ſive *Huoba*, nobis ein Hufe Landes.

His igitur ex ordine Eccleſiaſtico triumviris, Adamo, Helmoldo & Alberto, quos dixi, auctoribus, affirmare credique cœptum eſt, Hermannum Billingum infima fortuna hominem, parvisque opibus & facultatibus præditum fuiſſe. Qui error, ſine ulteriori veritatis inquiſitione, à ſubſequentium ſeculorum ſcriptoribus, non retentus tantum, verùm aliqua etiam acceſſione locupletatus eſt. Etenim Craneius, qui prædictos ſcriptores legit & exſcripſit, de ſuo aliquid adjicere non erubuit, ut de proſapia Billingana certi quid pronunciaret. Verùm audiamus ipſummet de Duce Hermanno diverſis in locis explicantem. Metropl. lib. III. cap. XIX. inquit: *Erat in regiis miniſteriis vir induſtrius, militari ſed infimo genere natus; tenui patrimonio, utpote ſeptem ſolis manſionariis gaudens.* Saxoniæ lib. IV. cap. IIX. *Parvis quidem natalibus exierat, ſed erat procero corpore, acri viſu, bonis moribus, fide præcipua in dominos.* cap. XVI. *ſuſceptus de pulvere privata familia.* cap. XXIII. *Qui nobilitatem primus in ſuam intulit familiam.* lib. V. cap. XXVI. *Hermannus teſtimonio virtutis ſuæ eam ſibi vindicavit gloriam, quod infimo militia genere natus Ducalem honorem primus inveheret in domum ſuam.* Hactenus ille. Neque melius ſentire voluit Georgius Spalatinus in Chronico Saxonico, ubi hæc habet: Keiſer Otto zog mit macht in Italien und machet Herman Billings/ von Stuckeshorn im Land zu Lüneburg/ eines armen Edelmans Sohn/ dazumahl Landvogt in Nider-Sachſen/ und ſeiner Söhne Hoff und Lehrmeiſter/ zum Hertzogen zu Sachſen und Lüneburg. Gab ihm auch ein new ſonderlich Wapen/ wie es denn die Hertzogen zu Braunſchweig und Lüneburg noch dieſe zeit führen/ In anſehen daß ſich bemelter Herman von Stukeshorn/ in allen ſeinen Amptern und dienſten/ ſo woll/ treulich und ehrlich gehalten hatte / Cui acceſſit nuperrime Chriſtophorus Lehnman/ Chronici Spirenſis lib. V. cap. V. qui Hermannum einen Edelknecht appellat. Nihil autem ex his elicias aliud, quam domum Billinganam ordini militarium, infimorum tamen, adnumeratam, privatæque non abſimilem fuiſſe. *Militares* enim Crancio vocantur, qui noſtris moribus ſunt Equites die Edelleute: ordo ipſe, die Ritterſchafft. Etſi illis nomen militarium idem auctor pene invideat, malitque *miniſteriales* indigitari. Videatur metropolis lib. III. cap. XI. lib. IIX. cap. XIV. & XLVI.

Verum præter jam recenſitos alii longius progreſſi, non dubitarunt natales Hermanni notabili aliqua macula adſpergere, *ruſtici* ſive *agricolæ* cujuſdam *filium* pronunciantes. Hi ſunt Sebaſtianus Munſterus, Henricus Pantaleon & alii. Non dubito autem, quin ſeducti ſint ab Hermanno Cornero Lubecenſi, familiæ Dominicanæ monacho, rerum Saxonicarum ſcriptore, cujus opus hiſtoricum etiam ad ſuperiores Germanos pervaſiſſe colligas ex Franciſci Irenici exegeſi lib. III. cap. LIX. LXII. LXIII. & CV. Hodie manuſcriptum extat in bibliotheca ampliſſimi Senatus Luneburgenſis.

Is igi-

Is igitur Cornerus folio CCLV. de Hermanno Billingo ſic loquitur: *Triceſimo ſexto anno Ottonis, qui eſt Domini DCCCCLXXII. Hermannus, filius Wilingi ruſtici, factus eſt Dux Saxoniæ & Weſtphaliæ ſeu Angriæ. Otto namque Imperator ſecundum Chronicam Saxonum, videns fratres ſuos Henricum & Brunonem cum Ludolfo filio ſibi rebelles exiſtere, Ducatum Saxoniæ & Weſtvaliæ, qui jure hereditario Ludolfo filio ſuo, & Henrico fratri ſuo debebatur, abſtulit, & cuidam Hermanno, filio Wilingi ruſtici de curia Stubbekesborn, diſtante à Luneburg per VI. miliaria, partem terrarum Saxoniæ & Weſtvaliæ ut vicario, ſive præfecto, conceſſit & donavit: & ſic Ducatus iſte de ſtirpe Widekindi quondam regis Angirorum eſt ablatus: de cujus proſapia Otto Imperator erat, & ſui fratres ac filii: iſte autem Hermannus fuit primo ab Ottone Imperatore in numerum miniſtrorum curiæ communium aſſumtus, prout ſupra anno Ottonis XXIV. patuit. Otto ergo Imperator iturus ad Italiam, de conſilio & beneplacito fidelium ſuorum, eidem Hermanno tutelæ vicem in Saxonia & Weſtvalia commiſit, poſtquam vero rediit, & fidelitatem ac ſtrenuitatem præfati Hermanni percepit, ipſum Ducem fecit, & ex tunc ſibi ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus ipſum Ducatum jure perpetuo poſſidendum delegavit.* Huc uſque Cornerus, qui hiſtoriam ſuam, Hieronymo Henningeſio affirmante, produxit ad annum Chriſti XXXV. poſt mille & quadringentos. Corneri verba interpretatus eſt Dominicus Dreuerus Goſlarienſis, inſervitque genealogiis ſuis MS quas Henrici Junioris Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, antiquitatis patriæ lectione in ſenectute viridi ſeſe oblectantis, juſſu concinnavit. Dreueri verba ſunt: Im Jahr DCCCCLII. Da ward Herman/ Billings des Bawren Sohn/ Hertzog zu Sachſen und Angern/ das nun Weſtphalen wird genannt. Keiſer Otto merckte/ daß ſeine Brüder Heinrich und Bruno/ ſampt ſeinem Sohn Ludolfo/ eins wieder ihn waren/ da begabt er mit dem Hertzogthumb Sachſen und Weſtvalen/ das Erblich zuſtund ſeinem Bruder Henrico/ und Ludolfo ſeinem Sohn/ Hermanno Bilinge von Stubbekeßhorn/ eines Bawren Sohn/ gebohrẽ auf der Lüneburger Heyde/ dem er zuvor (do er in Welſchland verreiſen wolte) daſſelbige vorzuſtehende befohlẽ hatte/ als ſeinem Vogte. Alſo iſt das Hertzogthumb von dem Königlichen Geſchlecht Witikindi gekommen/ von welchem außgeſproſſen waren eben derſelbige Keyſer Otto/ ſampt ſeinen Kindern. Herman war von Ackerleuten geboren/ ſein Vater verließ ihm zum Erbtheil ſechs Hove Landes/ daran hette er ein genüge. So weit gehen die Wort gemeltes Dominici Dreueri.

Poſt Cornerum errorem eundem erraſſe Nicolaum Marſchalcum Thurium ex quibusdam ſchedis cognovi. Verba ejus ex Latino in noſtrum ſermonem translata hæc ibi referuntur: Derſelbige Herman/ iſt Herman Biling genent/ eins frommen Bawren Sohn/ geboren zu Stübbekeßhorn im Lande zu Lüneburg bey Soltow gelegen. Bibliotheca Geſneri refert Marſchalcum Chronicon ſuum ab orbe condito uſque ad annum Chriſti MDXXII. perduxiſſe: quod ſumma diligentia inveſtigatum, nondum tamen hactenus videre potui.

Sebaſtianus Munſterus, neſcio an ab Hermanno Cornero, vel ab aliquo quopiam ſeductus, eadem inculcat Coſmographiæ libro III. capite CCCCXLII. his verbis: *Produnt Saxonum hiſtoriæ, Hermannum Biling, cujusdam agricolæ filium, natum prope Soltovv in Luneburgenſi ſolitudine, valde magnum, effectum apud Ottonem Imperatorem, ob fidele miniſterium, quod eidem Cæſari in Italia agenti interim in Saxoniæ partibus exhibuerat.*

Munſterum ſine dubio exſcripſit Henricus Pantaleon, medicus Baſileenſis, cujus parte ſecũda proſopographiæ hæc ſunt verba: *Hermannus natus eſt patre ruſtico, qui in campis Luneburgicis, juxta Soltavv in villa ſua Stubbekborn, colendis agris & pecoribus educandis operam dabat.* Hæc Pantaleonis verba ſunt, quibus novum de ſuo errorem addit, nempe ab Hermanno Billingo promanaſſe Ducum Megapolenſium familiam, quod omnino ferendum non eſt. Quis enim in hiſtoria Germanica tam eſt hoſpes, ut ignoret Megapolenſes principes Henetos eſſe.

Adamus Thraciger, alias in inquirenda veritate vir diligentiſſimus, hunc ſcopulum, quin impingeret, evitare non potuit. In Chronici Hamburgenſis; quod MS. circumfertur, parte ſecunda ita loquitur: Unter dieſem Ottone (dem groſſen) hat ſich die Herrſchafft der Stadt Hamburg und der Stormarn und Holſtein/ abermahl verendert/ dann es war in ſeinem Hofe einer/ Herman Biling/ eines Bawren Sohn im Lande Lüneburg auff einem Hove bey Soltow Stübbekeßhorn genant/ ꝛc.

Nec

Nec diſſentire ab his videtur Joannes Stadtweg in Chron. MS. his verbis: Otto de erſte verhögede einen armen Man/ de hete Herman/ und was Billinges Sohn/ de wart ein grott Tyranne/ und buwede den Berg to Lüneburg/ und ward grott/ dat vele Vorſten und Heren van eme kemen ꝛc.

Atque hic, lector candide, conſidera errorem erroribus cumulatum: Hermannum Billingum durioribus è tugurio ruſticano prodeuntem: qui mitiores videri volunt, ordinis ſolummodo equeſtris eum faciunt, & quidem ne ſit inter primos, ſed medioxumos. Verùm neutrum verum eſt, longeque de Billingo aliter ſentiendum. Fuit enim ex ordine *Nobilium* ſive *Dynaſtarum*, qui per Saxoniam plures fuere, relicti à Karolo M. cum gentem fortiſſimam, ferociſſimam, non tam armis ſubjugatam, quam humanitate & officiis delinitam, Francis adjunxiſſet, avitaque libertate uti, frui, permitteret.

Hi Nobiles, ſive Dynaſtæ, noſtris Edle Herrn/ à Beda Anglo hiſtoriæ Eccleſ. lib. V. cap. XI. *Satrapæ* nominantur, quod vocabulum retinet Theodoricus Niemius lib. de privilegiis & juribus Imperii: retinet Wernerus Rolevincius parte II. cap. I. de laudibus antiquæ Saxoniæ. Annalibus Francicis aſtronomo auctore ſunt *primores*. Sic loquuntur etiam Conradus Vrsbergenſis & Gobelinus in Coſmodromio ætate VI. cap. XXXIV. etſi idem loco eodem *principes* appellet. Annales Francici Fuldenſes ad annum DCCCLXXXII, & Frodoardus Presbyter ad annum DCCCCXXXV, *primates* Saxonum vocant. Ipſe Karolus M. in diplomate fundationis Epiſcopæ Oſnaburgenſis *potentes regionis* indigitat. Adi Ertwini Ertmani Chronicon Oſnaburgenſe MS. & Crancium Metropol. lib. I. cap. II. Talis fuit Widechindus, antequam bellum cum Karolo M. gerendum ab æqualibus ei committeretur. Unde à Rolevincio libri ſupra allegati parte II. lib. V. nobilis vocatur: quem Annales Francici unum è primoribus Weſtvalorum appellant. Talis etiam fuit Meinolfus conditor cœnobii Bodeke in agro Paderbornenſi, de quo Gobelinus ætate VI. cap. XL. Crancius Metropol. lib. I. cap. XVI. Præterea Uffo conditor monaſterii Molenbecenſis in diœceſi Mindenſi: adi Chron. Mindenſe editum à Piſtorio, & Crancium Metrop. lib. III. cap. IIX.

Hos vero Nobiles, de quibus loquimur, fuiſſe indigenas, non peregrinos, ſive adventitios, vel ex unius Poëtæ annonymi, qui nobis vitam Karoli M. reliquit, teſtimonio abunde cognoſcas. Locus eſt ad annum DCCCIII.

Explodendus igitur Niemius, qui libro ſupra memorato, nullo auctore, imo contra omnes, non erubeſcit affirmare, Widechindum magnum non habuiſſe legitimam ſobolem, ſed unicum tantum filium ſpurium, qui cum per leges patri in hereditate perampla ſuccedere non poſſet, Saxoniam à Karolo M. victore in Comitatus, Baronias & Dominia diviſam, eque Gallia, Franconia, ſuperiori Germania, aliisque orbis terrarum partibus evocatos proceres, dynaſtias iſtas poſſidendas accepiſſe. Quæ narratio tota fabuloſa eſt, refutata à Widechindo monacho lib. I. ubi Theodoricum patrem Mathildis Auguſtæ, Henrici Aucupis conjugis, de ſtirpe Widechindi magni deſcendiſſe affirmat. Quem locum non tam repetit, quam illuſtrat Gobelinus, ætatis VI. cap. XLVII. ubi Theodoricum Comitem Aldenburgenſem nominat, qui Crancio eſt Ringelheimenſis, Saxon. lib. III. cap. II. etſi Gobelini ſententiam non diſſimulet in Metropoli lib. III. cap. XXV. De Mathilda Auguſta eadem cum Widechindo ſcribit Ditmarus Merſpurgenſis lib. I. Sed fortaſſe non merebantur nugæ iſtæ refutationem aliquam.

Ex hac nobilitate in Saxoniâ eligebantur *Comites*, hoc eſt, *judices*, quorum officium cùm in diplomate Imperiali Karoli M. quo Trutmannum Comitem in Weſtvaliâ ordinat, eleganter exprimatur, verba ejus ſubjiciemus: *Quapropter in illâ parte Saxoniæ Trutmannum virum illuſtrem ibidem Comitem ordinamus, ut reſideat in curte ad campos, in mallo publico, ad univerſorum cauſſas audiendas. vel recta judicia terminanda, iſque advocatum omnium presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, ſuperque vicarios & Scabinos, quos ſub ſe habet, diligenter inquirat & animadvertat, itaut officia ſua ſedulo peragant &c.* Diploma datum eſt anno DCCLXXXIIX. Supereſt autem in archivis inclytæ & Imperialis Tremoniæ in Weſtvaliâ.

Comites iſti ſuppeditabant provinciæ *Duces*, *Marchiones*: qui dignitates

non

non hereditarias, ſed ad tempus datas adminiſtrabant: quemadmodum & ipſi Comites, quoties ſupremo magiſtratui liberet, exauctorari poterant.

Ex hoc Nobilium ordine fuit Billingus, Hermanni parens, quod apparet ex officio & dignitate Comitis ipſi commiſſâ. Teſtis Ecco ſive Eccius de Repkau juris Saxonici gloſſator: ex cujus Chronico Dominicus Dreverus, ſuprà à nobis laudatus, hæc allegat verba: **Das Landt bey der Elbe gab der Keyſer Otto einem Edelman / der hieß Herman / der war ein Sohne Graven Bilings. Er erhöhete ihn im Reich mit fleiß.** Hactenus Ecco gloſſator. Alterum teſtimonium ſuppeditat nobis diploma Ottonis M. quo monaſterium Bergenſe ad Albim prope Magdeburgum, magno ſumtu nuper conditum, archiepiſcopatui Magdeburgico ſubjicit: ubi Imperator ſic loquitur: *Nos Otto, interventu conjugis noſtræ Adelheid, & filii noſtri Ottonis, dedimus eccleſiæ S. Mauricii in Magdeburg monaſterium, quod Billingus Comes in prædo- vel fiſco dicti Ottonis in honore S. Joannis Baptiſtæ, ac beatorum Petri & Paulli apoſtolorum conſtruxit, cum caſtello, & villâ, &c.* A. C. DCCCCLXIIX. Regni XXXIII. Imperii VII.

Vide Billingum gemino teſtimonio Comitem, quâ dignitate gaudere minimè potuiſſet, niſi ei inter Nobiles locus. Quod equidem animadvertiſſe Crancius videri poteſt, titubanter tamen, & non niſi cum reſtrictione affirmat, Metropol. lib. III. cap. XIX. *Patrem* inquit, *habuerunt* (Amelungus Epiſcopus Verdenſis & Hermannus Dux Saxoniæ) *Biling infimæ nobilitatis hominem.* Cui aſſertioni lib. IV. cap. XXIII. diſertè contradicit: locum ſuprà attulimus.

Sed, inquis, ſi Billingus Comes fuit, quem uſurpavit titulum? Non erat apud veteres Germanos moris, quemadmodum nunc eſt, ut à territorio, quod vel præſidatus jure, vel hereditario poſſidebant, nomen ſumerent qui cum imperio erant: quin potiùs ipſi regionibus appellationem dabant. Exempla ſunt in medio: ex quibus pauca Saxonica attingam. In Metropoli Crancianâ lib. II. cap. XXX. memoratur villa Wallia in *Comitatu Bernarii.* Diploma Ottonis M. Imp. Magdeburgenſe de anno DCCCCXXXVII. meminit *Comitatus Thietmari* in pago Nort-thuringiâ: & *Comitatus Geronis ac Chriſtiani.* Otto II. Imp. in privilegio Mindenſi, dato DCCCCLXXIV. meminit *Comitatus Bernhardi Comitis.* In privilegiis ejusdem Cæſaris, Oſnaburgenſi ſub datâ DCCCCLXXV. Hamburgenſi de año DCCCCLXXXIII & DCCCCLXXXIIX. nominatur *Comitatus Bernhardi Ducis.* Idem Imp. in diplomate Gandesheimenſi anni DCCCCLXXII. meminit *Comitatus Rotwigi Comitis.* Infinita hujusmodi exempla reperias in diplomatis veterum Impp. Germanicorum: ex quibus planum fit quod dixi, Comites olim non à territoriis gubernatis nomen accepiſſe, ſed eis impertitos.

Verùm præter hanc alia eſſe potuit omiſſi tituli cauſſa quam animadvertit Joannes Piſtorius: cujus verba ex præfatione in tertium tomum hiſtoricorum ſubjungam. *Pro conſuetudine,* inquit, *illius ſeculi Nobiles, Comites ipſiq; Duces, ſine habitationis loco & præfecturis vel familiæ cognomentis abſolutè ſimpliciſſimeque propriis nominibus notabantur: fortè quòd qui tum Comes & inde Dux certi loci & gentis eſſe cognoſcebatur, poſteris omnibus quis olim fuiſſet, eodem modo exploratum compertumque eſſe ſimplices & non nimium curioſi majores arbitrarentur: vel quod ex dignitatibus, quæ in familiis non inhærebant, nec ad filios progrediebantur, non poſſe familiarum diſtingui ſtatus judicarent.* Hactenus Piſtorius.

Quæ verò de Comitatu *Soltovienſi* in agro Luneburgico adfert Hoppenrodius, & ex eo alii, non tantùm ſuſpecta duco, verùm etiam quæ de frequentiſſimis illis tempore Karoli M. & ſucceſſorum temporibus per utramque Saxoniam Dynaſtiis, ex obſcuro quodam cuculligero Ballenſtedenſi *Henrico Baſæo,* tanquam comperta, planeque indubitata ab omnibus penè recentibus rerum Saxonicarum ſcriptoribus inculcantur, nullo fundamento niti atque cum veritate hiſtoricâ multis modis pugnare intrepidè affirmo, ſuoque tempore & loco demonſtrabo.

Sed dimittimus Bilingum, quem tamen cum Cornero rectius *Wilingum* vocabimus. Chronicon Saxonicum vetus vocat **Byllick** / Lazio lib. IX. de Migrat. Gent. eſt *Bilico*; quod puto eſſe idem cum *Willich,* & Saxonico **Wilcke** / Latinis *VVilkinus.* Terminatio *ing,* ſeu *ingk* manavit ex conſvetudine veteribus Germanis uſita-

ta, qua *Bruno* Brüning/ *VVolf* Wollſing/ *Suartz* Schwarting dicuntur: quod docet Beatus Rhenanus Rer. German. lib. III. & Lazius loco adducto lib, VII.

Dimittimus, inquam, Bilingum, quem degradatum, tantumque non ab imperitis capite diminutum, natalibus & honori reſtituimus, jamque ad filium ejus Hermannum accedimus. Is Widechindo monacho lib. II. nominatur Nobilis, eo quem diximus reſpectu. Verba Widechindi ſunt: *Placuit igitur novo Regi* (Ottonem Magnum innuit) *novum principem militiæ inſtituere: elegitque ad hoc officium virum nobilem & induſtrium, ſatisq; prudentem nomine Hermannum.* Widechindum ſequitur Chronicon Slavicum editum ab Erpoldo Lindenbrogio, quod cap. 8. hæc habet verba: *Hermanno nobili viro Saxoniæ commiſſa, ne Dani, vel aliæ gentes ſuâ in abſentiâ malè agerent.* En generis nobilitatem in eo ſpectatam, cui majores honores deferendi: etenim ſoli nobilitati ad hos patuiſſe aditum antea oſtendimus. Chron. Saxon. rithmis contextum eundem vocat Dynaſtam:

An dhem Nidherlande was beſezzen
Bi den zitten gar vermezzen/
Ein Herre dher heyz Herman/
Als ich vernommen han
Sin Vader Bilingh was genant.

Ex his apparet, quis fuerit ante Ducatum Hermannus, non equidem Comes, ut parens & frater Wigmannus, ſed Nobilis Dynaſta, ſive Baro, agri ſeu territorii alicujus dominus: quod ipſum demonſtraſſe, ſatis fortaſſe fuerit refutandæ nugaci & commentitiæ opinioni de obſcuris iſtis natalibus, vel caſâ ruſticâ Billinganâ. Verum nos per hanc velitationem familiam iſtam magis adhuc illuſtrabimus. Fratrem Hermanni Wigmannum Comitis dignitate gaviſum, ex Widechindo monacho liquet. Apud hunc lib. III. Imperator Otto M. Wigmanno Juniori rerum novarum ſtudioſo denunciari jubet, meminerit, quòd utroque parente orbatus, ab Auguſto, loco filii habitus liberaliterque educatus fuerit: adultior factus patrios honores ejusdem beneficentiâ indeptus ſit. Atqui Wigmannus hic fuit Comes teſte Ditmaro libro II.

De eodem Wigmanno Hermanni fratre dignus notatu locus exſtat apud Widechindum lib. II. antea à nobis ex parte relatus, qui ſic habet: *Placuit novi regi* (Ottoni M.) *novum principem militiæ conſtituere: elegitq; ad hoc officium virum nobilem & induſtrium, ſatisque prudentem nomine Hermannum. Quo honore, non ſolùm cæterorum principum, ſed & fratris ſui Wigmanni offendit invidiam. Quapropter & ſimulatâ infirmitate amovit ſe ab exercitu.*

Hîc Wigmannus inter principes locum habet, quod de dignitate Comitis accipio: etenim appellationes Ducum & Comitum ſæpè confunduntur. Sic Guelfus qui Dux Bavariæ apud Theganum pag. CCCIIX. in vitâ Ludovici Pii Imp. pag. CCCLXXIII. & ab Aimonio lib. V. cap. XI. Comes appellatur. Sic annales Francici Brunonem Saxonem, Brunſvigæ conditorem, à Normannis cæſum, ad annum DCCCLXXX. Ducem vocant & Comitem.

Quomodo verò hæc unquam fidem merebuntur? ex duobus fratribus germanis, alterum eſſe Comitem, referri inter aulæ Imperialis regnique præpotentis principes: alterum verò raris habitata mapalia tectis deſerentem, ut infelicem familiæ tenuioris conditionem cum meliore commutet, non absque invidiâ aliorum, laborioſè operam dare.

Verùm progrediendum nobis ulteriùs, & oſtendenda Billingorum cum Saxonum nobiliſſimis, hoc eſt, ipſis, qui tum temporis cum imperio erant, Cæſaribus Auguſtis cognatio. Index & teſtis rei fide digniſſimus Ditmarus Merſeburgius, qui lib. II. affirmat *Brunonem* ejus nominis primum *Epiſcopum Verdenſem*, & Hermannum Billingum fuiſſe conſangvineos. Atqui Brunonem iſtum Ottonis M. ex Ludolfo filio primogenito, Sveviæ Duce, fuiſſe nepotem affirmat Georgius Fabricius Originum Saxon. lib. III. Crancius quidem Antiſtitem illum natu & virtute nobilem dicit, genus tamen non exprimit. Vide Metrop. lib. III. cap. XXXVI. Joannes Trithemius in Chronico Hirſaug. ſcribit fuiſſe fratrem Hermanni Saxoniæ Ducis, memoriæ lapſu, id enim de Amelungo Brunonis anteceſſore intelligendum. Quid

autem

autem glorioſius tribui Billingis potuit, quàm ejus Antiſtitis eſſe conſangvineos, cui parens Dux Sveviæ nobiliſſimus, avus, proavus ac patruus Romanorum Imperatores auguſtiſſimi, invictiſſimi?

Eandem ſangvinis cognationem inculcat etiam Wigmannus junior, Hermanni Ducis ex fratre Wigmanno nepos, ut memini. Qui cùm poſt multas rebelliones & transfugia, quorum veniam ab Imperatore mitiſſimo Ottone M. ſemel atque iterum impetravit, extremùm ad Sclavos, juratos religionis & Imperii hoſtes, turpiter defeciſſet, accidit, ut à Miſacâ barbaro Cæſari confœderato, victus & è fugâ in villam quandam compulſus, ab hoſtibus circumfuſus acriter impeteretur. Ibi cùm moriundum ſibi videret, potiori ex hoſtibus gladium hiſce verbis tradidit: *Accipe hunc gladium, & defer domino tuo, quo pro ſigno victoria illum teneat, Imperatoriq; amico transmittat, quo ſciat, aut hoſtem occiſum irridere, vel certè propinqvum deflere.* Exſtat hiſtoria apud Widechindum Corbeienſem lib. III.

Satisfactum opinor abundè inſtituto noſtro, præſtitæque Billingo & filiis, quâ natales vindiciæ: libet tamen ex Ditmaro narrationem adjicere, quæ ad rem non parum facere videtur. Sic igitur ille lib. II. *Herimannus Dux Saxoniam regebat. poſitâq; ad Magdeburg concione, ſuſceptus eſt ab archiepiſcopo, manuq; deducitur ad eccleſiam, accenſis luminaribus, cunctisq; ſonantibus campanis. Ibi avum meimet Henricum, tantæ reſiſtentem ſuperbiæ, dolo capere Dux niſus non potuit: quia hunc militum magna caterva vallavit, præcipit tamen ei, ut Romam poſt Imperatorem pergeret. Quod libentiſſimè complens, tranſcenſis Alpibus, ut primùm ad Imperatorem venit, videns eum à longè ſolotenus ſe proſtravit, interrogatusq; quid cauſſæ hoc eſſet, quod accuſatus apud eum gratiam ſuam pietatemq; ſolitam perdidiſſe timeret, lacrymabiliter reſpondit. Quem protinus elevatum Imperator oſculatur, ſingulaque ſagaciter perquirens, & de ſuſceptione Ducis, quomodoq; in medio Epiſcoporum ad menſam loco Imperatoris ſederet lectoq; dormiret, perdidicit. Ob hoc Cæſar Auguſtus maſculè ſuccenſens, Alberto per epiſtolam mandavit Epiſcopo, ut tot ſibi equos mitteret, quot Duci campanas ſonare, vel quot lucernas accendi præceperat. Imperatoris archipræſul peragens edicta, quibuscunque valuit modis ſe per legatos excuſare contendit.* Hactenus Ditmarus. Repetit hiſtoriam Chronicon Magdeburg. MS. diſertimque Henricum, Ditmari avum, Hermanno inſolenter agenti ſe opponentem, Comitem de Staden appellat. A quo diſcedens Georgius Fabricius, Comitem Sumeringium vocat, confunditque cum Henrico Comite Walbecenſi, Lotharii F. vide Origin. Saxon. lib. II. Eſt autem Summeringa villa Thuringiæ, referente Sifrido presbytero lib. II. Familiam Comitum Stadenſium enucleavit diligenter Alb. Stadenſis ad annum MCXLIV. repetivit inde Crancius Sax. lib. VI. cap. V. & VI. Metrop. lib. V. cap. XXIV.

Quis verò ſanæ mentis rectique judicii homo credere unquam velit aut, poſſit, Hermannum vilis agricolæ filium, nuper rure in aulam extractum, vel, ut civiliores affirmant, ex infimo equitum ſive militarium ordine inter miniſtros aulicos adſcriptum, vixque in novo eodemque perquam invidioſo magiſtratu confirmatum, tam intolerandam ambitionem in animum admittere auſum, ut honores ſummo principi debitos, nullique æqualium unquam ambitos, nedum protervè uſurpatos, ab improvido Antiſtite deferri ſibi arroganter pateretur? Nemo, opinor, facilè perſuaderi poterit, in agricolæ filio eam fuiſſe animi inſolentiam. Homini in aulis ad tempus verſato, uſuque rerum à temeritate abducto, in memoriam veniſſet aurea parenæſis, ab ingenioſo poëta ingenioſè rotundo & eleganti diſticho expreſſa:

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Mea opinione ſpiritus ille in Hermanno Billingo æquo tumidior, non aliunde, quam à generis claritate, majorumque imaginibus promanavit. Venit novo Duci in mentem, quod ex illuſtri nobilitate originem duceret, patrem habuiſſet Comitem, fratrem & ex eo nepotem in eadem dignitate conſtitutos vidiſſet: denique ipſum Imperatorem proxima attingeret conſanguinitate, quem in propinquo facile illud laturum falſo ſibi perſuaſit, quod ne æquales quidem ſine invidia, ſine ſtomacho intueri poſſe, cum pudore & ignominia expertus fuit.

De primo controverſiæ capite, puta de natalibus Ducis Hermanni, diximus

hacte-

hactenus: nunc accedendum ad alterum, probandumque Billingos tam parvis opibus & facultatibus, ſicut aſſertum meminimus, nequaquam fuiſſe. Refutat fabulam Widechindus Corbeienſis lib. II. ubi Wigmannus, quemadmodum antea dixi, inter principes regni numeratur, additurque virum fuiſſe potentem. Vnde vero huic de ſubito opes ſive potentia, cujus pater, vel agricola, vel ex infimo militarium ordine? cujus fratri res modicæ, imo pauperculæ? Quid enim fuerit tam modici agri dominum eſſe, & quidem eo in loco, ubi ille macer & exilis? Idem Widechindus lib. III. commemorat, quomodo Widechindus junior Hermannum patruum interverſæ hereditatis paternæ coram Cæſare Ottone publice accuſarit. Quod cum temere & ſine cauſſa factum eſſet, nec accuſatus intentati criminis convinci poſſet, æquiſſimus Cæſar iniquum & injuſtum actorem cuſtodiæ mancipari juſſit. Quid autem opus tam acerba accuſatione? quid judiciali illo ſtrepitu & moleſtia, ſi lis fuit de tam paupere regno? Dignitatem, qua gaudebat frater, nepoti eripere Hermannus non potuit, pendebat enim à ſolius Imperatoris arbitrio. Fuit igitur actio de diminuta hereditate, quæ ſi vel modica, vel pene nulla, ad quid conventio corã Cæſare, & in actorem cauſſã ſuam non probantẽ, judicis cognati tam ſevera animadverſio? Revera uti prius falſum, ita & poſterius: longeque ſentiendum aliter de utroque, quod planum nos feciſſe, ut ſpero, imo confido, nemo inficias ibit.

Atque hic eſto finis noſtræ velitationis, quam equidem non illibenter inſtituimus, nullo tamen alio fine, quam ut quod falſum probe perſpexeramus, veritatis larva ſpoliatum profligaremus, illuſtri planeque heroicæ familiæ avito ſuo honore & dignatione reddita. Effigies, quas dedimus, tam Hermanni Billingi, quam conjugis Hildegardis Weſterburgiæ, debemus collegio Brunſuicenſi *San-Blaſiano*, cujus ut alibi, ita hoc loco honoris ergo mentionem facimus. Liber in quo exſtat vetus eſt, ſcriptus in membrana ante annos CCC. & IV. Inſpiciendum illum nobis exhibuit *Valentinus Mollerus* JCtus, ædis ejuſdem Decanus, vir & noſtri, & ſtudiorum quæ colimus, amantiſſimus. Genuinas eſſe imagines multæ oſtendunt circumſtantiæ, deque proceritate Hermanni diſerte loquitur Crancius Saxon. lib. IV. cap. IIX. de habitu picturæ conveniunt veteres, conveniunt ſcriptorum monumenta. De obitu ejus res eſt controverſa. Henningeſius eum collocat in annum DCCCCLXXXI, Thraziger DCCCCLXXXIV. uterque male. Widechindus enim Corbeienſis diſerte dicit Hermanni obitum Cæſaris Ottonis I. obitum anteceſſiſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Triſtis illa loca perambulabat* (Otto I. Imp.) *de obitu optimi viri Ducis Hermanni, qui prudentiæ & juſtitiæ miræque vigilantiæ in rebus civilibus & externis cunctis retro mortalibus æternam reliquit memoriam.* Vide ſub finem lib. III. Conſentit Ditmarus Merſeburgius lib. II. his uſus verbis: *Dehinc ivit* (Otto) *ad Quidelingiburg, proximum Paſcha divinis laudibus humaniſque peragens gaudiis. Huc confluebant Cæſaris edicto Miſeco atque Boleslaus Duces, cum omnibus regni totius primariis: conſummatiſque pacifice cunctis, ditati muneribus magnis, reverſi ſunt ad ſuos lætantes, Calendis Aprilis. Herimannus autem Dux ibi tum moriens Imperatoris gaudia turbavit.* Hiſce duobus tertius accedat teſtis, Auctor Chronici Magdeburgenſis MSti inquiens: *Inde Quedeliggeburg abbatiam quam venerabilis mater ſua Mathildis concedit, adiens, advenientibus ibi Poloniæ ac Bohemiæ Ducum, Græcorum quoque, Beneventorum, Vngariorum, Bulgarorum, Danorum & Slavorum Legatis, cum totius regni principum concurſu, Paſchalia gaudia peragit, licet illa Hermannus Dux Saxoniæ ſibi dilectiſſimus tunc moriens, non parum turbaſſet.* Ex quibus liquido apparet, Hermannum ante Cæſarem Ottonem obiiſſe & quidem in feriis Paſchalibus, Kal. Aprilis in Comitiis Quedlinburgenſibus. Celebravit autem hæc Otto anno DCCCCLXXIII, iiſque finitis diem ſuum ipſe etiam obiit eodem anno. Et Hermannus quidem Luneburgi conditus fuit, Cæſar Magdeburgi. Cæterum familiam Billinganam integram, cum Deo juvante, & ſi ætas ſuppetat, alibi dabimus, & ita dabimus, ut dum veritati conſulimus, non pauci aliorum errores indicandi veniant. Sit Socrates amicus ac Plato, amica tamen veritas magis.

F I N I S.

HENRICI MEIBOMII
DEMONSTRATIO,

Saxoniam etiam ante Hermannum Billingium ſuos habuiſſe Duces, adeoque à temporibus Caroli M. ſub Imperatoribus Francicis.

CONTRA JCtos NONNULLOS Superioris Germaniæ in Saxonia parum verſatos.

 Beatus

Digitized by Google

Beatus Rhenanus præfatione in Germaniam ſuam.

HOc mirum, quòd in Romanâ antiquitate cognoſcendâ diligentisſimi ſumus, in mediâ, aut etiam vetuſtiori, quæ ad nos maximè pertinet, negligenter ceſſamus. In cauſsâ fortasſis eſt, quòd ex luculentisſimis ſcriptoribus illa facilè cognoſcantur, quæ nusquam non exſtant: hæc autem propter auctorum inopiam judicio magis colligere ſit neceſſe, quàm alio quovis præſidio. Quamobrem bene mereri de ſtudioſis putandi ſunt, qui rem minimè obviam, non ſine ingenti labore perquiſitam, in medium candidè proferunt. *Hæc ille.*

DE-

DEMONSTRATIO SAXONIAM ETIAM ANTE HERMANNUM BILLINGIUM SUOS HABUISSE DUCES.

POſtquàm Brunovicenſes hæreditario ſuo Principi, Duci Henrico Julio, more majorum rebellantes, eruptionibus abſente Principe factis, magnam vim pecorum abegiſſent, atque in utriusque ſexus homines, agros, aras & oppida ferro, flammis, cædibus ac latrociniis ſæviendo, omnia crudelitatis genera exercuiſſent, cum hoc nomine in toto Imperio peſſimè audirent, ſimulque ab Ordinibus agri Brunſvicenſis *in* judicio Cameræ rei agerentur, tum demum cogitare cœperunt, rectene an ſecus feciſſent, & quo prætextu & colore effrenatam iſtam libidinem excuſare & pingere poſſent: ſine dubio exemplo gentis cujusdam Arctoæ, quæ olim fures accuſatos in crucem agere, & illis extinctis primum quid & quantum deliquiſſent inquirere ſolita eſt. Cum verò dubitarent, an in viciniâ, iſtorum flagitiorum inventuri eſſent patronos, ad quosdam ex Germanis ſuperioribus *itum* eſt, præſertim eos, quos ſperarunt Duci Henrico Julio, quantum in ipſis eſſet, ægrè facturos: quâ in re minimè eos ſpes fefellit. Etſi autem meum non ſit pronunciare, quid patroni iſti præſtiterint, illa enim ad JCrorum ſcholas pertinent, neque deerunt, qui *in id* inquirent; tamen cum nonnulla ad meam profeſſionem pertinentia admixta videam, operæ precium puto, de eâ re cum ipſis velitationem inſtituere. Id dum cogito, laudare tamen cogor, quòd patroni iſti diſcipulis ſuis oſtendunt, cognitionem antiquitatis, cumprimis verò patriæ, permultum conducere ad lites, controverſiasque legitimè cognoſcendas dirimendasque: quàm enim multi in ea re negligentes & remiſſi ſint, quàm nihil notitiæ hiſtoriæ tum veteris tum recentis habeant, ipſa loquitur experientia, & nolint velint prodere coguntur. Verum optârim iſtos ſuperioris Germaniæ JCtos paulò diligentius legere, hujus noſtræ, verſus occidentem & ſeptentrionem regionis Hiſtoricos, quod ſi facerent, non adeò *in*eptè de noſtris rebus pronunciarent, tamque abſurdos errores errarent. Quod ſi ab ipſis factum eſſe oſtendero, non habebunt cur mihi iraſcantur. Quæ autem me offendunt, quibusque contradicere cogor, paradoxa ſunt iſta, ſequentibus verbis expreſſa pagina 34. editionis Palthenianæ Francof. *Accedit & hoc, quòd Soxonia inferior, poſtquam à Carolo M. eſt devicta, usq; ad Ottonem M. immediatè Cæſarem Romanum & Imperium recognovit, ut probatiſſimi quique hiſtorici aſſeveranter tradidêre. Primus autem Romanorum Cæſarum Otto M. in Italiam iturus Hermannum Ducem, non totius quidem, ſed ejus partis, quæ hodie Ducibus Lunæburgicis & Ducibus Saxoniæ inferioris paret, creavit, ut interim dum ipſe Cæſar abeſſet, ille limites Imperii contra barbarorum incurſiones tueretur. Hinc Helmodus in Chron. Slavor. lib. cap. 10. de Othone Imp. loquens ſcribit: Nondum poſt tempora Caroli propter veteres illius gentis ſeditiones Saxonia Ducem acceperat, niſi Cæſarem. Idem habet Crancius in Saxoniâ lib. 2 cap. 29. & pleniùs lib. 4. cap. 16. ubi limites Ducatus Saxonici Hermanno à Cæſare Othone conceſſos definiens hæc addit: Terram verò Brunſvicenſem, quæ poſteà in Ducatum erigitur, & verſus Gottinzenſem & quæ Tranſylvania dicitur, cum terrâ Wittenbergenſi, quæ nunc ſuperior dicitur Saxonia, & omnem Miſniam Thuringiamque tum Saxonici juris pro*

ſe

ſe ac poſteris ſervavère Imperatores. Ad quæ omnia diligenter advertendum. Hinc etiam planiſſimè conſtat: cum omnis Saxonia poſt Car. M. immediatè Cæſaribus paruerit: ad civitates primarias & ab illis immediatè ad Cæſarem jus provocandi fuiſſe. quodque hujus conſequens eſt, illas verè jus Præſidum Provinciæ obtinuiſſe: antequam ulli in Saxonia Ducatus erigerentur, & proinde civitates illas eodem jure adhuc uti: niſi quatenus de contrario fides fieri poteſt. Quatenus enim civitates illas Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus ſubditas eſſe conſtat, eatenus ſuperioribus omnimodò more majorum parendum erit. Hactenus verba conſilii JCtorum iſtorum. Quis verò ex paulò peritioribus hiſtoriarum iſta legens & perpendens non obſtupeſcat? Sanè ſi pari audaciâ in ſimilibus utuntur, mirum non eſt litium in Germania nullum reperiri modum nec finem. Verùm nos qui non ſtatim omnem candidum lapidem adoramus, ut eſt in proverbio, iſta Juriſconſ. oracula diligenter ad veritatem hiſtoricam examinata, non ex Apollinis tripode, ſed inſcitiæ ſive malevolentiæ penu prolata demonſtrabimus.

Et primùm poſt Widechindum Saxonum exregem in iſtâ provinciâ, ſicut & in Thuringiâ, Duces fuiſſe, tam eſt manifeſtum, ut qui id negare velit, cum ratione inſanire velle credi poſſit. Quia verò apud Hiſtoricos de poſteritate Widechindi nonnulla eſt ſententiarum diverſitas, nos omiſſis illis perſonis, de quibus alii aliter ſentiunt, initium faciemus à *Ludolpho*, quem omnes concorditer Henrici Aucupis avum fuiſſe affirmant. Is *Ludolphus*, ſivè *Liutdolfus Saxoniæ Dux* fuit, & à Gobelino Perſonâ, auctore Coſmodromii, ſcriptore non proletario, cap. 42. ſemel atque iterum *Saxoniæ Dux* nominatur. Idem facit Albertus Stadenſis ad annum Chriſti 1024. Ubi *Ludolfum Ducem Saxoniæ nobiliſſimum*, patrem ejus *Walbertum* & avum *Wicbertum Duces Saxoniæ Chriſtianiſſimos* fuiſſe dicit. Idem ut recentiores prætereamus videre eſt apud Sigebertum in Chronographia ad annum 860. aſſerentem; Iſtum *Ludolphum* DUCEM *Saxonum*, patrem *Ottonis* DUCIS, avum autem Henrici Regis, Corpus S. Innocentii Papæ Româ in Saxoniam tranſtuliſſe. Et quid multis? Ipſum *Ludolphum* audiamus fundationes Monaſteriorum Brunteshuſen (hodiè Brunshuſen) & Gandershemii à ſeſe factas, in hæc verba profitentem: *Quia ſcriptum eſt, precium animæ viri, divitiæ ejus. Idcirco ego Ludolphus DUX SAXONIÆ, notum eſſe cupio omnibus Chriſti fidelibus tàm præſentibus quàm futuris, quod ego poſt inchoationem Monaſterii puellarum, quod divina inſpiratione commonitus, ſimulque dilecta conjugis meæ Oda ſuadela inductus, in honorem Præcurſoris, Stephaniique protomartyris in Brunteshuſen ædificare cœpi, literis Dn. Noſtri Ludovici Rom. Reg. inviĉtiſſimi ad ſanctiſſimum Sergium Papam acceptis, cum prædicta conjuge mea anno Dominicæ Incarnationis D.CCC. LIII. Indictione 1, Romam ivi, &c.* Et poſteà; *Cum autem divina cooperante gratia proſpero domum rediiſſemus, gratanter à dicto collegio recepti, eundem locum ſacro puellarum cœtui videntes nimis anguſtum, in quadam ſylva hereditatis noſtræ juxta fluvium Gande, qui alio nomine Ekerna nuncupatur, anno ab Incarnatione Domini D. CCC. LVI. Indictione 4. Eccleſiam in dictorum Confeſſorum honorem non longè à loco priori, celebriori ædificio conſtruximus, &c.* Obiit Ludolphus relictis filiis tribus, Brunone, Ottone & Dancwardo. Ex his *Bruno*, ſecundum Widechindum & Stadenſem natu major accepit gubernandam Saxoniam, fecitque initium urbis Brunſuigæ, quam ſucceſſores ejus inhabitarunt. Hic *Bruno Dux* appellatur ab annalibus Francicis ad annum 880. Dithmaro lib. 2. Helmoldo lib. 1. cap. 7. Adamo Bremenſe cap. 31. Alberto Stadenſe ad annum 876. & 917. Conrado Urſpergenſe pag. 294. Gobelinus cap. 43. *Comitem & Ducem* vocat, qui locus ſi Crancio, in cujus ſcriptis pene totum reperias Coſmodromium, in mentem veniſſet, non adeo turpiter impegiſſet lib. 2. Metrop. cap. 30. ubi affirmat, hujus *Brunonis Saxoniæ Ducis* tempore in Saxonia *Comitum* nomen incompertum fuiſſe. Etenim annales Franciæ proceres iſtos, qui cum Brunone à Normannis cæſi ſunt, diſerte *Comites* vocant, ſicuti idem facit Adamus Bremenſis cap. 31. Taceo, quod nihil frequentius in iſtius temporis ſcriptoribus *Comitum* mentione: & ipſe Crancius in Metropoli lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 16. *Cobbonem Comitem Teckelburgenſem* Ludovici I. Imp. coætaneum non ignorat. Hoc Brunone à Normannis interemto, quod factum eſt anno 880. ſucceſſit in Ducatu frater ejus germanus *Otto* natu minor, ſed, ut Widechindus Corbeienſis, omni virtute potior. Is *Dux Saxoniæ* nominatur à Sigeberto Gemblacenſi ad annum 920. Reginone ad annum 911. Chronico Laurisheimenſe pag. 69. Ottone Friſingenſe Chronici lib. 6. cap. 15. 16. & 18. in hiſtoria Archiepiſcoporum

porum Bremenſ. è bibliotheca Ranzoviana edita ad annum 917. Alberto Stadenſe ad annum 917. Gobelino cap. 46. Widechindus lib. 1. eundem *Magnum Ducem* appellat, quod repetit Urſpergenſis pag. 194. Dignum vero notatu, quod Sigfridus presbyter [illegible] lib. 1. ad annum 917. & Compilator Chronol. anonymus de Saxonibus ad annum [illegible]24. hunc Saxoniæ Ducem *Ottonem de Brunſuiga* appellant, ex quo manifeſtum eſt principem iſtum Brunſuigam, quam frater condiderat, inhabitaſſe, ibique imperium tenuiſſe. Defuncto hoc Ottone, magno Saxoniæ Duce, filius ei ſucceſſit *Henricus Auceps*: cui pater totum reliquit Ducatum, ut Widechindus lib. 1. indigitatur *Auceps Dux Saxoniæ* à Dithmaro lib. 1. Widechindo lib. 1. Reginone ad annum 919. & 920. Sigeberto ad annum 914. & 918. Luitprando Ticinenſi lib. 2. cap. 7. Urſpergenſe pag. 185. & 195. Alberto Stadenſe ad annum 913. & 917. Gobelino Perſona cap. 47. Sigfrid. Præsb. ad annum 888. Nihilque ad rem facit, quod ab Hermanno Contracto & aliis *Auceps Comes* nominatur: illa enim vocabula Ducum, Comitum & Baronum ſæpe apud ſcriptores confunduntur. De Poſteris autem Aucupis, Ottonis & cæterorum, quin æque ut eorum Majores quos diximus, Duces Dominique Saxoniæ Inferioris fuerint, neque ſaltem titulo nomineque tenus ſed ditiones cum Imperio, hereditario jure tenuerint, nemo ſane ſani capitis dubitabit. Ex quibus, niſi valde fallor, [illegible]idiana [illegible]ius eſt, habuiſſe Saxoniam ſuos Duces etiam ante Ottonem Magnum: quod & [illegible] *Thuringia* adfirmat Gobelinus pag. 42. ubi *Ratbolfum Comitem* ex commiſſione Ludewici regis Thuringiæ Ducatum obtinuiſſe ſcribit. Locum illum vidit Crancius, ſed nomen corrupit [illegible] Metropolis lib. 2. cap. 14. Atque hi ſcriptores quos adduxi non tantum [illegible] & Crancio æquari poſſunt, ſed jure præferri debent. Sunt enim antiquiſſimi, quos habemus: ſunt fontes, ex quibus Crancius ſua depromſit: quem ut [illegible] laude minime defraudamus, ſic tamen legendum cenſemus, ut cum aliis eum conferamus. Et in hac ipſa quidem, quam tractamus, quæſtione Crancius ſibi non ſatis conſtat: nam lib. 2. cap. 29. Saxon. de Ducum Saxon. temporibus loquens ſic ait: *Crediderim Saxones ea ætate jam ſubditos religioni paruiſſe Pontificibus, nec Ducis alicujus tuliſſe imperium.* Non crediderim hæc Cranci, quia Epiſcopi ætatis ejus docebant populum, habebant ſcholas templis adjunctas, contenti ſuis decimis & piorum oblationibus nullo erant cum Imperio. Quæ ſequentibus temporibus impetrarunt bona, adminiſtrarunt *Advocati*, ſive *Vice-Domini*. Et de Brunone Antiſtite Coloniæ Agrippinæ tanquam inſolens exemplum refertur, à Widechindo, quod Pontificis ſummi & Ducis magni officium ſimul geſſerit. Erat enim Lotharingiæ Ducatus adminiſtrator. Quod ſi vero apud JCtos iſtos autoritas Cranciii tanti eſt, hunc quoque oſtendam à nobis non diſſentire. Etenim in confutatione Legendæ fabuloſæ, Metropoli adjecta, *Ludolfum Ducem Saxoniæ* appellat, Filios ejus *Ottonem, Brunonem & Tanquardum Duces* vocat Saxoniæ lib. 2. cap. 29. quod idem de Brunone lib. eodem cap. 33. & de ejus fratre Ottone lib. 3. cap. 1. repetit. Etſi ſui ipſius oblitus in Metropoli cap. 16. l. 2. Henricum Aucupem primum Saxoniæ Ducem vocet: in confutatione vero legendæ antedicta id Ludolfo Aucupis avo attribuat. Ad ſummam ex Crancio quod allatum eſt probari minime poteſt: & ſi poſſet, pluris tamen apud nos merito ſunt aliorum teſtimonia. Obteſtor autem per Deum omnes cordatos & veritatis amantes lectores, ut inſpecto loco, quem citant Juriſconſulti illi ex Crancii Saxonia lib. 4. cap. 16. mentem ſcriptoris cognoſcant. Scribit, *Imperatores Saxonicos*, (de illis enim loquitur) *conceſſa Hermanno Billingo Saxonia parte & Sleſvico Regibus Daniæ reddito, retinuiſſe ſui ſuiſque poſteris terram Brunſuicenſem, Gottingenſem & Tranſylvanam regionem cum ſuperiori Saxonia, Miſnia & Thuringia.* Cauſſam ſubjungit his verbis: *Alioqui ſtultum fuerit ditare extraneum & ſuos exheredes facere.* Hic Crancius nihil aliud indicat niſi quod Saxonici Imp. & cum primis Otto M. ſibi & ſuis poſteris more majorum conſervarit ditiones quas jure hæreditario poſſidebant: de illis autem, quæ armis quæſierant aliquid vel reddidiſſe victis, vel nonnullis bene de Republ. meritis tanquam beneficium conceſſiſſe. Hanc ſuam mentem clarius explicat Crancius libro Saxoniæ eodem, cap. 36. Minime gentium igitur extruetur ex Crancio omnem Saxoniam poſt Carolum M. uſque ad Ottonem M. immediate Cæſaribus paruiſſe: imo contrarium ex eo liquet. Utinam vero ſuperiores iſti Germani legiſſent Origines Saxonicas Georgii Fabricii, hiſtorici probatiſſimi, & abe-

[illegible] paradoxa nunquam in medium protuliſſent. De civitatibus primariis, ad quas olim in Saxonia provocatio facta ſit, quæ garriunt, gerræ ſunt Siculæ: nam tota hiſtoria noſtra reclamat. Quæ enim apud nos nunc florent urbes primariæ, ad quas illi reſpiciunt, partim tunc non erant, partim ignobilia fuerunt oppidula, cum primis *Brunſuiga*: niſi forte intelligunt *Gandersheimium* & *Helmæſtadium* quas antiquiſſimas Saxoniæ Ciſveſeranæ civitates fuiſſe, annales teſtantur noſtrates. Verum hæc de præſenti materia hoc tempore: alias plura ſi fuerit opus & ſimilia illi proferent paradoxa.

F I N I S.

BAR-

BARDEVICVM,

Sive

Hiſtoria urbis iſtius, omnium Germanicarum antiquiſſimæ: à quibus & quando condita: quas experta mutationes & qua demum occaſione funditus ſit deleta:

Congeſta ex probatisſimis ſcriptoribus, antiquis & recentibus, editis & MSC. adhibitis veterum Impp. Principumque diplomatis & literis:

opera & ſtudio

HENRICI MEIBOMII.

P. Oro-

P. Oroſius lib. VI. cap. XI.

MUltum ad coërcendam audaciam valet propoſitum punitionis exemplum, cùm ipſa miſeri perſona viventis, & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſiſcitationem cogit ignaros. *Repetit eadem Paulus Aquilegienſis Diaconus hiſtoriæ Miſcellæ lib. VI.*

GEOR-

GEORGIO ET CONRADO
à DASSEL,

LUDOLFI filiis : GEORGI nepotibus,
Patriciis Luneburgenſibus,
Juvenibus lectiſſimis, ornatiſſimis, amicis meis cariſſimis
S. P. D.

Eſt mihi animus, juvenes humaniſſimi, poſt multos eâdem in re hactenus occupatos, quorum laudi nihil derogo, inſtitutum valde probo, antiquitates Saxonicas, & inveſtigare & illuſtrare : ſi non felicius, ſaltem ſcrupuloſius: cùm videam, quod & alibi dixi, unius atq; alterius ſcriptoris fidem apud recentiores tanti eſſe, ut in eâ ſecuri acquieſcant, non iuquirentes, amplius, rectène ac verè omnia dicta ſint, an verò ſæpiusculè aberratum. Vt & ipſe mihi, & de me reipublicæ literariæ policeri poſſim aliquid, faciunt, quæ ad manus ſunt adminicula minimè reticenda. Exiere in publicum intra annos XXXV. Antiquitatum Germanicarum Scriptores veteres non pauci, pluresq; evulgantur quotidie: cum quibus etiam ex ſuo penu aliquid conjungent illi, quos μὴ ἐκδεδομένυς auctores aſſervare, & colligere diligenter, novimus. Editæ ſunt etiam farragines aliquot veterum diplomatum Imperialium, traditionumq;, quas vocant: bullarum item Papalium, veritatem hiſtoricam curioſè inveſtiganti permultum profuturæ. His diligenter lectis, interque ſe cum curâ collatis, animadverti infinita ab aliis, vel oſcitanter prætermiſſa, vel minus rectè tradita, non ſine veritatis, tum jactura, tum obſcuratione. Contigit etiam mihi (quod in aliquâ felicitatis parte colloco) facultas inſpiciendi complurium monaſteriorum, partim archiva, partim libros copiales, quos vocant: in quibus inveni Imperatorum noſtrorum diplomata, Paparum bullas, Epiſcoporuuι, Principum, Comitum, nobiliumq; literas: inſtrumenta donationum & contractuum innumerabilia: quæ me omnia de multis, alibi non obviis, præclare erudierunt. His adminiculis fretus, iter, quod dixi, ingreſſus ſum; editisq; proximo anno IRMINSVLA meâ & Originibus Marcanis LEVOLDI NORTHOVI, viri nobilis, notis noſtris illuſtratis, in aliis ejuſdem generis publicandis concinnandisq; nunc ſum totus. Dabo autem, σὺν θεῷ, aliquot rerum Saxonicarum Scriptores, hactenus inviſos & ineditos: dabo nonnulla hiſtorica proprio marte compoſita; in quibus erunt vita & res geſtæ HENRICI LEONIS filiiq; cognominis PALATINI Rheni, ac nepotis OTTONIS, primi Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducis. Quæ omnia ex editis manuq; ſcriptis auctoribus, immane quantum inter ſe, quà notationem temporis, quà res ipſas & geſta, diſſidentibus, collecta maturo cum judicio ad veritatem infallabilem reduxi, tabulisq; & inſtrumentis, quæ inſpexi, confirmavi. Ejus generis ſequentur familiæ nonnullæ veteres, iu quibus enucleandis à recentioribus plus vice ſimplici, *ut Lyricus inquit, hallucinatum: BILLINGANA, nimi-*

rum,

rum, Stadenſis, VValbecenſis, & Sommerſebvrgia: quæ temporibus Ottonvm & Henricorvm, affinitate Imperatorum, rebusque pro patriâ fortiter feliciterq; geſtis, longe lateq; inclaruerunt. Non dicam omnia, quæ meditor, multa enim ſunt: maloq; prodire illa inopinata, quam ut diu exſpectentur promiſſa. Bardevicvm, urbem olim nobilem, Saxoniæ lumen, hoc tempore extrudere placuit. Cui verò, dicat aliquis, bono? Certè non pauca habet hiſtoria iſta, etſi brevis (longiorem enim, tum penuria, tum negligentia ſcriptorum, qui noſtra poſteritati tradiderunt, eſſe non ſiunt) quæ nos omnes commonefacere & erudire poſſunt de multis, tum jucundis, tum utilibus rebus. Ab antiquitate urbi huic honos & ſplendor: ab emporio fuere opes: magnum præterea adeo maturè, & quidem cum incunabulis propagationis, Chriſtianam religionem agnoviſſe, niſi tam ſalutare beneficium ſceleratè fuiſſet repudiatum. Cujus deteſtandi contemtûs pœna etſi dilata, non tamen ſublata fuit. Chriſtianiſmus denuo introductus, & experta inter ancipites rerum viciſſitudines divina protectio, cùm animos civium ad modeſtiam & gratitudinem inflectere potuiſſet, certè debuiſſet, ſine fructu abiit, pleriſque non in Deum felicitatis humanæ auctorem, ejusq; ſevera mandata, ſed in illud, quod vel arrideret, vel ex uſu videretur, oculos intendentibus: unde neceſſariò ſecuta animadverſio divina: talis quidem, ut, videntes eam, cohorruerint, qui nunc audiant cognoſcantq;, aures illis tinniant, ut Prophetæ verbis utar. Operam hanc noſtram Bardevico impenſam, alicujus certè induſtriæ & laboris, vobis, juvenes ingenui, dedicare & inſcribere volui, cum ſciam amare vos hiſtoriarum ſtudium, ſeduloque conjungere cum juris civilis cognitione, præeunte fideliter vobis nobili & erudito viro, Ioanne à Langen, populari meo percaro, præceptore veſtro ſolertisſimo, qui & ipſe antiquitatis notitiam plurimum amat & ſuſpicit. Eadem mens hoſpiti veſtro V. Cl. Henrico Andreae Cranio, ICto, academiæ hujus profeſſori ordinario, collegæ & amico meo conjunctiſſimo: quantum enim memoriæ rerum geſtarum ille tribuat, quomodoque ad uſum transferat, id oſtendit ſcriptis ſuis, floſculis hujusmodi reſperſis. Horum auctoritate moti, juvenes ornatiſſimi, quod incoaſſe vos dixi, feliciter pertexite iter, operæ pretium reperturi ſuo loco & tempore. Poſſem & aliam dedicationis cauſſam adferre, nimirum quod vobis avita & hereditaria bona eo in loco, ex quo cominus funeſtum cadaver, & campos, ubi Bardevicum fuit, quotidie conſpicitis. Quod igitur, non temerè, nec ſine cauſsâ gravi, à veſtri amante proficiſcitur munus, id benevolo animo accipite, veſtriſq; patruis, Georgio & Francisco, quos honoris cauſſa nomino, viris reverenda dignitate & excellenti doctrinæ eruditione conſpicuis, aliisq; ex pervetuſta honorataq; familia veſtra, patriæ antiquitatis amantibus, Bardevicum noſtrum, imo etiam veſtrum, legendum cognoſcendumq; transmittite, ſimulq; diu & feliciter valete. Dabam Helmſtadii in academia Iulia idibus Martii anno cIↃ IↃc XIII. *qui eſt ab exciſo Bardevico* ccccxxiv.

HENRICVS MEIBOMIVS.

HISTO-

HISTORIA

Bardevici, urbis antiquæ & nobilis.

B*Ardevicum*, ſive Bardorum vicus, Annalibus Francicis *Bardenvvic*. Poëtæ anonymo in vitaKaroliM. & Anſegiſo in Conſtitut. Karoli M. lib. 3. cap. VI. *Bardonvvich*: Brunoni de belloSaxonico*Bardanvvik*, Arnoldo Lubecenſi & Alberto Stadenſi *Bardevvig* & alibi *vicus Bardorum*. Chronico Bremenſi *Bardevvich*: Slavico *Bardevvik*: Irenico Exegeſ. lib. XII. quem ſequitur Jacobus Spig[illegible]ius comme[illegible] ad [illegible] Auſtriados Bartholini, *Bardejugum*. Nicolao Marſchalco, Comment. ad Annales Herulorum *Bardorum vicus* & *Bardero polis* Henrico Ba[illegible] *Bardonis vicus*. [illegible] vera eſt fama, antiquiſſima fuit urbs totius Septentrionalis Germaniæ, ſita [illegible] *Lunovv*, quæ [illegible]c *Elmenovv*, ut ex Hermanni Corneri Chron. univerſali [illegible]t Henningeſius præfat. in opus Geneal. Saxonic. Etenim Roma vetuſtiorem [illegible] Buntingus prima parte Chronici Brunſuicenſis annis *centum & duobus*: Ebe[illegible] Calendario, & Abrahamus Saurius in Diario, *ducentis*: Spangenbergius Chro[illegible]ici cap. XXIII. *ducentis quadraginta duobus*: alii *ducentis triginta quinque*. [illegible]ri ſubſcribunt ſententiæ innituntur teſtimonio verſuum leoninorum, qui [illegible]guntur inſcripti foribus Baſilicæ cathedralis in ruderibus Bardevici. [illegible] a Caſparo Bruſchio in catalogo Epiſcoporum Verdenſium: repetitque [illegible] Lucas Loſſius in farragine epitaphiorum in inferiori Saxonia extantium, qu[illegible] [illegible]dit Vitebergæ anno MDXXC. Sunt autem hi:

Abram dum natus mox Treveris incipit ortus.
Hinc annis Barduic mille, ſex X. quoque quinque.
Poſt Barduic Roma duo C. cum quinque triginta.
M. C. poſt Nat. junctis octoginta novemque,
Dum Brunſuicenſis Dux Henricus Leo dictus
Simonis in feſto Barduic ſubvertit ab alto.

[illegible] fidem merentur verſus, urbs condita eſt anno mundi MMDCCCLXXXV [illegible] C[illegible] DCCCCXC. anno poſt diſtractionem regni Salomonis XIV. [illegible]omen urbs a[illegible] a *Bardone* fundatore, ut Crancius opinatur Saxon[illegible] VII. cap. II. & V[illegible]æ lib. III. cap. VI. cui conjecturæ ſubſcribit AdrianusRo[illegible] h[illegible]tro urbi[illegible] B[illegible]u ſuice[illegible] ſtum advocatus in des Stahts Kurtzer abſerti[illegible] [illegible] & Buntingus citato loco: ubi [illegible] qua licentia Bardone[illegible] tum re[illegible] Longobardis, ut putat Beatus Rhenanus lib. II ſed à *Bardis* gente Bo[illegible] [illegible]cius quidem, locis adductis, Bardorum gentis nomen apud nullum ſe ſcri[illegible] [illegible] ſcribit, Latinos tantum Bardos vocare barbaros, & omnem indiſcipli[illegible] [illegible] barbarum populum. At venire in mentem ipſi debuiſſet, minime eos præ[illegible] Adamo Bremenſe, tum ab Helmoldo, quos equidem ipſe legit, peneque [illegible]d verbum exſcripſit, licet nominare [illegible] dignetur. Adamus Bremenſis lib. [illegible] [illegible]ent[illegible]ne quamvis obſcura, indicat Bardos: diſertius expreſſiusque [illegible] lib. [illegible] XVI XXV. & XXVI. ubi *Stormariis*, *Holſatis* & *Ditmarſis* *Magnoque* [illegible]*ngano* ſubjecti fuiſſe commemorantur. Helmoldi verba [illegible] repetit Saxon. lib. V. cap. XXVII. Vandaliæ lib. III. cap. VII. IX. & XX. [illegible]us [illegible] nomine [illegible]dos potuit. Quid, quod vetus interpres Juvenalis, editus [illegible] Satyr. XVI. *Bardos* vocat *gentem Galliæ*? comprehenſos autem Gallorum [illegible]e etiam Germanos nemo doctus ignorat.

[illegible] Bardorum [illegible] me[illegible]e eſt Germanicum, apud Saxones nec dum deſitum, [illegible] loci. Ed[illegible] m Saxonibus tam Cis-Veſeranis, quam Tranſ-Ve[illegible] [illegible]um Börde, *locus planus & uber*, ut Joannes Neowaldius JC. commen[illegible] Weſtphaliæ colonis. Peucerus lib. IV. Chron. Cario. Philippici edi[illegible] [illegible]it agrum oneratum de proventu annuo frugum, ac velut hor[illegible]

reum

reum cæterorum partium aridiorum. Suffragatur utrique Spangenbergius Chron. Saxon. cap. XIII. iſtis verbis: Börde das iſt ein gar fruchtbares freytiches Land/das Getreidig und Einkommen genug trägt oder böret. Nec diſſentit Chriſtophor[illegible] Entzelius in Chronico veteris marchiæ, ubi hæc habet: Es iſt aber die Börde auf alt Deutſch/ quaſi horreum, das es ein fruchtbar Land von Korn iſt.

Hæc non improbo: nam & hodie uſitatum, [illegible]t quæ reliquis fertiliora ſ[illegible] hoc nomine veniant. Atque inde Bordæ Magdeburgicæ, una *alta* die [illegible] altera *ſylvatica*, die Holtzbörde. Et ſecundum has Börda Halberſtadiana, [illegible] ſis & Embecenſis, cis Viſurgim, ultra eum, Suſatenſis & Wendena in a[illegible] Lipp[illegible] Diſſentio autem in hoc, quod Neowaldius & Peucerus vocabulum Börde *ab* [illegible] *proventuum* quaſi Bürde: Spangenbergius à *ferendis frugibus*, Saxonice B[illegible]ren [illegible] fluxiſſe velint, cum hæc ipſa agris fertilibus communi[illegible] ſint cum minus [illegible] nam & hi ferunt, quantum natura dedit, & ſua quoque ſentiunt onera.

Conjectura vero mea hæc eſt, Börde nihil eſſe aliud, quam Bawerde [illegible] *cultui apta*: vel ſi mavis Bawart/ nam & hodie nobis arthafftig Land/eſt *terra* [illegible]*taria*. Eodem modo Garde/ latine hortus, Saxonibus eſt idem quod Gar[illegible] *ſtercorata*, ſive pinguefacta: ſive Garart. Vocabulum autem triſyllab[illegible] vel ſi id magis placet, Bawördet/ per ſynæreſin factum eſt diſſyllabum Bör[illegible] modo, quo Bawer/ agricola, ex diſſyllabo abiit in monoſyllabum Bawr [illegible] compoſitum Naherbawer ſive Nacherbawer/ hoc eſt colonus vicinus, ſit [illegible] Quemadmodum igitur paluſtrium regionum incolæ nominatæ ſunt à [illegible] Bröker/ Romanis *Bructeri*: paſcuorum locorum habitatores Marſcher [illegible] manis *Marſi*: ſic à fundis feracibus nomen ſumſere die Bröder/ Latinis Bar[illegible] *Angrivarii* etiam ab agris (nos Anger appellamus) antiquitus dicti ſ[illegible] tem ager Bardevicenſis jucundus & fructuoſus, cum in vicinia admodum [illegible]t & exilis.

Ab his vero Bardis, agrorum cultoribus, ſegrego omnino *Bar[illegible]os* [illegible], quorum meminere Lucanus libro I. Pharſaliæ, Feſtus Pompejus, Strabo lib. [illegible]. Ammianus Marcellinus lib. XV. Fuere illi, ut Strabo, ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί [illegible] habent Diodorus Siculus & Athenæus lib. VI. Nomen adepti ſunt à *[illegible]eneratione* [illegible] digni habiti, quaſi dicas die Werden/ quale noſtrum lieb und werth. Liter[illegible] a[illegible] mutata eſt in A more Septentrionalibus Saxonibus fami[illegible]ri, quibu[illegible] Werd[illegible], pronunciatur Warder/ & pro Kercke templum, Bercken/ procellus, Wercke[illegible] dicitur Karcke/ Barcken/ Warcken/ &c. W. vero Germanic[illegible]m mu[illegible] Latinum à ſcriptoribus, uti in multis aliis vocabulis uſu venit, qualia ſu[illegible] D[illegible]/ Herwert/ Siegewert.

A *Bardis* igitur, noſtratibus colonis, nomen ſuum habet Bardov[illegible] vero vocabulum πολύσημον eſt & plura ſignificat. Alfricus Anglo Saxo, ſ[illegible] vetuſtus, quem laudat Guil. Camdenus in ſua Britannia pag. CC[illegible]IV, v[illegible] e[illegible] Ejus ſententiam ſequi videtur Nicolaus Marſcalcus Thurius Comm. ad A[illegible] culorum, ubi ait: Wic in alter Sachſiſcher Sprach heiſt ein Fleck oder S[illegible] kunnen ſich die Bürger und einwohner des Landes vor gewalt enthalten. R[illegible] vocant, vocabulorũ veterum, Juri Saxonico ſubnexum *Wic* ſive *Weich* [illegible] *Jurisdictionem*: Weich heiſt ſo viel als Jurisdictio Gericht oder Gebiet: W[illegible] ſo viel/ als weit ein Gebit umb eine Stad iſt. Huc pertinere credas, quo[illegible] tiquis *Wicmanni* dicuntur cives honoratiores, & qui ſunt in ſenatu. H[illegible] judex in vico. Crancius Saxoniæ l. II. c. XXX. & Met. l. II. c. III. affirmat *Wic* [illegible] excurrentis fluvii, aut maris. Hanc ſententiam perſuaſit Beato Rh[illegible] Althamero, viris doctiſſimis: nam hic commentario ad Tacitum, i[illegible] Germanicarum idem inculcant, infinitosque ex recentioribus habent ſuff[illegible]

Fridericus Lindenbrogius *Wic*, *lucum* v[illegible]t eſſe, & vocabu[illegible] W[illegible] eſſe ſcribit, quod Græcis ἀλσοφύλαξ, cuſtos luci. à cujus opinione n[illegible]n a[illegible] Henningeſius qui in præfat. operis Geneal. pag. XI. *Wic* inte[illegible] nim plerumque in locis & lucis aliis ſacris. Vide etiam Georg. T[illegible]rq[illegible] Magdeb. MS. lib. III. cap. VI.

Hadrianus demum Junius per *Wic* intelligit ſtationem ſecuram [illegible]

[illegible]ibus

[illegible] ædificiis habitatur: qualis ſtatio Latinis *vicus* dicitur, quem JCti dicunt eſſe p[illegible]em urbis, quæ ex mul[illegible]plicatis domi[illegible] conſtat, quemadmodum deinde ex multiplicatis vicis fit urbs. Neque abſurde fieri credam, *Wic* noſtrum à Latino *vicus* dic[illegible] ut [illegible] apud nos vocabula plurim[illegible], quæ Latinam origi[illegible]em ſapiunt. Ita *vinum* Saxonicum noſtris eſt Wijn, *flamma* Flamme/ *porta* Porte/ *furca* Forcke/ *puteus* Putte/ [illegible], *pali* Pahl/ *palus, paludis*, Poel/ *feneſtra* Fenſter/ *corbis* Korb/ *cavea* Kove/ *axis* [illegible] *tectum* Dack/ *murus* Mure/ *mus* Muß/ *ſaccus* Sack/ *vas* Vaß/ *ſemen* Samen/ *ager* [illegible] *gramen* Grammen/ *facula* Fackel/ *macula* mackel/ *nomen* Nahm/ *catus* Katte/ *he*[illegible]*us* Heer/ *caput* Kop/ *pix* Pick/ *pilum* pijl/ *ſigillum* Siegel/ *lyra* Lyre/ *par* Paar/ *vannus* [illegible]n/ *ventus* Wind/ *nemo* niemand/ *pœna* Pyn/ *rapa* Rove/ *caulis* Kohl/ *piſcis* Fiſch/ [illegible] O[illegible] *calix* Kelck/ *poſtis* Poſt/ *pila* Ball/ *fluvius* Fluß/ *verus* war/ *mica* Mick/ *ſicula* Sichel/ *novus* New/ *turris* Thurm/ *limus* Lehm/ *vermis* Worm/ *rectus* Recht/ *rota* [illegible]de/ *templum* Tempel/ *feſtum* Feſt/ *pes* Fus/ *pullus* Füllen/ *tenuis* Dünne/ *laſſus* Laß/ [illegible]*llum* Wall/ *ſcrinium* Schryn/ *caſeus* Keſe/ *cella* Keller/ *plaga* Plage/ *calx* Kalck/ *vellus* [illegible]/ *vaſtus* Woeſt/ *macer* Mager/ *craſſus* Groß/ *clavus* Klar/ *flagellum* Flegell/ *jugum* J[illegible]/ *bucca* Backe. Ita *ſcabere* Schabben/ Schaben/ *vadare* Waden/ *regere* Regieren/ *f*[illegible]*er* Freren/ *durare* Düren/ *rigare* Regen/ *domare* Temen/ *tonare* Tonnern/ *vacillare* [illegible] *monere* Manen, & plurima alia. Ita etiam non dubitarim à *vella* (ita vete[illegible] vocabant *villam*, quaſi *vehillam*, à convehen[illegible] frugibus, ut vult Varro lib. 1. de [illegible] cap. 11.) ortum eſſe vocabulum Welle/ ſignificans domum, vel modicam do[illegible] congeriem, ut Rotwelle in agro Mansfeldico: Cotwelle cujus mentio in literis [illegible]ii Mariævallenſis. Plen[illegible]ore idem ſono enunciatur Wedel/ quo nomine eſt [illegible] in Holſatia, & pagus prope Riddagshuſium. Compoſita inde paſſim inve[illegible] Norchwedel & Steinwedel in agro Luneburgico: Lawenwedel arx quam ex [illegible]sb[illegible]o condidit Henricus Mirabilis teſte Onufrio Meinroſe. Soltwedel in veteri Marchia Brandenburgica: Langewedel in diœceſi Bremenſi. V, vero geminatum [illegible]t ex veterum pronunciatione, quod indicant ſimilia vocabula, puta, vacillo, v[illegible], [illegible]us, vannus, vaſtus, verbum, vermis, verum, veſpa, vidua, quæ nobis [illegible]eln/ wall/ wahn/ wanne/ wöſte/ werb/ worm/ war/ weſpe/ witwe.

Compoſita à Wic etiam invenias paſſim, ut *Catvvic* Cattorum colonia, & [illegible]*tvvic* apud Batavos: *Warvvic* & *Norvvic* & *Harevvich* in Saxonia Traſma[illegible]e Anglia: *Holvvic* & *Gutterſuick* in Weſtvalia: *Coſvvic* ad Albim non pro[illegible] [illegible]eberga: *Sleſvvic* ad locum Sliam in Holſatia: *Oſtervvic* in diœceſi Halber[illegible]: & *Bruneſvic* in vicinia noſtra.

A Bardevico, Bardorum caſtello, ſive propugnaculo, ſive vico, nomen acce[illegible] totus iſte pagus ſive tractus, à quo circumcirca ambitur & quaſi in[illegible]. An[illegible] F[illegible]ncici Adelmo auctore ad annum DCCXXCIV. *Bardengavv* [illegible] anon[illegible] *Berdamgo*: diploma Ludovici ſecundi Imp. datum Francofurti *Bardengoa*: Bulla [illegible] Papæ data anno DCCCLXIV. *Berdangoa*: Regi[illegible] *Bardenguni*: monachus [illegible]nſis in vita Karoli M. *Bardingovin* appellat. R[illegible]ne omnium annales: [illegible]ow antiquis Germanis *pagum*, id eſt, *tractum ſeu diſtrictum unius ditionis ſeu re*[illegible] *ſignificavit*, quod alibi pluribus docuimus.

[illegible]notum m[illegible]nſi Bardevicum tam Romanis, quam Græcis ſcriptoribus, ſicut [illegible] Germania, exceptis, quæ a Cæſare, Paterculo, Tacito, Strabone, P[illegible] [illegible]sque pauciſſimis ſtrictim breviterque commemorantur. Solus Rhenanus, [illegible]jus fide, rerum German. lib. 1. auctor eſt, *Tiberio* imperante, *Longobardos* [illegible]rdevi[illegible]m ſed[illegible] habuiſſe: quam aſſertionem in medio relinquimus. Vero[illegible]e eſt, flo[illegible] Bardevicum cum *Julino* & *Wineta* urbibus, nobiliſſimis. Qua[illegible] hæc inteſtinis odiis, civilibusque diſſidiis exhauſta defeciſſet: illa à *Danis* [illegible]ta delataque [illegible]t, ſuperſtes utique Bardevicum emporium fuit continentis [illegible]berrimum.

[illegible]nnotuit demum annalibus per occaſionem Evangelii de filio Dei Chriſto Je[illegible] [illegible]æ[illegible]cati, minime tamen hadmiſſi. Teſtis eſt Henricus Hervordienſis, mona[illegible] [illegible]s San. Paul[illegible]s apud Mindenſes. Verba ejus lib. de factis me[illegible]mo[illegible]b[illegible]: *Duo ex LXXII. Chriſti diſcipulis miſſi ſunt per B. Petrum Apoſtolum in Teutoniam, verbum Dei prædicaturi: unus quidem in Treverim ſuper ſ[illegible] Mo-*

ſeſſam, ſcilicet Maternum: alius autem, ſcilicet Ægiſtus. *in Bardew. ſuper fl.* [illegible] *cum* Mariano, *qui fuit archidiaconus ejus, & in Bardevvic coronam ma*[illegible]*ii perceperunt, & adhuc eorum corpora requieſcunt Ægiſti quidem in loco ignoto in majori altari, ad S. Petrum ibidem.* Hactenus i[illegible]le. Repetuntu[illegible] hæc in Hiſto[illegible]a M[illegible] c[illegible]torial. lib. II. cap. II. & X. & inde à Michaële Uranio, tractatu de LXXI[illegible]. di[illegible] C[illegible]. Meminere etiam Petrus Albinus titulo XI. Chronici Miſnenſis & Erpoldus L[illegible]den[illegible]gius Hiſtoria Caroli Magni. Nicolaus Marſch[illegible] cædis a[illegible] *Th*[illegible] qui ipſi iidem cum *Thuringis*, exemplo fortaſſis Donati Accial[illegible] M. deſcripſit, & Thuringos, Thurios vocat. Crancius Metrop. l[illegible]. I. cap. [illegible] u[illegible] ex D. Petri diſcipulis Bardovicum veniſſe memorat, ſed nec nom[illegible] ipſum, nec d[illegible]rio verbum facit ullum. Addit tamen Evangeliſtæ transmiſſi λείψανα à reg[illegible]cum *Kanuto*, qui Henrico Leoni ſocero Bardevicum expugnanti præſto fue[illegible]ra, tanquam nobilem labori[illegible]ſæ expeditionis mercedem, in Daniam tra[illegible]a. [illegible] his omnibus famam ſe ait ſecutum, cum in annalibus nihil tale inveniatur. [illegible] aſſentitur Andreas Vellejus Danus. Wernerus Rolevingi[illegible]s parte I. cap. III. de veteris Saxoniæ, de Ægiſto eadem refert cum Hervordienſe: à Crancio [illegible] ſcribens ſuo tempore, anno ſcilicet MCCCCLXXXIIX. adhuc Bardev[illegible] d[illegible] ſtratas fuiſſe Ægiſti reliquias. Divo vero Mariano ſepulchrum ex[illegible] fe[illegible]nem, Epiſcopum Verdenſis Eccleſiæ, refert Crancius Metrop. lib. III. cap. XX[illegible] Vide etiam Suffridi Petri librum de ſcriptoribus Friſiæ Decadis II. cap. IV.

A Karolo M. Bardevicum *ſede Epiſcopali* donatum teſtatur C[illegible]ronicon M[illegible]ſe & prolixè Hermannus Bothe, qui etiam vult primum ejus loci Ep[illegible] S. Swibertum, & à Karolo ædem ibi in honorem SS. Petri & Pa[illegible] Crancius hoc non tam affirmat, quàm conj[illegible]it: nam Saxo[illegible]æ lib. II. [illegible]*nitude*, quod in Metropoli lib. I. cap. VI. & XXIX. *Konende* dicitur, p[illegible] cathedræ Verdenſis ſedem affirmat, eumque locum Bardevicum [illegible] Sed hanc Crancii ſententiam, etſi ſuffragatores habeat Munſterum Bru[illegible] Peucerum, refutat diploma Karoli M. quod exſtat in Chronico Breme[illegible]rici Wolteri. Verba Karoli hæc ſunt: *Terram autem illorum* (S[illegible]) *antiquum Romanorum morem in provincias redigentes, & in Epiſcopa*[illegible] *cert*[illegible] *diſtribuentes, quandam Aquilonarem illius partem Domino noſtro Jeſu Chriſto* [illegible] *Bisſimæ ejus genitrici obtulimus, & in loco* Phardum *vocato, ſuper A*[illegible]*eram in pago, qui dicitur* Sturmi, *eccleſiam & cathedram Epiſcopalem ſtatuimus, &* [illegible] *enſis eccleſiæ Epiſcopatui, interventu Lullonis illius Metropolis ec*[illegible]*æ* [illegible] *ſubjecimus &c.* Vide etiam pagos noſtros Saxonicos.

Hoc conſtat ex hiſtoricis, durante bello Saxonico, Karolum [illegible]agn[illegible]ties Bardevicum interviſiſſe. Venit illuc anno DCCLXXXV[illegible] eis ex primoribus regni. Hi *Witichindo* & *Albioni* belli Saxoni[illegible] fecerunt veniæ re[illegible]el[illegible]is & contumaciæ, modò Karolo, pri[illegible]ipi na[illegible] deratoque ſupplices fi[illegible] quodque unum ab eis poſtulaſſ[illegible]t hacte[illegible]s [illegible]num denegari ſibi vellet, obſequenter præſtarent, nempe ut nefandam [illegible]ligionem abjicerent, ſiquidem hoc [illegible]d [illegible]utem ipſorum ætern[illegible] pe[illegible] verò genti, tam Francicæ, quam Saxonicæ, pacis & tranquil[illegible]itatis o[illegible] oſtendat indubitatam. Iide[illegible] proceres Karolo hortatores fuere m[illegible]ribus aliquem ad Saxones, [illegible]dicatum quid fieri vellet n[illegible]e[illegible]em, cujus vindices ſe profiteantur: nihi[illegible] hujus metuendum: quæri [illegible] bonum, quod m[illegible]bus evenire poſſit, nempe ut veri [illegible]ei [illegible]tio[illegible]e i[illegible] æternâ beatitud[illegible] acquire[illegible]dâ certi reddantur: deinde fe[illegible]itate, quæ ab [illegible]ſute proxima eſt, pace videlicet, cum vicinis perfruantur ſecurâ invio[illegible] bavit conſilium Karo[illegible], miſſoque *Amalwino* [illegible]co cum ob[illegible] belles hactenus, Attiniacum in Franciam evocavit. Quo in loco, & in [illegible] Chriſtianâ fideliter inſtituti, & ſacra baptiſ[illegible]atis undâ ablu[illegible]i ſu[illegible]. [illegible] gentem Karolum ſalutarunt, quotquot ante q[illegible]quennium, [illegible] præfectu[illegible] Stademenſis in Ducatu Brunſvicenſi, *Orbeim. Orbem*, ſive *Horm* dicto (G[illegible] quatus Chron. Magdeburg. MSC. lib. III. cap. I. parum recte inte[illegible]git de [illegible]go) in ripâ fluminis *Obacri*, qui nobis eſt *Ocris*, ſive *Ovcer*, baptiſmum acceperant.

Erant

Erant illi partim pagi Bardingovii incolæ: partim ex *Nordluidis*, hoc eſt, populis ſeptentrionalibus. Karolus benignè comiterque exceptos, muneribus donavit, diligenterq; hortatus eſt, in agnitâ veritate perſiſterent, nec deſultoria levitate novis bellis occaſionem præberent.

Repreſſerat nonnihil Saxones reliquos Witichindi & Albionis Chriſtianiſmus, verùm quòd imperium Francicum, quantumvis moderatum, plane averſarentur, de rebellandi occaſionibus nunquam non cogitabant: idque eò magis quòd animadverterent, barbaras gentes Henetas, Francis confœderatas, Saxonum virtutem deſpicatui ducere, ipſisque ſervitutem exprobrare. Apud *Abodritos* (nonnulli Obodritos ſive Obotritos vocant) cum imperio tum temporis erat *Witzan*: monacho Egolismenſi in vitâ Karoli M. eſt *Winetzin*, Adelmo in Annalib. Francicis *Wilzan*, Sigeberto Gemblacenſi *VVithan*) is militarat Karolo contra *VViltzas* Slavos, ab eo tempore in ſociis regni Francici habitus. Cùm autem commoverent ſe, qui verſus ſeptentrionem habitant Saxones, Karolus cum exercitu deſcendit Bardevicum, ſuosque fœderatos Abodritos cum copiis auxiliaribus adeſſe ſibi mandavit. Witzan regulus eveſtigiò itineri ſe accingebat, comparatisque navigiis in eo erat, ut oppoſitum flumen Albis transmitteret. Saxones de molitionibus adventuque hoſtis commonefacti, in utrâque ripâ inſidias inſtruxerant, quas ille â fronte pariter & tergo videns, cum nec recedere, neque progredi tutò poſſet, in ipſo alveo fluminis interemtus eſt. Injuriam tam atrocem, ſocio & amico illatam, Karolus acerbè ultus eſt, cæſis in hoſtico pugnatorum millibus XXX. ut ſcribit monachus Egolismenſis. Idem locum, ubi Witzan occubuit, vocat *Luini*, qui annalibus Fuldenſibus *Liuni*, Reginoni *Hiliuni*: eſtque ſine dubio *Lüne* prope Luneburgum, ubi hodie illuſtre cœnobium monialium conditum anno MCLXXII. Cædes Wizanis incidit in annum DCCXCV. Poëta anonymus in vita Karoli M. hiſtoriam hanc recitans *Bardonwich*, ſic enim ſcribit, ut ſuprà etiam meminimus, *nobilem vicum indigitat*. Witzanis nomen videtur à *lumine* ſumtum, nam, Hieronymo Emſero teſte, *VVitz* Henetâ linguâ eſt lumen.

Quadriennio pòſt Karolus M. iterum cum fortiſſimorum militum exercitu Saxoniam ingreſſus, cohortes aliquot ſecum Padibonæ remanere juſſit, reliquas copias tradidit filio primogenito Karolo, ut Septentrionem verſus proficiſcens, â Nordleudis, Francorum imperio ſe ſubjecturis fidelitatis juramentum reciperet, ſimulque vicinos eorum Wiltzos & Abodritos, Francis confœderatos, ut in fide, ſemel datâ juratâque, firmiter permanerent, parentis nomine cohortaretur. In hac expeditione Karolus junior Bardevici aliquamdiu commoratus ſcribitur. Nec plura de Bardevico in hiſtoriâ Francorum invenias, niſi quòd Anſegiſus, qui vixit circa annum DCCCXL. in conſtitutionibus Karoli M. lib. III. cap. VI. mentionem Bardevici faciat: *De negociatoribus*, inquit, *qui partibus Slavorum & Havarorum pergunt, quousque procedere cum ſuis negotiis debeant: id eſt. partibus Saxoniæ usque ad* Bardenwich, *& ad Magadeburg, & ad Erpesfurd, & ad Halaxſtad, & ad Forachaim, & ad Breemberg, & ad Reginisburg & ad Lauriacum: & ut arma &* brunias, *non ducant ad venum dandum &c.* Ubi *Bruniam*, (quæ vox ſæpe occurrit in Lege Salica, Lege Ripuar. & Capitulario Caroli M.) Lutherus in Etymol. Germ. interpretatur *galeam*, præſertim criſtatam & cornutam: Frid. Lindenbrogius *thoracem*, ſive *loricam*: Vitus Armerbachius Notis in conſtit. Caroli M. *domunculam*, ſed male; ad arma enim & armaturam pertinet.

Ab obitu Caroli M. muta omnis hiſtoria de Bardis, eorumque vico, usque ad tempora Ottonis M. Cæſaris. Dubium tamen non eſt, poſteris Karoli bellis civilibus mutuò ſe atterentibus, avitâque Francorum virtute & fortitudine quaſi conſeneſcente, Bardevicum, tum à Nordmanis, qui Dani, tum à Slavis graviter afflictum fuiſſe. Erant hæ gentes à religione Chriſtianâ alienæ, ſine humano civilique cultu, feris non abſimiles, tantùm hoc agentes, ut vicinos rapinis & cædibus moleſtarent. A Slavis major ſemper metus & calamitas, quòd vicini: nam Abodritis Karolus eam Saxoniæ partem, quæ trans Albim eſt, inhabitandam dederat, veteribus colonis in Franciam migrare juſſis. Protulerunt advenæ iſti imperium longè lateque, quod tùm diplomata & literæ veteres, in quibus *Slavitica* villæ crebrò occurrunt

 (etiam

Digitized by Google

(etiam apud Helmeſtadium, ubi Bendorfium, nobilibus Velthemiis parens, Slavica fuiſſe villa indicatur) tum ſermo, *Henetus* in agro Luneburgico apud colonos etiamnum uſitatus, manifeſtum faciunt.

Luctatos tamen cum barbaris Saxonum proceres, oſtendit expeditio *Brunonis* Ducis, *Henrici Aucupis* Cæſaris patrui, qui pro patriâ contra Nordmanos fortiter pugnans, cum duobus Epiſcopis & Comitibus XII. occubuit: oſtendit hiſtoria *Ottonis*, magni Ducis Saxoniæ, & demum ipſius Aucupis, qui omnes continua cum Henetis bella gerentes, universâ penè Saxoniâ eos ejecerunt.

Otto autem magnus, Aucupis & filius, & in Imperio ſucceſſor, ut tam patriæ, quàm reipublicæ conſuleret, Saxoniam *Aquilonialem* (ſic vocatur à Bertoldo Conſtantienſi) ne à barbaris circumſeſſa ſine certo eſſet defenſore, illuſtri & generoſo viro *Hermanno Billingo* non agricolæ ſive ruſtici, neque pauperis alicujus ex ordine equeſtri hominis, ut falsò affirmatum creditumque fuit hactenus ſed Comitis ſive Dynaſtæ Saxonici filio, qui prope *Soltovium* in agro Luneburgenſi poſſeſſiones avitas fortè non ita magnas habebat, primò adminiſtrandam, deinde jure hæreditario fruendam poſſidendamque conceſſit, addito titulo Ducis Saxoniæ. Hic novus princeps provinciam ſuæ fidei commiſſam, & in eâ Bardevicum, continuis ſuperiorum temporum impreſſionibus, bellis, & tumultibus, penè in nihilum redactum, quantum potuit, reſtituit, inſtaurato emporio, civiumque numero adaucto. Cumque regionem propugnaculo, reprimendis barbaris, & ſubditis tutandis idoneo, deſtitui videret, non longè à Bardevico ad fluvium Elmenovium (cui, ſicuti etiam Albi, ab undecim rivulis in unum flumen ibi coaleſcentibus, quaſi dicas, die Elvenow/ nomen inditum volunt, licet Henningeſius ex Hermanni Corneri Chron. MS. affirmet antiquitus flumen hoc Luunow vocatum) monti excelſo caſtrum impoſuit firmiſſimum. Mons iſte à calce foſſili, quam ad radices gignit copiosè, nomen accepit, inſignis olim ſplendido familiæ Benedictinæ cœnobio, cujus auſpicem faciunt *Ottonem*, magnum Saxoniæ Ducem, inſtauratorem *Hermannum* Billingum, perfectorem *Bernbardum*, hujus filium. Floret hodieque de monte in urbem Luneburgum translatum. Atque hoc modo Bardevicum pervenit ad familiam Billinganam, quæ in Saxoniâ cum imperio fuit annis circiter centum & quinquaginta, ut Crancius Saxon. lib. V. cap. XXIIX. defecitque in Magno Hermanni Billingi abnepote.

Temporibus Conradi Salici Imp. *Miſtiwoi* Abodridorum regulus, antea Chriſtianus, mox apoſtata, atque iterum Chriſtianus, & à ſuis vel pulſus, vel ſponte exul, Bardovici vixit & vitam finivit, circa annum MXXV. Videatur Helmoldus Buzovienſis Chron. Slav. lib. I. cap. XVI. Hier. Henningeſius in Genealogia Ducum Megapol. cap. CCXCI.

Hujus temporibus *Buthue*, *Gotſchalci* Abodritorum reguli, ob Chriſtianæ religionis profeſſionem propagationemque à ſuis trucidati, filius, adverſarium ſuum *Cruconem* (Stadenſis & Crancius *Critonem* vocant) *Grimi* filium, per vim principatum adeptum, bello aggreſſurus, copias auxiliares à Magno Duce petit & impetrat. Erant hæ ex Holſatis, Ditmarſis, Stormariis & *Bardis*: verùm quòd Buthue non ſatis cautè ageret, nec bene monenti morem gereret, interveniente proditione, contra datam fidem à barbaris inermis cum fortiſſimis quibusque ex Bardis contrucidatur, anno MLXVII. ut Albertus Stadenſis ex Helmoldo Buzovienſe.

Non multo pòſt ortum eſt funeſtiſſimum bellum civile, inter *Henricum IV.* Imp. juvenili temeritate ferociâque laſcivientem, & *Saxones*, quorum libertas quo magis periclitari videbatur hoc acrius defenſa eſt. Induit tum etiam arma **Magnus** Billingus, inauſpicatò tamen, etenim in poteſtatem Cæſaris deveniens *Hartesburgum* in cuſtodiam parum clementem deducitur. Dum ibi detinetur captivus, Cæſar odio Saxonum totus furens, internuncio archiepiſcopo Bremenſe *Adelberto*, alienigenâ, & Saxonibus æquè inviſo ac infenſo, *Suenonem* Eſtritium, cognomento magnum, Daniæ & Norwegiæ regem, Bardevicum evocavit, de Saxonibus, vel ſubjugandis, vel prorſus exſtirpandis, delendisque, cum ipſo deliberaturus. Admodum ſecretum fuit hoc colloquium, in quod præter archiepiſcopum Bremenſem admiſſus eſt nemo. Emanavit tamen rumor de fœdere illic in hanc ſententiam ſanci-

ſancito. Daniæ rex Saxones, Imperatori rebelles, terrâ mariqúe oppugnet, expugnet, expeditionis iſtius mercedem habiturus regiones Saxonicas omnes, Daniæ regno finitimas. Schafnaburgenſis ad annum MLXXIII. ſcribit promiſſam Dano ditionem *Vdonis* Stadenſium principis, ſive marchionis, ampliſſimam, de quâ Adamus Bremenſis lib. IV. cap. V. Verum mors Suenonis proximo anno ſubſecuta totum hoc negocium irritum fecit. Idem Adamus libro eodem, cap. XXV. ſcribit Reges in arce *Luneburgicâ*, quam Cæſar detento in carcere Duce Magno ſibi vendicat, congreſſos. Cum Adamo faciunt, Chronicon Bremenſe editum ab Erpoldo, Stadenſis, & Crancius metropol. lib. IV. cap. VI. nos ſequimur Brunonem belli Saxonici ſcriptorem.

Paullo ante obitum M. Billingi, non in carcere (ut pene omnes, in vita & reclamante veritate, recentes hiſtorici ſcribunt) ſe domi ſuæ placide defuncti, alter Gotſchalci Abodriti filius *Henricus*, ex Dania, ubi apud ſuos (quippe qui *Syritba* Suenonis Eſtritii filia natus eſſet) hactenus exſulaverat, domum rediens, de Crucone quem diximus, è ditione paterna pellendo cogitabat. Quem cum hominem vaferrimum inſidioſumque experiretur, iiſdem artibus uſus, inſidiis circumventum trucidari curavit, hoc modo majorum ſuorum ditione potitus eſt, ſed quod Chriſtianus eſſet, & magno Saxoniæ Duci juramentum fidelitatis præſtitiſſet, Slavorum quorundam odia in vidiamque incurrit, factaque conjuratione bello petitur. Enituit tum fides Ducis Magni, qui, etſi annis gravis, laboribusque exhauſtus, cum cliente in Slavos progreſſus feliciter & proſpere pugnavit, hoſtibus partim cæſis, partim fugatis. Interfuere huic expeditioni *Bardi* magno numero, cladem que ſuperiori bello acceptam probe ulti ſunt.

Poſt Magni Billingi obitum, in annum Chriſti MCVI. incidentem, *Lotharius* natus ex illuſtri *Querfurtenſium* dynaſtarum proſapia, Henrici V. Cæſaris beneficio Ducatum Saxoniæ indipiſcitur, neque multo poſt in Imperio ſuccedit. Is Bardevici fuit anno MCXXXVII. vel quod comitia ibi haberet, ut Spangenbergius credit, vel quod in hereditaria urbe degens, de conſtituenda provincia, quoque modo vicini Slavi ab ea arceri, & intra fines ſuos contineri poſſent, conſilia cum ſuis agitaret. Habuit tum temporis ſecum *Richenſe* Auguſtam, quam inepte admodum *Rixam* nonnulli vocant, & proceribus *Adelbertum* (qui aliis *Adelberto*) archiepiſcopum Bremenſem, *Ditmarum*, Epiſcopum Verdenſem *Adelbertum*, marchionem Brandenburgenſem, *Fridericum*, Palatinum Saxoniæ & Comitem Sommerſcheburgium, *Sigfridum*, Comitem Homburgenſem, *Adolfum*, Comitem Schavvenburgenſem, *Sigfridum*, Comitem Ertelenburgenſem, *Bernhardum*, Vicedominum Hildeſienſem, *Ludolfum*, *dynaſtam* Woltigerodanum, *Ludolfum* advocatum, alioſque ex ordine eccleſiaſtico, & nobilitate complures, Venit tunc etiam Bardevicum, *Vicelinus*, Aldenburgenſis Epiſcopus, natus *Quernhamelæ* ad Viſurgim, hactenus Abotritorum apoſtolus. Is de vicinis Slavis, eorumque tyrannide multa cum Imperatore locutus, auctor fuit, ut in *Wagria*, ubi mons excelſus & propugnaculo extruendo natura loci idoneus eſſet, caſtrum pro defenſione circumjacentis terræ extrueretur. Suaſit etiam, ſimul haberetur ratio religionis propagandæ, quod fieri commode poſſet, ſi ad radices montis templo extructo collegium religioſorum hominum adjungeretur. Paruit bene monenti Cæſar, operamque dedit, ut tam propugnacnlum, quam monaſterium, ſumma celeritate loco demonſtrato exſtrueretur. Qui cum antea Alberg diceretur, mutavit nomen à victoriis de Slavis hucuſque habitis, & porro cum Dei auxilio habendis, auſpicato Sigeberg appellatus.

His ex animi ſententia confectis, Lotharius de inviſenda Italia curam ſuſcepit. Ut autem domi ſalva eſſent omnia, Henrico ſuperbo, Boiariæ Duci, Magni Billingi ex Wolfhilde filia nepoti, cui filiam *Gertrudin* in matrimonium collocarat, Ducatum Saxoniæ, nuper doti promiſſum, ſolemni ritu commiſit poſſidendum. Henricus hactenus Boiariæ, nunc etiam Saxoniæ Dux, ſocerum cum lectiſſimo exercitu comitatus eſt in Italiam. Defuncto Lothario, quod accidit anno MCXXXVII. menſe Decembri, novi tumultus coorti ſunt in Saxonia. Occaſio hæc fuit: *Adelbertus* cognomento *Vrſus*, marchio Soltwedelenſis, quod matrem haberet *Elicam* itidem Magni Billingi filiam, Saxoniam ſibi deberi contendebat: ſed vivo Lothario nihil movit. Audita ejus

 morte,

morte, armata manu avi materni ditionem invaſit, caſtro *Lunæburgo* & *Brema* ac *Bardevico* urbibus occupatis. Nordalbingii nulla neceſſitate cogente victori ſe ſubmiſerunt. Conatus Adelberti marchionis, tantum abfuit, ut improbaret *Conradus Suevus*, Lotharii in Imperio ſucceſſor, ut palam affirmaret, iniquum & contra leges, moremque, & dignitatem Imperii eſſe, duos Ducatus uni principi committi. Sed hac ſententia nihil motus Superbus, contractis copiis conſobrinum Adelbertum tota iterum exſuit ditione, adjutus à ſocru Richenſe Auguſta, neque multo poſt vivendi finem fecit, relicto filiolo unico Henrico, cui adulto *Leonis* cognomentum à ſuis tributum.

Conradus Cæſar odium, quod ſine cauſſa in ſuperbum conceperat, ad filium Leonem derivari paſſus eſt: nam ut illum Boiaria, ita hunc etiam Saxonia ejicere conatus eſt. Verum Saxones exempli novitate, reique indignitate, cum alias Vrſum averſarentur, commoti, Leonem minorennem contra vim omnem animoſe viriliterque tutati ſunt. Quorum conſenſum, & niſi crederet, arma parata. Cæſar intuens, ut bellum averteret, Saxoniam quidem Leoni reliquit: verum ut *Henrico Auſtrio* Bajoariam confirmaret, Superbi viduam ei nuptum collocavit, ſicque placati Saxonum animi.

Potitus ſine æmulo Septentrionali Saxonia Leo, nihil quod ad eam exornandam faceret prætermiſit. Nam urbes ac opida ædificavit: ubi eſſe deſierant, vel nondum inſtituti erant Epiſcopatus, aliaque religioſorum hominum collegia condidit, annuiſque proventibus munifice donavit. In urbibus ordinavit magiſtratus, leges tulit honeſtas, conſuetudines ſuperiorum temporum barbariem redolentes amovit: ut domi foriſque revera eſſet, & ab omnibus, pater patriæ, publico natus commodo, bonique inſtrumentum ſeculi, grato animo prædicaretur. Sane quantum fortunis Bardevici, de quo nunc nobis ſermo, ſtuduerit, ex eo animadvertas, quod edoctus de jacturis, quas cives Bardevicenſes, occaſione urbis *Lubecæ*, auſpiciis *Adolfi*, Holſatiæ & Schawenburgi Comitis, recens conditæ, mercatoribus propter portus locique commoditatem certatim illuc confluentibus, quotidie acciperent, novum illud emporium inhibuit & impedivit. Refertur ab Helmoldo lib. I. cap. LXXVII. & in Chron. Slavorum, cap. XXIV. Addit Reineccius V. CL. ex Chronico Pegavienſi, (forte manuſcripto, nam editum hujus nihil habet) Luneburgum cum vicino agro fuiſſe ſponſalitium *Mechtildis* Anglicanæ, conjugis Henrici Leonis, eamque, direptis mariti poſſeſſionibus, Cæſare non contradicente, tantulum hoc ſibi vendicaſſe, de quo nihil affirmo. Ex Rogero tamen Hovedeno conſtat, Cæſarem conceſſiſſe Mathildi *pro amore regis Angliæ, ut ipſa libere & in pace remaneret, & totam dotem liberam ut quietam haberet, & ſi mallet cum Domino ſuo in exſilium ire conceſſit ei Imp. ut cuſtodes ſuos poneret ad dotem ſuam cuſtodiendam*, quæ verba ſunt Hovedeni.

Proſcripto autem Leone, bonisque publicatis, nihil Cæſari Friderico potius fuit, quam ut per acerbam invidiam proſtrati optimi principis exſuviis quam ocyſſime potiretur, easque in alios diſtribueret, priusquam adverſario colligendi ſe facultas præberetur. Diviſo igitur exercitu, quem penes ſe habebat maximum fortiſſimumque, partem ejus tradidit archiepiſcopo Colonienſi *Philippo*, ut *Brunſuicum* obſideret: cum altera ipſe Septentrionem verſus proceſſit, *Luneburgum* propugnaculum, & *Lubecam*, loca opidò munita obſeſſurus. Bardevicenſes, quod nullum in urbe eſſet præſidium, Cæſarem cum copiis adventantem, nulla interpoſita mora receperunt. Commendata eſt civitas *Bernhardo*, deſignato Saxoniæ Duci, ejusque fratri *Ottoni*, marchioni Brandenburgico. Regreſſo vero ex locis iſtis Cæſare victore, ac Leone paullo poſt in Comitiis *Erfordienſibus* cum conjuge & liberis in exilium irejuſſo, in eodem conventu Bernhardus, hactenus titulo tenus Saxoniæ Dux, Bardevicum cum circumjacentibus regionibus jure vicariæ poſſidendum accepit, atque è veſtigio opida & arces impoſitis præſidiis firmavit. Hoc modo tota regio iterum mutavit dominos, ſic tamen, ut apud poſteros Magni Ducis permanſerit, ejus enim ex filia Elica Bernhardus & Otto Anhaldini fuere pronepotes. Cæterum *quia ſub ſole nihil permanet*, ut Eccleſiaſtes c. I. *nihilque humanis viribus laboratum, quod non humanis æque viribus deſtrui poſſit, ſiquidem mortalia ſunt opera mortalium*, Lactant. lib. IV. cap. XV.

——— Summiſque negatum
Stare diu ———

ut

ut Lucanus lib. I. Pharſaliæ, hæc etiam urbs, ut perantiqua, ita celeberrima, periodo ævi felicitatisque ſuæ circumacta, fatis ipſam urgentibus, memorabili ad omnem poſteritatem exemplo, ſua ipſius culpa, momento in cinerem & favillas redacta eſt: proſtrata non ab extraneo, ſive hoſte, ſed à legitimo domino, patriæque patre, cujus infortuniis acerbe inſultare, quam vicem humaniter dolere maluit.

Occaſio funeſti admodum excidii hæc fuit. Fridericus I. Imp. voto obligatus ad bellum ſacrum in *Palæſtina* contra Saracenos gerendum, ſe accingebat: ne vero per abſentiam ſuam in Imperio quicquam turbarum moveretur, Leoni ex Anglia nuper domum reverſo, quem nimio plus ſuper rebellione ſuſpectum habebat, alterum indixit exilium, ea tamen conditione, ut quod ex recenti calamitate ſupereſſet ei hereditatis & fortunarum, ſine injuria & maleficio adverſariorum ſartum tectum retineret. Qui cum agere aliter non poſſet, tempori ceſſit, eodemque pene momento magni iſti Imperii principes, conſanguinei, Leo exſulatum, Cæſar ad comparandam gloriam, ſive ut ſuperſtitione dementati infelices tum credebant homines, ſaluti animæ conſulturus, & ut Arnoldus loquitur lib. 3. cap 28. in remiſſionem peccatorum, nunquam deinceps in hac vita congreſſuri, domo exceſſere.

Abſente Cæſare recruduit hoſtium Leonis acerbitas & malevolentia, qui majore, quam unquam antea, libidine exſulis bona invaſerunt, arbitrati publico Imperii cuſtode remoto omnia ſibi licere. Qua enormi petulantia & improbitate nimiopere exacerbatus Leo, domum ante præfixum tempus cogitavit, inſtigantibus eum, ut id faceret, & *Angliæ* & *Daniæ* regibus. Etſi autem alibi benevole exceptum conſtet, haud tamen urbem ſuam hereditariam, licet per vim ademtam, præter omnem ſpem ſupra modum ferocem, ac inſolentem, omniumque beneficiorum veterum & recentium planè oblitam invenit. Vix ſalvo pudore rem deteſtandam narraverimus: minimè tamen prætereunda erit, quippe quæ exemplum ſit omni poſteritati, punitæ proterviæ, improbitatis, & petulantiæ.

Leonem ab exſilio reverſum, *Hartwicus*, archiepiſcopus Bremenſis, non tantum amicè & comiter exceperat, verum etiam agrum *Stadenſem*, in Comitiis Erfordienſibus edicto & decreto Cæſaris Leoni ademtum, eccleſiæ Bremenſi traditum, libere ei reſignarat. Antiſtitis exemplum ſecuti ſunt *Holſati*, *Stormarii*, & *Polabi*, Leoni ſeſe adjungentes. Habebat ille ſecum *Bernhardum*, Raceburgenſem, *Helmoldum*, Suerinenſem, *Bernhardum* Wölpenſem, Comites, alioſque de nobilitate non paucos, quorum induſtria militaris, reique bellicæ ſcientia perſpecta erat & experta. Quod de rege Daniæ Canuto Crancius in Metropoli & Henricus Aquilonopolitanus in priore poëmate de rebus Lubecenſibus affirmant, interfuiſſe eum huic expeditioni, id ab annalibus non indicatur, neque vero eſt ſimile: ideo ad famam, quam ſolam ſecutum ſe Crancius ait, hoc totum relegamus. Gentium quas dixi, Ducumque robore ſuffultus Leo in ſpem recuperandi Ducatus Saxonici erectus, toto cum exercitu regradiit Bardevicum. Tenebat urbem cum præſidio Bernhardus Dux Saxoniæ: cives vero, alias rerum novarum cupidi, fortunamque ſecundam æquo ferre animo indociles, pluris præſentia, quam præterita æſtimabant. Etenim Leonem toto ottennio, & ab æmulis, & ipſo etiam Imperatore, immiſericorditer divexatum, tantumque non oppreſſum, in integrum reſtitui nequaquam poſſe, non tantum perſuaſum habebant ipſi, ſed jactare apud alios non erubeſcebant. Denegatus igitur appropinquanti deliberato introitus, jus vero ſuum urgenti, &, niſi pareant, vim præſentem minitanti, reſponſum eſt ſuperbius. Quinimo inventi ſunt homines flagitioſiſſimi, qui pietatis omnis ac reverentiæ, Deo opt. max. ejuſque vicario legitimo magiſtratui debitæ, obliti, conſcenſis urbis mœnibus, partes corporis poſteriores turpiter nudatas hoſti obverterunt, improbo teſtandoque geſtu, quanti minas iſtas facerent: demonſtrantes. Prætereuntur hæc ab Arnoldo Lubecenſe, qui iſtis temporibus vixit, & quod conſtat, in vicinia Lubecæ monaſterii S. Johannis, familiæ Benedictinæ abbatem egit: nec ſatis accuratus in Saxonia lib. V. cap. II. Crancius, contentus dixiſſe, *creſcente obſidionis labore interveniſſe pugnantium invicem contumeliis plena verba & facta probroſa, pro alterno contemtu.*

In quem ſenſum etiam Vandaliæ lib. VI. cap. XIII. ait: *Bardowicenſes Duci venienti portas clauſas habuere & de mœnibus nonnihil irrogaſſe feruntur contumeliæ, quod jam*

[illegible]unt, miſericordiamque deſiderant, cogitent eam pudenda enormis flagitii defor-mitate victori quaſi ereptam fuiſſe: cogitent generoſos animos maledictis, quam ma-lefactis gravius tædi: difficiliusque perferre contumeliam, quam damnum, etſi ingens & acerbum. Vehementer doluit injuria, quæ contingebat inſperata: quodque inde proveniebant convicia, unde oppreſſo auxilium fuiſſet exſpectandum. Conſimilem hiſtoriam, nec diſſimilem pœnam de Thuringiæ opido *Salza* commemorat auctor Hiſtoriæ Thuringicæ de Landgraviis à Piſtorio editæ. Obſidebat Salzam Fridericus Marchio Miſniæ & Landgravius Thuringiæ, cives vero (verba ſunt auctoris) *ſtantes in muris, deponentes braccas, fecerunt Marchioni contumelias & multa alia op-pr[illegible]ia. Quod videns Marchio, præcepit ſagittari ignea tela in civitatem & totaliter combuſta eſt, & perierunt XVI. Sexagenæ hominum & XIIX. non potentes habere exi-tum, cum prohiberentur ab armigeris, qui portas tenuerunt clauſas.* Cæterum Lubecen-ſes tam acerba animadverſione in urbem Bardovicenſem conſternati, cum & munitio-ni urbis recentis diffiderent, & auxilia deſperarent, ne eandem ſubirent fortunam, vi-ctori portas aperuerunt; qui idem paullo poſt Laoburgum expugnavit.

De tempore excidii Bardevicenſis apud ſcriptores nonnulla eſt diſcrepantia. Concorditer omnes funeſtum cladis diem nominant Octobris XXIIX. qui in Faſtis Chriſtianis *Simoni & Judæ Apoſtolis* ſacer eſt: etſi pro die noctem inculcet Henricus Wolterus in Chronico Bremenſi. De anno controvertitur. Faſt. Hildeſienſes MS. [illegible] annum MCLXXX. perperam omnino. Chronica duo, edita ab Erpoldo Lindenbruch, unum Sclavicum, alterum Bremenſe, ſicut & vetus Saxonicum, habent annum MCLXXXIIX. His ſubſcribunt Crancius Saxon. lib. VII. cap. II. Metrop. lib. VII. cap. XI. Munſterus Coſmographiæ lib. III. cap. CCCCII. Spangenbergius Chronico Spangenburgenſi. Diſſentiens Arnoldus abbas Lubecenſis lib. IV. cap. II. diſerte indicat, Bardevicum everſum eo anno, quo Fridericus Barbaroſſa abiit cum exercitu in Palæſtinam: atqui hoc factum eſt anno Chriſti MCLXXXIX. ut omnes affirmant hiſtorici: verſiculi etiam, quos recitat Otto de S. Blaſio, atteſtantur idem.

Annis [illegible]denis demtis de mille ducentis,
Chriſtus ut eſt natus, tranſit mare Rex Fridericus.

Arnoldum Lubecenſem ſequuntur, Albertus Stadenſis, Rudimentum novi-tiorum, Henricus Wolterus, Joannes Schiphowerus. Nec diſſentiunt verſus inſcri-pti foribus templi cathedralis Bardevicenſis, antea recitati:

M. C. poſt Nat. junctis octoginta novemque,
Dum Brunſuicenſis Dux Henricus Leo dictus,
Simonis in feſto Bardvvic ſubvertit ab alto.

Hermannus de Lerbeke Chronic. Schauenburgenſi, noſtra opera edito recitat i-ſtud diſtichon his verbis:

Dux poſt M. poſt C poſt octoginta novemque
Bardevvic deſtruxit, Simonis ſol quando reluxit.

Idem repetit Ertwinus Ertmannus in annalibus Oſnaburgenſibus. Abraha-mus Bucholcerus ab utriſque diſcedens habet annum MCXC. ſecutus, ut ait, Pauli E-beri Calendarium; ſed ille ponit præcedentem. Delata eſt civitas anno, poſtquam con-dita fuit MMCLXXIX. climacterico novenario CCXLII exacto.

Elapſis ab hac calamitate annis XXXV. cum infelix Bardewicum in pagum ſive vicum ſe colligere cœpiſſet, venit eo Henricus, Friderici II. Imp. primogenitus, deſignatus Romanorum Rex, qui ſe in diplomate quodam monaſterio Walckenre-denſi dato, Henricum VII. appellat, conventumque vicinorum principum ibi habuit. [illegible] cum eo Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis, vir magnæ in Imperio aucto-ritatis. Occaſionem conventui præbuit infortunium Waldemari II. regis Daniæ, ab Henrico, Gunzelini F. Comite Suerinenſe mira audacia ex proprio regno in Saxoni-am [illegible] Dannebergam, ac in carcerem rege indignum compacti. Eum ut Co-mes [illegible]tteret, nullis vel blanditiis, vel minis adduci potuit. Omnem movit lapi-dem C[illegible] Henricus, ut regem è vinculis liberaret, ſed fruſtra dicta factaque omnia. Evenere hæc anno MCCXXIV. & indicantur ab Alberto Stadenſi ad annum quem dixi: reperiuntur à Crancio Metropol. lib. VII. cap. XL. Saxoniæ l. VII. cap. XXXIIX. Daniæ lib. VII. cap. XIIX. Quod vero compilator Chronici Saxonici aſſerit, Henri-cum quem dixi, deſignatum Cæſarem, vivo patre Bardevvici occiſum eſſe, id inaudi-

tum ignotumque eſt omnibus probatis hiſtoricis: affirmantibus uno ore, Henricum affectati imperii convictum à patre in Calabriam, unde nunquam redierit, relegatum.

Inventi ſunt, qui affirmarunt, Bardevicum fuiſſe *urbem Imperialem*. In iis eſt Auctor Chronici Raſtedenſis MS. quod Schiphowerus pene totum tranſtulit in ſuam hiſtoriam Oldenburgenſem, cui appellatur *civitas regalis*, & additur *Leonem pro cremat ione & deſtructione Bardevici Imperio dediſſe civitatem Lubecenſem cum aliis multis circa Hartonem*, verba ſunt Schiphoweri: cui aſſentitur Dominicus Dreverus in Genealogiis Saxonicis M. S. Verum hæc ſcriptores iſtorum temporum ignorant. Fuiſſe Bardevicum Leonis peculium, ex ſupra dictis ſatis apparet, confirmaturque ſcriptorum teſtimoniis. Chronicon Slavicum cap. XXXV. ſic loquitur, *Dux Leo obſedit Bardewic ſuam civitatem, & obtinuit*. In annalibus monaſterii S. Michaëlis apud Hildeſiam vocatur *propria Leonis urbs*. Henricus Wolterus Chron. Bremenſi MS. hæc habet, *Henricus Leo Dux Brunſuicenſis cepit civitatem Bardewic, & incendit, & funditus deſtruxit, demtis eccleſiis*, & ſua antea erat. Vide etiam Crancium Metrop. lib. VII. cap. XI. & Helmoldum Buzovienſem lib. I. cap. LXXVII.

Gubernatam fuiſſe urbem principis nomine à legato *Comitis* dignitate tituloque inſigni, perſuaderi poſſis ex Henrico de Hervordia, Chronico Schawenburgenſi Hermanni Lerbecii, ubi mentio fit *Henrici Comitis de Bardwic*. Meminit etiam Reineccius in ſcholis marginalibus ad LV. caput primi libri Helmoldi, codicem iſtius auctoris Puchenianum, quo uſus ſit, eandem lectionem retinuiſſe. Verum error hic eſt librarii, ac pro Bardewic legi debuit *Badwid*. Et ſic habet diploma Leonis apud Lindenbrogium, datum anno MCXLVII. neque aliter ſcribunt Albertus Stadenſis, Crancius Saxon. lib. VI. cap. IX. & X, De familia Baduicenſi, quæ poſtea *Raceburgenſis* dicta, præclare explicat Arnoldus Lubecenſis lib. IV. cap. VII.

Amplitudinem urbis colligas ex templis, quæ novem ſuperſunt, ſine dubio olim Parochialia omnia. Baſilica cathedralis, ſive malis collegiata, quando & à quo condita ſit: an poſt, vel ante cladem everſionis, non inveni annotatum: hoc conſtat anno MCCXXXIIX. mediocriter floruiſſe. Anno etiam MCCIX. Joannes Præpoſitus Bardewicenſis profectus cum Ottone IV. Imperat. in Italiam. Anno vero MCCXXXIIX. die Ceciliæ virginis Nicolaus Becanus, & Capitulum Bardovicenſe Hunonem Comitem Oldenburgenſem, ejusque uxorem Willam ac filium Fridericum in fraternitatem ſuæ congregationis receperunt, bonorumque operum ſuorum & meritorum, pro ſeculi ejus ſuperſtitione & credulitate participes fecerunt ut habet diploma, apud Hamelmannum Chron. Oldenburg. pag. XXXIIX. Maturè religionem, miniſterio Martini Lutheri repurgatam, auſpiciis Erneſti Ducis Luneburgici principis optimi, admiſit, ſuperſtitionibus Pontificiis profligatis, vitaque cœlibe, tanquam periculoſa, abdicata. Primum ibi Evangeliſtam egit *Matthæus Gindrig*, qui anno MDXXIIX. eo miſſus, amplius annis XXX. pondus & æſtum diei in vinea Domini illic portavit. Excepit hunc *Erneſtus Boccius*, vir eloquens & doctus, qui ſummos antea honores in Academia Lipſenſi cum laude geſſerat. Utrique Epitaphium ſcripſit Lucas Loſſius. De ſucceſſoribus quod referam non habeo: collegio ipſi, ut in hoc felicitatis fortunarumque ſtatu cum ſolida pace quam diutiſſime permaneat, ex animo precor & opto.

Hactenus omnia, quæ mediocri diligentia antiquitatis noſtræ monumenta perſcrutanti, de *Bardis*, eorumque *vico*, ſeſe obtulerunt: ſi qui plura habent, huc etiam ſua liberaliter conferant. Cæterum quod de *Phœnice* avi ſpeculatores, veneratoresque naturæ, hoc eſt, Phyſici, referunt, nempe, quod ætate confecta in rogum ardentem, propria induſtria præparatum, ſe conjiciat: ex cujus, poſtquam flammis abſumta ſit, cineribus nova emergat volucris, id non inepte quis accommodaverit ad Bardevicum urbem, quæ ſecula admodum multa vivendo egreſſa, quaſi vitæ pertæſa, morique deſiderans, ipſa ſibi ferale excitavit incendium, quo deſolata, ex infelicibus deploratisq; ruderibus feliciſſimam produxit ſobolem, matri nullo modo imparem, imo clariorem. Eà eſt *Luneburga*, ſeptentrionis lumen: de qua etſi fortaſſis melius fuerat tacere omnino, quam pauca loqui, attamen cum iſtis dotibus, quæ urbes beatas facere poſſunt, multis jam ab annis floruerit, floreatq; etiamnū hodie, pauca de ea ſubjiciemus.

Explodendi autem hic primò nugatores inepti, ſine dubio monachi indocti, qui arcis Calcariæ primordia retulerunt ad *Julium Cæſarem*, primum Romanorum monarcham, quem ſatis conſtat nunquam in has regiones perveniſſe. Nec audiendi, qui arcem iſtam *Juliam* à Karolo M. Saxonum domitore everſam aſſerunt, cùm quod rerum naturâ nunquam fuit, deſtruere ille nequaquam potuerit. Quid? quod annales Francici, non ab uno perſcripti, auctores etiam vitæ rerumque geſtarum Karoli, ne verbulo quidem hujus rei meminerunt? Tantùm recentes nonnulli, & hoc, & ſimilibus commentis anilibus ſeſe oblectarunt. Crancius Metrop. lib. III. cap. XIX. Saxon. lib. IV. cap. XVI. conſtanter affirmat, Hermannum Billingum arcis conditorem, cui meritò ſuffragamur.

Fontes Salis aliqui erupiſſe volunt ſub *Ottone*, magno Saxoniæ Duce, *Ludolfi* F. Verum Hermannus Bothe in Chronico MS. adfirmat id eo tempore factum, quo in Rammelsbergo prope Goslariam venæ argenti fertiles fuerint apertæ: quod collocatur in annum Chriſti DCCCCLXXII. imperante eodem *Ottone*, jam *Cæſare*. Hic *Otto* decimas, ſive vectigal Salinarum monaſterio S. Michaëlis condonavit. In diplomate fundationis Regiæ Lothariæ prope Helmeſtadium Lotharius Imp. monaſterio ex Salinis in Luneburg largitur *unum chorum ſalis cum medio*, ut verba ſonant Imperatoris.

Quæ de nobili illâ tabulâ, cui laminæ ex auro Arabico unionibus & gemmis precioſiſſimis rutilantes obductæ ſunt, referuntur, nempe quòd de tributo Sarracenis anno DCCCCLXIX. extorto, juſſu *Ottonis* II. fabrefacta, & in victoriæ illuſtris memoriam gratique animi teſtimonium S. Michaëli dono data ſit, illa etiam à recentioribus tantum commemorantur, ignota veteribus.

Primus veterum, quantum ego quidem reperire potui, Luneburgæ mentionem facit Ditmarus Mersburgenſis lib. VI. narrans prodigioſum terræ motum, & ex eo hiatum, qui ibi contigerit anno MXIII. Imperante Henrico II. Scribit ibi Ditmarus *Luinberg*, & *civitatem* vocat, quâ appellatione priſcis iſtis temporibus etiam tenues vicos, ſive pagos ac villas veniſſe, ipſosque colonos *cives* nuncupatos, alibi demonſtravimus: ingerit idem Spangenbergius Chron. Saxon. cap. CXXI. Idem Imperator Henricus Claudus meminit hujus loci in privilegio, dato eccleſiæ Mindenſi anno MXXII. ubi tamen omnia corrupta: nam pro *Luinburc* legitur *Biunburc*, & *Riddagus* abbas S. Michaëlis *Ribedagus* indigitatur. Vide Appendicem ad Chron. Mindenſe tomo hiſtoricorum German. à Piſtorio evulgato.

Sub Friderico Barbaroſſâ Luneburgam nondum fuiſſe *opidum* affirmat Crancius Saxon. lib VI. cap. XLIII. ſed huic præjudicat teſtimonium Lamberti Schafnaburgenſis, cui ad annum MLXXIII. Luneburgum dicitur *opidum maximum* Ottonis (alii *Ortholfum* vocant) Ducis Saxoniæ ſitum inconfinio Saxonum & Luticiorum. A Lamberto non diſſentit Bruno in hiſtoria belli Saxonici, nam & ibi urbem appellat.

Quomodo ſe cunque res habeat, & quæ mutationes intervenerint, hoc conſtat, tempore everſi Bardevici ad pedem montis Calcarii fuiſſe viculum, ſive pagum, nomine Modeſtorp/ ut Crancius Vandal. lib. XII. cap. XII. & Sebaſtianus Munſterus Coſmogr. lib. III. (vetus Chronicon Saxonicum ſcribit Moierſtorp/ Buntingius Heimerſtorp) ex illo Leo condidit novam urbem, cui idem cum arce manſit nomen. Annum fundationis vetus Chronicon Saxonicum annotavit MCXC. Exſtructioni accelerandæ permultum profuere rudera Bardevici. Fuiſſe Modeſtorpii *Archidiaconatum* Epiſcopæ ſive diœceſis Verdenſis oſtendunt hiſtoriæ, ſuperſuntque etiam hodie in presbyterio, ſive choro, templi S. Johannis Lunæburgæ ſaxa epitaphiis inſignita quorundam archidiaconorum, videlicet N. MCCCLXXXII. M. *Eggerdi* MCCCCXV. *Conradi Openburg*, MCCCCXLIV. Hoc defuncto eodem anno archidiaconatus in *Præpoſituram* mutatus eſt, munus primùm obeunte Joanne à Mindâ, qui obiit poſt quadriennium. Succeſſores ejus usque ad annum MDLXXX. recitantur à Lucâ Loſſio in farragine epitaphiorum Saxonicorum.

Anno MCCLXXIX. ſtudio ſumtuque Joannis Ducis Luneburgici Salinæ factæ ſunt uberiores apertâ novâ venâ. Centum & duobus annis pòſt occupatâ per cives arce, ædificia in monte omnia diruta ac deſtructa, monaſterio ad montis radi-

cem in urbe locus aſſignatus eſt. Reformatum eſt collegium ab antiſtite ejus loci *Herbordo* ab *Holle*, Johannis F. equite Saxonico, ſinceram Evangelii doctrinam amplexo, qui paſtorem rectè docentem, & ſcholam ad S. Michaëlem inſtituit, libros irrituales ad normam verbi divini emendavit anno MDXXXIV. Quadriennio antè in urbe emendatio religionis inchoata fuerat, jacente prima præſentis ordinis eccleſiæ fundamenta *M. Stephano Kempio.* Primarii paſtores, quos vocabulo Iſidori *Superintendentes* vocamus, fuere, *Urbanus Regius*, *Paulus de Rhodâ*, *Chriſtophorus Hegendorſinus*, *M. Fridericus Henningus*, *M. Joannes Eichenberg*, qui vitam cum morte commutavit anno MDLXIIX. IX. Aprilis. Primus ſtudiorum doctrinæ poſt factam religionis reformationem, Rector fuit *Hermannus Tulichius*, natus Stenhemii in agro Padibornenſi: cui anno Chriſti MDXL. defuncto, ſucceſſit *Joannes Bathelius* Coſfeldianus, mortuus MDLXXIIX. Utrique collega fuit *Lucas Loſſius*, qui poſtquam annos amplius quinquaginta feliciter pubem literariam erudierat, ſeptuaginta & ſex annos egreſſus in cœleſtem ſcholam translatus eſt MCLXXXII. Cætera aliunde peti poſſunt.

Cum Boëmi propter Joannem Huſſum, & Hieronymum Pragenſem in conciliabulo Conſtantienſi contra datam fidem, flammis crudeliter abſumtos, ſupra modum in vicinos deſævirent, omniſque Germania in magno eſſet metu, Luneburgenſes cives immenſis ſumptibus urbi munitiones circumduxerunt, quæ res in grande æs alienum eos conjecit, præbuitque occaſionem excogitandi modos, quomodo iſto ſe onere liberarent: unde magna & diuturna lis excitata, de quâ Crancius in Vandaliâ, lib. XII. cap. XII. Anno MCCCLXX. *Carolus IV. Imp.* ex Marchia Brandenburgenſi, quam ſuis ditionibus adjunxerat, filioque Wenceslao poſſidendam tradiderat, Tangermundâ, ubi aliquamdiu aulæ ſedem habuerat, in Saxoniam profectus eſt. Luneburgum Lubecâ appulit in profeſto D. Martini, exceptus ea qua debuit reverentia. Reperi de hoc ejus in urbem ingreſſu in Codice quodam MS. verſus quatuor, quos ſubjicio.

Poſt tria C. poſt M. poſt Septuagintaq; ſeptem,
Sancti Martini profeſto, menſe Novembri:
Tunc Cæſar Auguſtus Romanus, rexq; Bohemus.
Ad Luneburgenſem Karolus pervenerat urbem.

Luneburga Carolus XV. Nov. Mindam venit, & triduum ibi commoratus, Bilfeldiam abiit, inde Hervordiam, Tremoniam atque alias inviſit Weſtphaliæ urbes. Verum iſta abrumpo, aliiſque omnia uberius ſplendidiusque tractanda relinquo. Qui hodie urbis florentiſſimæ ſtatus, quà eccleſiam, quà ſcholam, quà politicam gubernationem, nemini ignotum eſt: laudant omnia prudentes: optant pii, ut de iſtâ felicitate nihil decedat.

Sed priusquam manum de tabulâ tollam, libet hanc ſubjungere coronidem: nimirum eſſe longitudinem Luneburgæ XXXI. Gr. XV. minut: Latitudinem LIV. Gr. Patere in longitudinem MCCCCL. in latitudinem paſſus DCCCC. ſecundum dimenſionem inſtitutam à Joanne Sceppero Sueco, anno MDXLI.

NOTÆ

In hiſtoriam Bardevici.

PAg. 56. l. 8. *Bordæ Magdeburgicæ*) In archiepiſcopatu Magdeburgico tractus eſt, quem vocant ſilveſtrem, vulgò daß Holtzland. Quâ ille ſiniſtrorſum protenditur ad Salam & Bodam in Auſtrum, vocatur die Hohebörde: Quâ verò extenditur Magdeburgo dextrorſum ad occiduum Solem & Arcton, is tractus dicitur die Holtzbörde. Inde habitatores veteres Suevi *Longobardi* nomen adepti, Georgius Torquatus in annalib. Magdeb. & Halberſtadenſib. MS. parte I. cap. II. & III. Rectè ille: inepti verò, qui vel à longis bardis, vel à bipennibus, vel quod cuſtodes ſint regionis, id eſt, Landwarter/ etymon Longobardorum deduxere. Hiſtoriam horum deſcripſere, Paulus Diaconus Forojulienſis libris VI. & ex eo Crancius

cius Daniæ lib. III. Cæterum in agro Magdeburgenſi plura adhuc ſuperſunt Bardorum veſtigia in pagis, Bardeleben / Etenbardeleben / Bardenbecke / ꝛc. de quibus aliàs.

Pag. 56. l. 37. *Dagobertus, Heribertus, Sigebertus*) Hæc & ſimilia vocabula à Bardis profluxiſſe auctor eſt Wolfgangus Lazius lib. V. de migrationibus gentium, cujus opinio etſi noſtræ contraria eſt, verba tamen ejus, quia de *Druitibus* quædam non inutiliter admonent, ſubjiciam. *Nec aliâ ratione* à Bardis, *hoc eſt*, ſacerdotibus Gallorum, ac Druidibus fatidicis fœminis, nomenclaturæ deſumtæ claris paſſim viris fœminabusque acceſſerunt. Ac viris quidem à Bardis Gallorum ſacerdotibus, ut exempli gratiâ, Degenbardus, Sigenbardus, Heribardus, Dietbardus, Rotbardus, Hildebardus, Longobardus, Lambardus, & Hugobardus: quæ poſtea vicio pronunciari cœpta ſunt, Dagobertus, Sigebertus, Heribertus, Theobertus, Ruotbertus, Hildebertus, Lambertus, & Hugobertus. Si Latinè vertas, repræſentant hæ nobis voces, heroicum ſacerdotem, victorem ſacerdotem, militantem ſacerdotem, Teutonicum ſacerdotem, rubeum ſacerdotem, miſericordem ſacerdotem, humilem ſacerdotem inſtar agni. Similiter & celebres mulieres, cùm apud Gallos illos veteres, tum apud majores noſtros primævos Germanos, à fatidicis fœminabus, Druidibus nempe, cognominatæ fuerunt: *Gertrudis, Himeltrudis, Erentrudis, Ameltrudis, Adeltrudis &c.* Hactenus Lazius. Nomenclaturæ iſtæ viriles, quod iterum affirmo, non ſunt à Bardis, ſed à vocabulo Werth / quod etiam Bardis originem præbet, ut dixi.

Ibidem *A Bardis igitur noſtratibus*) Crancius hoc invertit lib. III. cap. VI. Vandaliæ, vultq; à Bardevico dictos Bardos, qui vero nomine Saxones. Quis verò ignorat Saxonum nomen iſtis in locis longe recentius Bardis, modo vero illa, quæ de antiquitate Bardevici creduntur?

Pag. 57. l. 49. *Julino & Winetâ*) De his Arctoi maris urbibus & emporiis olim ſplendidis, nunc verò deſolatis, multa apud hiſtoricos: celebrantur etiam veteribus accolarum cantilenis. De Winetâ, quam ipſe *Vinnetam* vocat, præclarè Helmoldus lib. I. cap. II. Philippus Melanchton in oratione de Joanne Bugenhagio, *Venetam* appellat, reſpexitq; eodem interpres Chronici Carionis. *Julinum* ſive *Julina*, ut anonymus auctor vitæ Ottonis, Pomeranorum apoſtoli, editus à Caniſio, deſcribitur à Crancio Vandaliæ lib. II. cap. XXXIII. refutatis fabulatoribus, qui à *Julio Cæſare* conditum volunt. Excidium ejus exponitur lib. V. cap. XXXIX. De utrâque urbe habet etiam quædam Hermannus Bonnus lib. I. Chron. Lubecenſis, ſed πάντα ἐφ᾽ πάντων præſtitit clariſſ. polyhiſtor & Theol. David Chytræus, quem adi Chron. Saxon. lib. I.

Pag. 58. l. 3. *Mariano Diacono*) Hujus reliquiæ ſcribuntur aſſervatæ & cultæ Verdæ, vide Crancium in Metropoli. lib. III. cap. XXXVI.

Pag. 60. l. 5. *Expeditio Brunonis*) De hac vide annales Francicos Fuldenſes ad annum DCCCLXXX. Ditmarum lib. II. Helmoldum lib. I. cap. VI. qui omnes concorditer affirmant, cæſos ibi cum reliquis proceribus, duos ſolummodo Epiſcopos Marquardum & Theodoricum, quorum hic Mindenſem, ille Hildeſienſem tenuit cathedram. Quæ Crancius aſſuit de multis Epiſcopis cum Brunone interemtis, Metropolis lib. II. cap. IX. quorum catalogum texit in confutatione Legendæ de Pontificis Benedicti V. martyrio, ea fabuloſa ſunt: nec enim ſcriptores coætanei: neque qui paulo poſt vixere tale quid referunt: imo Epiſcopatuum annales planè diſſentiunt. Pertraxit tamen Crancius in errorem eundem, Georgium Fabricium & Cyriacum Spangenbergium, quorum ille originum Saxon. lib. II. hic Chron. Saxon. c. CIIX. eadem affirmat.

Pag. 60. l. 53. *Svenonem Eſtritium*) Quàm hic antiquitatis cognitioni, & in primis hiſtoriæ patriæ ſtuduerit oſtendunt Adami Bremenſis narrationes lib. I. cap. XL. & XLIV. Vide ejus encomium apud Crancium in Daniâ lib. IV. cap. XXXII.

Pag. 61. l. 38. *Vicelinus, Aldenburgenſis Epiſcopus*) Sic omnes ferè ſcribunt, ſolus Hermannus Lerbeccius *Wiſcelinum* vocat: unde conjicias eſſe nomen idem cum *Weſſelo*. De patriâ & ſtudiis ejus præclarè Helmoldus lib. I. cap. XLIII. de laboribus & peregrinationibus in ſequentibus aliquot: obitus, qui incidit in annum MCLIV. exponitur cap. LXXIX. Vitam ejus carmine perſcriptam edidit Erpoldus Lindenbrogius amicus noſter.

Ibidem l. 39. *Quernhamelæ ad Viſurgin*) Helmoldus lib. I. cap. XLIII. vocat *villam* publicam: auctor vitæ Vicelini *vicum*:

Saxoniæ vicus Quernhamele ſit benedictus,

hodie urbs eſt Ducatus Brunſvicenſis florentiſſima vulgo Hameln: à fluvio ejusdem nominis, qui in Comitatu Schawenburgenſi ortus, ad urbem ipſam foſſam ingreditur, atque inde in Viſurgim ſe exonerat. Quæ apud nos in ore omnium, neque alibi ignoratur, hiſtoria de pueris aliquot & puellis, tenerioris ætatis, ab inauſpicato quodam circulatore, ipſa die nativitatis præcurſoris Chriſti, neſcio quo magico cantu, ex urbe evocatis, neq; poſt unquam viſis, etſi nonnullis ſuſpecta ſit, veriſſima tamen eſt, quod multa evincunt: nempe majorum quædam in archivo aſſervatæ conſignationes, fama conſtans permanus tradita, picturæ in templis, & rithmi ac verſus veteres, quos, etſi rudes, propter antiquitatem, omnibus gratam, ſubjungemus.

Im Jahr MCCLXXXIV. na Chriſti gebort/
Tho Hameln worden uthgevort/
Hundert und XXXIII. Kinder daſulveſt geborn/
Dorch einen Piper/ under den Köppen verlohrn.

Intelligit autem locum ubi fontes capite truncantur. Nam ibi in colliculum vicinum dehiſcentem pueri ingreſſi perhibentur. In eam ſequentes verſus, quibus tempus portæ cujusdam conditæ indicatur, recitantur à Jo. Leznero in appendice ad Chron Corbejenſe, cap. XVII.

Centum terdenos dum Magus ab urbe puellos
Duxerat ante annos, condita porta fuit.

In veteri membrana inveni ſequentia, cum additis verſiculis leoninis: *Anno milleſimo, ducenteſimo, octuageſimo quarto, in die Joannis & Paulli, perdiderunt Hamelenſes centum triginta pueros, qui intraverunt montem Calvariam. Maria audi nos, nam tibi filius nil negat*

Poſt cc mille, poſt octuaginta quaterque
Annus hic eſt ille, quo languet ſexus uterque,
Orbantes pueros centumque triginta, Joannis
Et Paulli caros Hamelenſes, non ſine damnis.
Fatur ut omnis, eos vivos Calvaria ſorpſit.
Chriſte tuere reos, ne tam mala res quibus obſit.

Adde quæ hac ipſa de re habet Joan Wierus lib. I. de præſtig Dæmon. cap. XVI. Lucas Loſſius, qui verſibus hiſtoriam deſcripſit, Hiſtor. Eccleſiaſt. pag. CCLXIV. Philippus Camerarius Horar. ſubciſiv. Centur II. cap. II. Buntingius Chron. Brunſvic. part. III. qui tamen in anno variat. Ponit enim MCCLXXXII. Meminere hiſtoriæ etiam Joan. Pomarius Chron. pag. CCCCXIX. Joan. Lampadius Mellificii Hiſtor. part. III. Petrus Albinus in der Berg Chronica pag. CXII. Hiſtorias diverſas quidem alias, non abſimiles tamen prorſus, vide apud Guilielmum Pariſienſem Hiſtor. Anglic. pag. CCXXX. edit Tigur. & Joan. Becchererum Chron. Thuring pag. CCLXXII.

Qui vero addunt infelicem iſtum caſum novam peculiaremq; Hamelenſibus peperiſſe Epocham, ſive Æram, næ illi vehementer fallnntur: cum nihil hujus unquam publice ſcriptum fuiſſe, à fide dignis ejus loci hominibus non ſemel audierimus.

Pag. 62 l. 8. *Richenſe*) Sic habet diploma Leonis, datum eo ipſo anno, quo pater Henricus Subertus vitam cum morte commutavit. Ab aliis aliter ſcribitur. Helmoldo eſt *Rickenze*: eodemque modo habet diploma Lotharii Cæſaris. Ottoni Friſingenſi lib. VII. cap. XXIII. *Richinza*: hunc ſequitur Stadenſis: Urſpergenſi *Richenſa*: Dodlchino in append. ad Marianum Scotum *Richmſa*: Chronico Lauterbergenſi *Richſa*. Quam ſcripturam inveniens Crancius in veteri Chron. Saxon. noſtra lingua *Rixe*, inde auſpicatum nomen Latinum fecit, *Rixa*, novam videlicet Xantippen. Eſt autem vocabulum compoſitum ex duobus, Reich & Segen/ divitiis nempe & benedictione.

Ibid. l. 15. *Henrico Auſtrio*) Hujus fratri *Leopoldo*, cognomento *Largo*, filio *Leopoldi Pii*, Conradus Suevus Imp. Bojariam, Henrico Superbo Guelfio ereptam, tradidit poſſidendam: quæ res excitavit bellum civile in Germania. Verum utroque, tam Superbo, quam Leopoldo defuncto, idem Cæſar *Henrico Auſtrio*, Leopoldi Pii filio primogenito, dedit Bojariam, & cum ea Gertrudin Lotharii filiam, ſuperbi viduam.

Pag. 62. l. 52. *Elica*) Nomen eſt Germanicum, diminutivum ab *Ella*, cui reſpondet *Hilla*: utrumque vocabulum eſt à celeritate in negotiis expediendis. Ab illo compoſita *Eilardus*, *Elimarus*, *Eilbertus*: quæ Germanice Eilant/ Eilmeyer/ Eilwant: ab hoc *Hillebrandus*, *Hilleboldus*, *Hillebodo*, *Hildegardis* &c. quorum etymologia nota.

Pag. 63. l. 22. *Et Angliæ & Daniæ regibus*) Angliæ rex hoc tempore erat *Richardus*, cognomento *Cor Leonis*; Daniæ *Canutus*, Woldemari F. hujus nominis ſextus. Hic gener ac ſororius Henr: Leonis.

Pag. 72. l. 20. *Nobiliſſima tabula*) Vide Buntingium Chron. Brunſvic. parte II. & Georg. Agricolam de natura foſſil. lib. IIX. cap. IV.

F I N I S.

BAR-

BARDEVICVM DESTRVCTVM:

SEV

PARENTALIA,

DIVO JULIO PACIFICO, DVCI BRVN-
SVICENSI AC LVNEBVRGENSI,

FVNDATORI ACADEMIÆ JVLIÆ,

ANNO cIↃ IↃcII.

decimum quartum facta,

ab

HENRICO MEIBOMIO.

Seneca Epiſt. LXXI.

Omnes quæ uſquam rerum potiuntur urbes, ubi fuerint aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur.

Rutilius Numatianus Itiner. lib. I.

Non indignemur mortalia corpora ſolvi
Cernimus exemplis opida poſſe mori.

BARD-

Digitized by Google

BARDWICI tumulos & fata ſuprema protervis
Accelerata aliis, gentemque à ſtirpe reciſam,
Dicere fert animus. Lux poſtulat annua ſacrum
Pacifico indigeti; cui dum præconia ſolvo,
Mavortisque odium & curam dilaudo quietis,
Eminus intueor tua buſta & triſte cadaver,
Cauſarumque memor, quæ te merſere profundo,
Exemplo obteſtor populos ſine more furentes,
Decretumque tuis inculco ſororibus illud,
Diſcite juſtitiam monitæ & non temnere Reges.
Phœbe fave, tuque ô cuſtos induſtria geſtæ
Muſa rei: fac fama meas vetus involet aures,
Et repetita novos decurrat adusque nepotes.
Urbs antiqua fuit, Bardi ſtruxere vetuſti,
Sub rigidi flabris Boreæ, qua gurgite nigro,
Emenſus ſteriles campos & triſtia rura,
Elmana ſpumoſum declivis anhelat ad Albim.
Dives opum, bellique patens, cum ſola ſub Arcto
Emporium commune foret. Nam Balthica nondum
Æquora ſulcabat peregrinis navibus hoſpes.
Nec portu Lubeca ſuo, nec Luna ſalinis
Accumulabat opes, nondum numeroſa videbat
Carbaſa Gambrivius Zephyros captare ſecundos,
Et refluis pugnare vadis. Erat omnibus unum
Bardowiga forum, & ſocias regina per urbes
Jura dabat: donec veſana ſuperbia cœcam
Impluit in ſcelus, & perjura rebellio totam
Funditus evertit, longa eſt injuria, longæ
Ambages, ſed ſumma rei faſtigia ſtrictim
Perſequar, & paucis involvam plurima verbis.
Ter Zephyri molles immitis frigora brumæ
Diſpulerant, verique calens ſucceſſerat æſtas;
Exilíique probrum, raptique injuria regni,
Sæpius occurrens animo, ſtimulare Leonem
Incipit: antiquæ memor ut virtutis, & alti
Sanguinis, oblatos iterum ſeſe armet in hoſtes,
Auxiliis fretus ſociis atque ære Britanno.
Ille quidem objectas acies atque agmina certis
Haud neſcit diſpoſta locis, unumque reverſi
Expectare caput, quo belli finis & ævi
Acceleret: tamen ire juvat, ſortique ſecundæ,
Quod ſupereſt miſero, totum committere. Sceptris
Exutus, capitisque minor, producere vitam
Indignum putat eſſe viro. Jam merſerat undis
Phœbus equos, fugiensque polo Titania lampas
Traxerat obſcura piceam caligine noctem,
In ſomnis ecce ante oculos Victoria ſeſe
Siſtit Guelfiadæ. Facies heroica & artus
Proceri monuere Deam, nec ſanguine cretam
Mortali. Quæ poſtquam oculos per ſingula volvit
Membra viri, has viſa eſt expromere fervida voces.
Non ſomni tibi tempus iners, ingentia dudum
Auſa vocant, regumque graves ignave paratus.
Aſpice ſecuros, qui te de culmine ſummo
Præcipitem ſtravere ſolo. Pars induit arma
Bellatura foris magno cum Cæſare contra

Barba-

Barbarias Orientis opes. Pars exule ſpreto
Torpet & ereptas cuſtodit ſegniter urbes.
Rumpe moras omnes, nec tanto cardine rerum
Differ iter. Me palma tuas præeunte ſequetur
Indubitata manus, & erunt tibi præmia belli.
Dixit, & in tenues evanuit ocius auras.
Illi rupta quies ſparſit ſudoribus artus,
Erigiturque toro: nec jam ſuſpendit inaudax
Propoſitum, veteresque timet dejectior hoſtes.
Arma fremit, claſſemque rogat, non abnuit Anglus
Auxilium præbere ſocer terraque marique,
Quantum opus eſt, jubet æra, manus, navalia tradi.
Nec mora, procumbunt quercus, ſonat icta ſecuri
Fraxinus, & ferræ ſtrident. Labor omnibus unus
Ædificare rates, & ſternere puppibus undas.
Quas ubi perfectas didicit, portuque frequentes
Cæruleis innare vadis, valedicere Regi
Feſtinat Leo, vix lacrimas compeſcit uterque.
Rex prior: i felix, & poſt tot damna merere
Fortuna meliore frui. Matura ſenectus
Per ſe grande malum eſt, ærumnas adde, vagumque
Exilium. Quid pejus erit? deferbuit ultrix,
Ut ſpero, vindicta Dei. Vertigine cuncta
Sors rotat & preſſis aliquando reſurgere fas eſt.
Ille ſub hæc: non me virtus antiqua reliquit,
Non animi robur, quantumvis cætera pridem
Abſtulerit fortuna nocens. Sortem ire per omnem
Jam didici non tiro novus. Neque ſceptra requiro
Circumfuſa odiis, cum lucem inſtare ſupremam
Canicies rugoſa probet. Sed perdere natis
Deſidia, quod jure petunt, virtute Leonis,
Indignum. Experiar ſortem, medioſque per hoſtes,
Qua Rhenus, qua fertur Alar, qua turbidus Albis,
Marte ruam. Si non omnis mihi debita tellus,
Quam tenuere mei, quamque æquo fœdere rexi,
Non poſtrema tamen mihi portio cedet, & ultus
Invidiam caſusque meos hæc aſtra relinquam.
Tu longum cum ſtirpe vale, geminique nepotis,
Quo res cunque cadat, veterem non exue curam.
Hæc ubi dicta dedit, notum feſtinat ad amnem.
Atque hic ingentem comitum coiiſſe novorum
Conſpicit admirans numerum. Rex providus ultra
Miſerat, & validis juvenes inſtruxerat armis,
Conſcendunt avidi puppes, hinc Britones, illinc
Germani, junguntque manus & fœdera, ituri
Quo fortuna vocet, quo Principis imperet ardor.
Nec mora, falcatum vagina diripit enſem
Nauclerus, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Aſpirant auræ faciles, longo ordine naves
Erumpunt portu, latumque feruntur in æquor.
Inſtant Æolii fratres, & flamine multo
Carbaſa diſtendunt. Ubi tertia fulſerat Eos,
Apparet ſtatio, nec ſe amplius occulit Albis.
Cælatum reliquos, tibi ſoli Hartwice patebat
Conſilium Guelfi: poſtquam te Brema cathedræ
Pontificem & ſacris ephorum præfecerat aris.

Quid vellet cuperetque Leo. Te litera tectis
Admonuit præſcripta notis. Qui fata doleret
Exulis unus eras, & ſi ſors verſa regreſſum
Poſſet habere, tuis ſe totum crederet armis.
Nec latuit proceres illud, nec Cæſaris aulam
Irati: primum tenuis ſuſpicio miti
Crevit ab affectu, ſeu quod moderatior eſſes,
Cum dicenda foret ſententia: ſive quod arma
Indueras nunquam, cum bacharentur in unum
Et gentes & regna caput. Perſuaſio crevit
Moliríque aliquid, totumque favere Leoni.
Urbs eſt antiquis patriæ notiſſima factis,
Ad ripas, vage Suinga, tuas: quod navibus eſſet
Appulſis ſtatio Stadium dixere vetuſti.
Aucupis à ſceptris Henrici pene ducentas
Per meſſes Comitum nunquam interrupta notantur
Stemmata. Poſtremus Bremenſi contulit urbem
Atque agrum cathedræ, ſed non ſine lite cruenta
Sanguine junctorum. Quos inter primus haberi
Guelfiades voluit, cui ceſſit Epiſcopus ultro
Hartwicus, ſua jura manu tabulisque reſignans.
Urbe Leo egregia & numeroſis civibus auctus,
Extemplo reficit muros, turresque ruinis
Deformes. Pax longa viris exemerat acre
Armorum ſtudium, foſſasque impleverat alga,
Et vallum dumis. Purgatur ſentibus agger,
Editiusque caput tollit, diffuſior unda
Ducitur in foſſas, cataractaque pendula valvis
Deſuper incumbens triplici tegit oſtia crate.
At Ducis Arctoas ſpargebat fama per urbes
Adventum, ſociasque manus, fortisque ſecundæ
Auſpicium felix: gentem ſine Marte ſubactam,
Munitosque lares. Rumoris nuncia diri
Horrebant, quibus ingenium cœleſte Leonis
Indomitumque animi robur, atque impetus ardens
Notus erat. Nondum tot mœnia funditus igni
Hauſta, nec exciſæ tormentis grandibus urbes
Exciderant animo: ſtagnantes ſanguine rivi,
Sparſaque per latos cæſorum viſcera campos
Occurrunt oculis. Mallent in fœdera nunquam
Veniſſe, & notum non oppugnaſſe Leonem.
Eſt locus, Holſatiam noſtri cognomine dicunt,
Dives agri, dives nemorum, gens Cimbrica quondam
Incoluit, nunc Saxo tenet: dant flumina fines
Quatuor: ad Zephyrum pronique cubilia ſolis
Terminat exundans Albis: Trava ſalſus ad ortum
At latus, unde nives Boreas jacit aſper & imbres
Concretos, claudit piger Eidora: limes ad Auſtrum
Gambrivios vitreo diſcernit gurgite Billa.
Hæc ſeſe reduci ſubmiſit prima Leoni,
Auſa datam temerare fidem. Schomburgius olim
Munere Lotharii regnandam acceperat heros:
Jamque aberat ferrum accinctus, pro nomine Chriſti.
Immemor abſentis Domini gens tota Leonis
Subditur imperiis, ſceptroque ſubeſſe recentis
Gaudet heri. Tantis ſucceſſibus auctior ille

Ingentes vomit ore minas, totumque repoſcit
Conjurata manus procerum quod ademerat armis.
His animadverſis ſocii fidique clientes,
Quos olim armorum comites, dum fata ſinebant,
Mox etiam ærumnæ converſis rebus habebat
Participes, junxere manus, & quicquid iniqua
Tempeſtas reliquum dederat ſupereſſe, ſaluti
Unius obſtringunt. Primus ſe Wolpius offert
Jam ſenior, ſed cruda viro pollensque ſenectus.
Ad vitreum tellus illi non parva Viſurgim,
Sed populata armis, poſtquam civilia bella
Horruit, & tanta nihil admiſiſſe Leonem
Dignum clade monet. Poſt hunc Raceburgius arma
Expedit: hunc gelido profugum ſubmoverat Albi
Aſcanius ductor, raptasque impune tenebat
Præſidiis arces. Suerinius ultimus iſtis
Acceſſit Comes, & vindictam totus anhelans,
Jam ſatis incenſum pergit ſtimulare Leonem.
Magnanimi heroës, & non inviſa Gradivo
Pectora, vos cælo ſublimes gloria tollit.
Cum belli rabies flammata cupidine regni,
Cognatasque oblita domos, damnata feriret
Fœdera, & audaces ſceleraret crimine dextras;
Vos pietas inſons cognatæ ſtirpis amore
Imbuit, & vetitis mites dimovit ab armis.
Dum vehet Albis aquas, hirtòque cacumine cælum
Hercynius pulſabit apex, dum Balthica Tethys
Dividet æquoreis pugnacem Saxona Danis
Æternum vos fama canet, patrioque triumphos
Carmine poſteritas feſta inter pocula dicet.
Quo convertat iter, quem primum provocet hoſtem,
Addubitat Guelfus. Pars debellanda Viſurgi
Et Rheno interjecta putat, quod grandius illic
Robur: & infeſtus reliquis magis omnibus hoſtis,
Urbis Agrippinæ Præſul: quo Marte repulſo
Concidat omne nefas, odiumque immane tepeſcat.
Pars jubet Aſcanii terras inimicaque caſtra
Primitus invadi, cum nemo nocentior illo,
Seu vim ſeu fraudem ſpectes. Hunc Cæſaris aulam
Impleviſſe odiis, proceres ad iniqua vocaſſe
Fœdera, nunc præda & ſpoliis immaniter uti.
Qui niſi mature vicino pulſus ab Albi
Exulet haud pacem populis, nec tuta futura
Otia. Poſterior placuit ſententia Guelfo;
Viſaque commodior, jam tum bis quina virorum
Millia, ſelectos equites peditumque cohortes
Ille recenſebat, quorum ſe credere dextris
Auſus & ingentis quærens exordia belli,
Bardorum ad vicum mittit, qui nuntia portet
Civibus; adventare Ducem, cui totius urbis
Jus vetus, obſequium cui debeat incola plenum.
Arma quidem ſecum atque inſtructas ære phalangas
Ducere, ſed patriæ mitem, blandumque venire,
Hoſti terribilem. Tota trieteride paſſum
Vim, probra, exilium: mirum quod vita ſuperſit:
Quæ nec tuta ſatis. Poſt tot faſtidia preſſo

Surgere ſpem reditus, dextrumque affulgere ſidus.
Hic minime deſint, qui nunquam juſta petenti
Defuerit. Pandant portas, & mœnibus ipſum
Accipiant: quicquid pacta & conventa repoſcant,
Facturum primo ingreſſu. Non copia fandi
Prolatis aberat, meruitque modeſtia laudem.
Æqua peti dixere patres, plenoque ſenatu
Reſponſum: veniat qualem promittitis ipſi,
Nos cupimus. Tantum melior fortuna ſequatur,
Et penſet communemalum. Nos obruit idem
Fluctus, & extremos capitis dolor ivit in artus.
Ille exul, nos oppreſſi: procul audiit hoſtem,
Vidimus hic coram. Nondum tamen omnia Guelfo
Juratam minuere fidem. Si priſtina ſalva eſt
Libertas, veniat, devotaque tecta reviſet.
Hæc illi. Incertum an vero candore. Negabant
Expertæ toties fraudes, & lubrica ſemper
Uſurpata fides. Nil ultra poſcere juſſi,
Laudavere animum & prompti reſponſa Senatus
Legati, mentemque rogant tueantur eandem,
Quicquid fata ferant, dubitent, de Principe nunquam.
Atque ita dum reficit labefactam curia pacem,
Divulſosque animos in mutua fœdera ducit
Comiter. En ingens varia crudeſcit in urbe
Seditio, motusque ciet temeraria plebes.
Scilicet hæc facies, & longo triſtis ab ævo
Urbis conditio: retinebat nuda Senatus
Nomina, rem populus. Fas illi condere leges,
Huic abolere iterum. Patrum conſulta tribuni
Mutabant quoties libitum, nec turpe putabant
Circumſtare forum, caniſque extrema minari.
Hoc libertatis ſtudium ſolemne vocabant,
Hoc odium commune jugi. Turpiſſimus illic
Quiſque ferebatur, pulſiſque aliunde receptus
Tutus erat. Mores hi diffudere ſiniſtros
Latus, & totam macularunt ſordibus urbem.
Ac niſi maturas properaſſet ſumere pœnas
Ira Ducis, placidumque alias traxiſſet in arma
Profligata manus; civili quaſſa tumultu,
Legibus everſis, pietate & jure ſubacto,
In flammam & cineres urbs ſubſediſſet inanes.
Non erat is populus, cui pax tranquilla placeret,
Quem ſua libertas projectis paſceret armis.
Sic eat, ô Nemeſis, quando pietaſque fideſque
Exceſſere foro: quando reverentia ſceptri
Nulla ſuper, populique furor bacchatur acerbus.
Verum ubi fama loquax, reſolutis libera linguis,
Vulgaret reſponſa patrum, quæ commoda Guelfi
Legatis dederant, & diſcordantia paſſim
Judicia & tacitos cieret ſerpendo ſuſurros:
Mox omnes, ceu dira animos turbaſſet Enyo,
Aut aliud monſtrum, furiata mente ruebant
In commune nefas. Fora, compita, ſtrata viarum
Plena armis & plena minis. Fragor undique multus
Et rauci ſtrepitus, atque indignatio frendens.
Atque aliquis ſpreta vulgi de fæce, vel udus
Fullo, vel horrentes gelidis abſtergere alutas

Suetus

Suetus aquis cerdo, dubium vaga fama reliquit,
Torva viro facies, oculi livore cruenti,
Hirſutumque ſupercilium, propexaque barba,
Congeneres inter ſocios, notosque tribules,
Huc illuc volvens oculos, ſic ore profatur.
Quem rebus tumidum geſtis, magnoque ſuperbos
Æquantem imperio reges, niſi comiter illud
Poſceret, haut unquam portis admiſimus, iſti
Omnibus afflicto jam caſibus omnium inani,
Cæſaris obliti mandata, ducumque potentum,
Invidiam, faſces dabimus, dominumque feremus?
At quo libertas nobis ſive ære repenſa,
Sive aliis extorta modis? reſcripta, tabellæ,
Et conventa probant nunquam ſervire coactam
Bardopolin. memini, ſæpe eſt quæſita poteſtas,
Haud admiſſa tamen. Nec vis nec jura movebant
Indociles jurare aliena in verba. Sed eſto:
Jus illi fuerit, noſtri ſerviſſe ferantur,
Incertum qua lege, reor. Jam tempus iniqvum
Declinare jugum, atque oneri ſubducere colla.
At quæ ſe melior nobis occaſio ſiſtat?
Nomen, opes, virtus una calcata ruina:
Quid reſtat miſero? fatis accedite ſegnes,
Et ſpoliate reos. Si quem hic pudet eſſe malignum,
Deſperet meliora humilis. Non provenit ulli
Imperium ſine fraude, nec eſt diteſcere promptum
Immodicè juſtis. Diſcant orare, quod optant,
Non mandare Duces, & clauſis objice portis
Aſſueſcas minor eſſe Leo. Non naſceris hæres
Imperio, ſed lectus adis. Non ſubdita vere
Gens ſumus, inſolitis quid inique vocibus uris?
Dic ſocios, dic immunes, nec plura, clientes.
Vix ea fatus erat, cum tota veſte cruentus
Proſilit in medium lanio, qui cæde patrata
Carnificis nuper ſtrictum vix fugerat enſem:
Promptus ad omne nefas. Is fandi tempora nactus,
Circumfuſum orbem torvo ſic increpat ore.
O natum ſervire genus, juſſusque minaces
Inclementis heri nullo ſufferre tumultu!
Quid juvat hîc agitare moras, & tempora fando
Perdere, & alternis animos ſuſpendere verbis?
Ite domum, curate focos, diſponite menſas:
Guelfus adeſt hoſpes, ſecumque ingentia ducit
Agmina, cognatas gentes, nullique timendas.
Scilicet id Cimbris proprium, notumque Britanni
Ingenium ærumnis hoc noſtrum defuit unum
Hactenus ut ne quid deſit gens degener: urbem
Clauſam pacificis, armatæ pande cohorti,
Et quid ſervitium, quid ſit parere tyrannis,
Circumſepta armis ab iniquo milite diſce.
O ſeculum, ô mores! quo non mens læva ſalubri
Conſilio viduata ruit? cognoſcite manes
Elyſii, quibus auſpicibus caput extulit altum
Bardopolis: ſervire placet, qui libera quondam
Gens fuimus, nec dum bellum, nec vidimus hoſtem.
Perdimur eloquio, ſævoque impervia Marti
Libertas blandæ periit dulcedine linguæ.

Heu

Heu nimium faciles promiſſis credere regum!
Non aurum eſt, quodcunque nitet: non grandia ſemper
Verba fides animat, gemuit cautiſſimus olim
Deceptum ſeſe, & phaleras ſine pondere dixit.
Quin agite & muris utramque excludite veſtris,
Sive hoſpes, ſive hoſtis is eſt. Meruere timeri
Immiſſi portis, excluſos ſprevimus hoſtes.
Atqui armatus adeſt, victæque nocentior urbi
Quam ſe ultrò danti veniet. Belli alea multum
Incerta eſt, nec ſemper amat victoria primos,
Sunt & opes nobis, eſt armis apta juventus:
Foſſa duplex, vallum & diviſæ in mœnia turres.
Adde quod invitos aliquo ſi Marte laceſſit,
Quæque foris ſuperant, noſtris injurius uret,
Nos urbe effuſi totum populabimus agrum.
Opidaque & validas armis ſuperabimus arces,
Telluris domini iſtius, quam lata, futuri.
Aſſenſere omnes, & quos tepefecerat alter,
Reddidit hic calidos: ſua quilibet expedit arma
Et bellum pugnamque crepat. Jam tardior hoſtis,
Quam cupiant: ridentque moras. O cæca nocentum
Pectora deliroſque animos! quid fingitis hoſtem,
Qui ſine bile venit? Quid jurgia nectitis illi,
Qui pacem tranquillus agit? ne poſcite Martem:
Jam muros cataphractus obiit, jam lampada quaſſans
Irata gladioſque manu, quod ſanciit æther
Accelerare parat. Jam flamma Tonantis inarſit
In veſtras ruitura domos, jugaque aſpera ſumpſit
Ruderibus mœſtum bos inducturus aratrum.
Sunt tamen inventi, mihi fas ita credere cives
Cordati, quos ille furor lymphatus & effrons,
Exemploque carens extremè offenderet. Urbem,
Haud urbem, ſed nequitiæ ſceleriſque nefandi
Sentinam, ac ſtabulum latronum infame, quietos
Inclamare Deos pœnaſque expoſcere cernunt.
Quid faciant? obſtare malis & frangere motus
Sangvineos æqvum eſt: mature incendia ſiſti
Suadet amor patriæ. Sed totos fuſa per artus
Tranſierat peſtis, medicamque exhorruit ulcus
Exitiale manum. Non ſic Euripus inundans
Perfurit alternos volvens ad littora fluctus:
Nec ſimili Syrtis fremit impacata tumultu,
Ac ſtolidum vulgus, non illo bellua pejor,
Omne audere ſcelus, atque omnia vertere fundo.
Audierat Guelfus placidi reſponſa Senatus:
Audiit & plebis furias, ſpes creverat inde,
Hinc plane exſtincta eſt, ſuperos teſtatur & aſtra
Invitum propriis ſe iraſci civibus, ægreque
Oppugnare ſuos. Ergo mihi Marſus & acres
Jurarunt Cimbri, telluſque aliena ſubacta eſt,
Majores voluere mei, ſua juraque longe
Tranſcripſere tibi? nempe ut violentior ires
In quodcunque nefas. Exemplum turpe dediſti
Perfidiæ moturum alias non ſegniter urbes
Ut parere negent, non hoc ego lævus inultum
Permiſiſſe legar facinus, contagia ſero

Siſtam

Siſtam dira truci, ne dilatata vagentur
Ulterius. Tu poſteritas, quæcunque futura eſt,
Hæc longe exaudi, dignasque rebellibus iras
Hauri oculis, cum legitimo ſub Principe poſco
Pace frui, & nullas belli ſentire ruinas,
Maluit eſſe nocens atque irritare quietum
Urbs oblita fui. Si quid crudelius ardens
Miles agit: Si pœna ſequax manabit in omnes,
Parcat fama mihi. Sic poſtquam fatus ad urbem
Haud trepidam convertit iter. Tunc mœnia clauſa
Conſpicit, atque hominum denſa vallata corona.
Vincit adhuc, reprimitque iras, vulgumque furentem,
Si coram videat vultus & principis ora,
Electi poſſe putans, iterum ſibi mœnia dedi
Poſtulat, & veniam inconſulti criminis offert.

Excipiunt riſu; infandum! ſuprema loquentis
Verba Ducis, ſalibusque nigris convicia miſcent
Improba, tum vero audaces effuſus in iras,
Non audita alias furibunda mente profatur.

Audite hæc proceres, & vos lectiſſima bello
Pectora, quos hujus teſtes mihi lucis & actus
Sors dedit, an pejus tetris quid perpetret auſis
Gens infrena virum? portis me excludere ſpretum
Non ſatis eſt, addunt turpi ludibria facto.
Heic fidei immemores. Alibi clementia virtus,
Hîc ſcelus eſt amens. Atque ô prius ima dehiſcat
Terra mihi, atque umbris alio ſub ſidere jungat,
Quam ferar opprobriis iſtis laceratus inultus.
Feſtinate viri, ſontesque invadite muros:
Sæviat ignis edax, iſtoque inimicior enſis.
Neſciat ira modum, & nullo diſcrimine cives
Innocui cum ſonte cadant: non impetret ætas,
Non ſexus veniam. Furor omnes obligat idem
Sacrilegus, ſit pœna eadem commune ſepulchrum
Arma, viros, ædes, ceu dira cadavera condat.

Dixerat & totis inflari claſſica campis
Edicit: mox cauſſa nocens tam præpetis æſtus
Diditur in caſtris, facinusque infame pateſcit.
Tum vero increſcunt animis flagrantibus iræ,
Certatimque volant ad propugnacula: vallum
Pars ruit, & foſſas revolutis molibus implet.
Quærunt pars aditum, & ſcalis aſcendere muros
Qua minor eſt agger. Telorum effundere contra
Omne genus Bardi, ac duris detrudere contis.

Ante alios Guelfus patriis inſignis in armis
Nunc picea jactat ſtridentem lampada flamma,
Nunc ſude nunc ſaxis, jaculo nunc impiger inſtat,
Pugnanti ſublimis adeſt Victoria, & ictus
Deſuper, ut nunquam ſine clade ferantur in hoſtem,
Dirigit. Hic jaculo ruit, alter pondere ſaxi,
Illum flamma necat, pice multa & ſulphure ſtridens:
Mors pretium commune venit. Stupet æmula turba
Sudores fremitusque Ducis. Nec ſuſtinet armis
Eſſe minor, dubiumque adeo cui bella gerantur.

Turris

Turris erat Zephyrum contra, ſolemque cadentem
Ardua, proſpectu vaſto, cum cætera pridem
Fama Deum pietas alios vertiſſet in uſus,
Huic uni parſum eſt. Perſuaſerat impius error
Numen ineſſe loco, minimeque impune noceri.
Hanc oppugnandam ſortito acceperat heros
Wolpius, antiquo Comitum de ſanguine princeps,
Dilectus multum Guelfo; ſpeculatus hiantes
Ille oculis rimas, lapidisque foramina crebra
Coctilis, haud dubiam in ſpem pervenit inde futuram
Ancipitis pugnæ finem. Jubet ergo ſodales,
Nomine quemque vocans, fragiles invadere muros.

Nec mora, contortos implacatiſſimus ictus
Fert aries, ſemperque aliquid de parte petita
Diſſipat: inſiſtunt cœca teſtudine tuti
Nituntur que aditu laxas aperire feneſtras.

Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis!
Sive hic aut numen, ſeu tantum machina pugnet,
Arietis impulſu turris pars magna ruinam
Traxit, & ingenti lateres diſſolvit hiatu.
Inſtat vi patria miles, patefactaque caſu
Oſtia perrumpit: ſed non & ſegnius intus
Objectis trabibus, ſparſoque repellitur igni.
Vincuntur numero cives, totamque repente
Undique concurrens exercitus occupans urbem.

Quis cladem illius lucis, quis funera dicat,
Calliope? cædes, incendia, ſtupra, rapinas,
Non mea centena ſi laxet pectora voce,
Enumerare queam. Nati cecidere parentum
Ante oculos, inque amplexu mactata mariti
Occubuit conjunx, & fruſtra voce rogantis
Auxilium patris conſpexit funera natus.
Interiit gladio cui flamma pepercit, & igni
Illæſus ferrum ſenſit. Non profuit ætas,
Non ſexus. Jacuere ſenes per compita cani
Admiſti pueris, & nondum luce peritus
Occidit ante diem tenebris immortuus infans.
Nec minus in totas Vulcanus ſæviit ædes,
Quam ferro inſtructi juvenes, tum mœnia quaſſa
Procubuere ſolo, turresque dedere ruinam
Aurataque domus, & celſa palatia flammis
In cinerem & tenues abierunt hauſta favillas.
Vix templis parſum eſt, ſuperant deformia nimbis
Et ſenio, quæque urbs fuerit & quanta loquuntur.

Hic finis vici Bardorum, hæc obruit illum
Tempeſtas, ipſi ſibi buſta rogosque parantem.

Hei mihi! quam tenues vertunt ingentia cauſſæ;
Urbs antiqua ruit, longum dominata per ævum,
Marte opibusque potens: momento concidit uno
Quicquid erat magnum, quicquid ſpectabile, priſcus
Splendor, & à multis quæſita potentia ſeclis,
In tenues inſtar fumi diſparuit auras.

Noluit

Noluit hoc Guelfus. Potuiſſes fulminis expers
Tam diri florere ſolo, terriſque ſuperbum
Oſtentare caput. Clementia victa benigni
Ceſſit, & in rigidum patiens induruit hoſtem.
Iſthic nunc miſeranda jace, mundoque ruinas
Et cineres oſtende tuos. Ubi marmora quondam
Secta renidebant; ubi cultu divite multus
Artificium labor in ſe oculos rapiebat & ora,
Nunc dumi ſteriles arbuſtaque vilia creſcunt.

Non hoc fortuito Divisque abſentibus actum,
Crede mihi, meruere tui, meruere furores
Ultorem ſentire Deum, qui numen in eſſe
Regibus affirmat, tantumque vicaria cælo
Sceptra dari, non marte rapi. Perjura tuliſti
Æternum opprobrium, nec ſpes neque gratia reſtat.

Audite hæc gentes, & quas Hyperione natus
Aſpicet exoriens, & quas ſublimior intrat:
Vosque ſuperbificis incinctæ mœnibus urbes,
Regnorum tituli. Multis ignoſcere norunt
Criminibus ſuperi, veniamque invenit adulter
Sæpius & raptor. Violenta rebellio nunquam
Impunita fuit: nullum truculentius odit
Seditione nefas æterni providus auctor
Ordinis & tutor. Veteres evolvite faſtos.
Et facient exempla fidem; nec ſecula noſtra
Ignorant. Deus eſt, per quem Reſpublica nata eſt,
Quo ſervante manet, quo diſſolvente fatiſcit.
Illi jus ſceptri ſanctum, illi purpura numen.

Diſcite ab hoc caſu, miſeræque à clade ſororis
Ferre magiſtratus, æquaſque aſſumere leges,
Deſipit egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium: multos alibi perſuaſio luſit,
Hic rata libertas, quæ nuſquam verior exit,
Quam ſub rege pio. Tantum moderatio præſit
Conſiliis, mediumque tenens extrema repellat;
Hoc ubi neglectum eſt, oritur ſuſpicio & impos
Effrenumque odium, ac tandem lacrymabile bellum.

Hæc ſunt, quæ noſtro liceat vos ore monere,
Intuitæ clades & mœſtæ fata ſororis,
Diſcite juſtitiam monitæ & non temnere Reges.

At tu, quem cælo pietas & plurima virtus
Inſervit pridem, rerum pater optime, Juli:
Haud quaquam invitus generoſi facta Leonis,
Vindictamque gravem, ſumptaſque à numine pœnas
Audieris hac luce tua. Te pacis alumnum
Vidimus expertique ſumus, non claſſica miles
Sub te pulſavit, non induit arma Gradivus.
At ſecura quies urbes habitavit & agros,
Cui ſociæ junxere manus, præſtoque fuerunt
Religio, leges, artes, opulentia, cultus,
Libertasque auro potior, cæleſtia dona.
His tua regna frui bellorum ignara volebas.

Si tamen impatiens flectique regique tumultus
Moviſſet rabies, turbasque incenſa dediſſet,
Haud equidem ſine vindicta, ſine marte fuiſſes.

Diſſimulare aliquid, lapſuque ignoſcere noras,
Dummodo majeſtas regni tibi ſalva: nec ulla
Parte minor reſpectus heri, cautumque ſupremis
Legibus obſequium nunquam hæc violata tuliſti

Salve heros heroum. Atque his inſiſtere prolem
Cerne tuam, jurisque ſui pactique tenacem.
Quem ſi in bella ciet cumulata injuria, cauſſa
Pro meliore Deus cæleſtibus excubet armis.

Salve iterum, magnoque hæc non ingrata Leoni
Ad placidas defer ſacer internuncius aures.

FINIS.

DE UTRIUSQVE SAXONIÆ ET VICINARUM REGIONUM QVARUNDAM

PAGIS,

Ex mediæ ætatis rerum Germanicarum ſcriptoribus & Cæſſ. Augg. diplomatis,

COMMENTARIOLUS.

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

ANDREAS KNICHIUS
JCtus
Lib. de Jure territorii cap. IV. num. CXCI.

MEIBOMIUS noſter optimè meritus, improbo labore Septemtrionalis Germaniæ pagos collegit & publicitus communicavit.

GVILELMVS BVDÆVS
In Chronologia Epiſcoporum Halberſtadenſium
pag. XXIV.

De pago Bolckesheim., ut vitulo magni illius viri, ingenio & prudentia acutiſſimi, HENRICI MEIBOMII, amici mei libenter arare velim, neſcio tamen qua de cauſa hujus pagi in Commentariolo ſuo de veteris Saxoniæ pagis ne verbo quidem meminerit.

Nobi.

Nobiliſſimo, Conſultiſſimoque Viro,

DN. MARQVARDO FREHERO,

Patricio Auguſtano,

Conſiliario Archi-Palatino.

S. D.

HENRICUS MEIBOMIUS.

Ediſti nobis, Frehere nobiliſſime, ſuperioris Germaniæ Pagos octoginta, improbo labore, ut tu affirmas, egoque facile credo, ex antiquiſſimis & incorruptis ævi ſuperioris monumentis erutos & collectos: quos magnâ cum voluptate perluſtrans cœpi etiam de noſtræ Germaniæ, quæ eſt Septentrionem verſus; Pagis inveſtigandis colligendisque cogitare: cujus mei laboris cum in nuperis ad te litteris meminiſſem, voluiſti illas qualescunque ſyllogas tecum communicari. Quæ igitur de hac materiâ in adverſariis habebam, quæque memoria ſuggerebat, in cartas conjecta diſpoſui ac typographo evulganda tradidi, nullus dubitans, quin antiquitatis patriæ amantes hanc meam non levis induſtriæ & laboris operam, ſint probaturi. Tuum verò nomen præfigere, tibique haſce pagellas conſecrare volui, ut vel exiguum habeas ἀντίδωρον pro tot tuis vigiliis ac ſcriptis eruditiſſimis, quæ elapſo decennio liberaliter mecum communicaſti. Faxit benignus Jehova, ut quorum catalogum nuper ad me miſiſti, ea ad umbilicum perducere, & communi patriæ, uti feliciter hactenus feciſti, lucem & honorem fœnerari, per vitam & valetudinem tibi liceat. Vale & ſalve iterum atque iterum. Helmſtadii Eidibus Octobris, die Juliæ academiæ natali triceſimo quinto: conſervatoris ac nutritoris ejusdem HENRICI JULII Guelfii quadrageſimo ſeptimo. Anno mundi redemti cIↄ Iↄcxii.

DE PAGIS VETERIS GERMANIÆ.

QUi & quales apud antiquos Germanos fuerint *Pagi*, prolixe explicant Wolfgangus Lazius Comment. de Rep. Rom. lib. 12. Joannes Aventinus in Nomenclatore, Chronico Bavarico præfixo; Andreas Althamerus, Jodocus Willichius & Michaël Beuterus Annotationibus ad Germaniam Corn. Taciti; Marquardus Freherus in Originibus Palatinis: Philippus Cluverius German. antiq. lib. 1. cap. 13. Reinerus Reineccius Notis ad vitam Caroli M. ab anonymo quodam carmine conſcriptam: Georgius Torquatus Chronico Magdeburgenſi MS. & alii. Quæ omnia in ſequentibus conſiſtunt. Ut Romani ſuum orbem in provincias, & has in præfecturas, præſidatus, colonias, municipia diſtributas habuerunt: ita Germania vetus, pro ſimplicitate gentis, in *Pagos* diviſa fuit. Teſtis Julius Cæſar lib. 1. comment. de bello Gallico, ubi ſcribit, *totam Helvetiam in quatuor pagos eſſe diſtinctam.* Et item: *Treviri autem nunciabant pagos centum Suevorum ad Rhenum conſediſſe.* Teſtis Cornelius Tacitus lib. de morib German. his verbis: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per vicos pagosque reddunt.* Meminit etiam Ammianus Marcellin. lib. 13. & 18. *pagorum Alamannicorum.* De pagis veterum Saxonum ita ſcribit Wernerus Rolvincius tractatu de laudibus antiquæ Saxoniæ: *Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos Satrapas conſtitutos: morisque erat, ut ſemel in anno generale concilium agerent in media Saxonia, juxta fluvium Weſeram, ad locum qui dicitur Marklo. Solebant ibi omnes in unum Satrapæ convenire, ex pagiſque ſingulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi & laici. Renovabant ibi leges: præcipuas cauſſas adjudicabant & quid per annum eſſent acturi, ſive bello ſive in pace, communi decreto ſtatuebant. Unde verſus:*

Sed variis diverſa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos, tot pene Duces, velut unius artus
Corporis in diverſa forent hinc inde revulſi:
Sed generalis habet populos diviſio ternos
Inſignita quibus Saxonia floruit olim:
Nomina nunc remanent, virtus antiqua receſſit.

Et verſus quidem iſti ſunt Poëtæ ἀνωνύμου, qui hiſtoriam Caroli M. tempore Arnolfi Imp. carmine heroico perſcripſit; editus à Reinero Reineccio. Cave autem hic *pagum* intelligas vicum, ſeu villum, muris ac portis carentem, quæ hodie eſt pagi ſignificatio: ſed tractum ſive diſtrictum unius ditionis, vel regionem, provinciam & populi alicujus partem. Imperator Henricus II. in literis anno MXIII. Werlæ datis vocat territoria: *in pagis quibuscunque vel territoriis.* Germanis veteribus dicebatur ein Gow: unde Hennegow/ Briſgow/ Rhingow/ Zürichgow/ imo & Naſſow/ quaſi Baſſgaw/ ut placet Petro Bertio Geograph. lib. 4. in deſcript. Naſſoviæ. Hinc etiam Gowgraff/ & corrupto Gograff/ præſes pagi vel regioni alicujus. Saxonum vetuſtiſſimi pagos etiam vocabant Schyres/ à *Scyra* Saxonica dictione: unde apud Anglo-Saxonas adhuc hodie ſuperant *Warvvicksbyre, Sommerſetsbyre, Hantsbyra, Barcksbyra, Nicolsbyra, Leiceſter sbyre* & plura alia, de quibus vide Guilielmum Camdenum Britanniæ ſuæ pag. 71. & Fridericum Lindenbrogium Gloſſario ad leges antiquas Germanicas. Helvetiis hodie pagi dicuntur *Cantones*; item Ort: communiter eine Pflege/ à plaga: Refier â rivus: Strich/ â diſtrictus vocabulis Latinis. Diſtrictus vero minores reſpectu majorum *Pagelli* dicebantur. Ita Ludovicus ſenior, Caroli Craſſi pater in diplomate, quod Bartholomæus Scobingerus adducit in additionibus ad Joach. Vadiani antiquitates; *Pagus etiam Vroniæ, quem & pagellum vocant*: & Fridericus primus in Bulla, quam habent Antiquitates Fuldenſes à Piſtorio editæ, lib. 2. cap. 2. *Termini autem pagelli qui dicitur Bicloſſsborn, aliorumque circumquaque commorantium populorum hi ſunt &c.* Cæterum etymon pagi, ut vult Henricus Bebelius in Spicilegio & Georgius Fabricius commentario ad Poëtas Chriſtianos, aliiq; eſt ἀπὸ τῶν πηγῶν, Dorice παγῶν, id eſt *fontibus*, quod plerumq; pagi circa fontium rivos collocarentur. Unde & accolæ *pagani* dicti, quaſi ex uno fonte bibentes: qua voce Auguſtino, Oroſio & aliis gentiles

tiles appellantur, quod apud fontes ſacra peragerent: quemadmodum noſtris Heiden dicuntur, quod in ericetis ſacrificarent. Conſtat autem tam Saxones, quam reliquos Germanos, quoties loci alicujus ſitum exprimere volebant, deſcribere ſolitos in quo pago & ad quem fluvium is ſitus eſſet, & pagus in quo Comitatu. Sic in diplomate Conradi Salici Imp. *pagus Entergovv eſt in Comitatu Bernardi Ducis:* in alio ejusdem diplomate *pagus Valim* eſt *in Comitatu Danckmari Comitis.* In diplomate Ottonis II. *pagus Lidbetogòvve* eſt *in Comitatu Comitis Bernardi*: in diplomate Henrici IV. *pagus Angeri* collocatur *in Comitatu Ottonis Ducis.* Vide Eccleſiæ Mindenſis privilegia, ſubjuncta Chronico Mindenſi à Joanne Piſtorio evulgati. Erat enim tota etiam Saxonia in *Comitatus* diviſa, quorum Dynaſtæ, vel regum Francicorum, vel poſt Cæſarum Saxonicorum aliorumque ipſis ſuccedentium Auguſtorum nomine jus per pagos dicebant, ipſi in *burgo* aliquo, id eſt opido, arcem impoſitam habente, reſidentes, in quo *mallus publicus*, id eſt, auditorium & tribunal eſſet. Appellatio pagorum uſurpari deſiit circa annum Chriſti MC, cum pagi in *Ducatus*, *Landgraviatus* & *Burggraviatus* migrarent, ac hereditario jure poſſideri inciperent. Pagos Suevorum deſcripſiſſe legitur Henricus Bebelius: qui præterea in ſuperiori fuere Germania, collecti ſunt à Marquardo Frehero, viro genere & doctrina nobiliſſimo, amico noſtro magno: cujus exemplo inductus hoſce ſeptentrionalis noſtræ Germaniæ pagos colligere, & nonnihil illuſtrare volui, occaſionem præbiturus aliis, quibus ad manum ſunt vetera diplomata Impp. noſtrorum, ut & ipſi ſimile quid aggrediantur.

A.

Pagus Ætia. Indicatur à Gregorio Turonenſi lib. 2. verbis ſequentibus: *Collecto exercitu* (Arbogaſtes) *transgreſſus Rhenum, Bricteros ripæ proximos, pagum Ætiam, quem Chamani incolunt, depopulatus eſt, nullo unquam occurſante.* Ex quibus apparet Ciſrhenanos fuiſſe hujus pagi incolas, quippe qui Bructeris & Chamanis, quos eruditi in Weſtvalia collocant, finitimi fuere. Tacitus lib. de moribus Germanorum *Chamanos* vocat *Chamavos*, quem ſequitur Ammianus Marcellinus lib. 17. Turonenſis enunciationem probat Althamerus commentario ad locum Taciti: nec forte abs re. Videtur enim appellatio ſignificare viros malos, Kdemenner/ quales etiam dici voluerunt *Quadi*, pars Saxonum, teſte Zoſimo lib. 3.

Pagus Ambraga, Meminit Otto II. Imp. diplomate dato Eccleſiæ Gandesheimenſi anno DCCCCLXXIX. Meminit Henricus Claudus Imp. diplomate dato anno MIX. Utroque tempore præfuit ei Comes Wichmannus, ex familia, ut opinor, Billingana Otto Imp. collocat in pago iſto locum ſui juris, *Pateleke* nominatum, quem non dubito, quin idem ſit cum præſidio *Badiliki*, cujus meminit Widekindus monachus lib. 2. ad quem vide Notas noſtras. Henricus Claudus tribuit eidem pago Curtim *Dallheim* quæ ſubſequentibus temporibus abiit in monaſterium Canonicorum regularium Ordinis D. Auguſtini, hodieque ſuperat. Nomen pagi profluxiſſe videtur ab *Ambra* fluvio, cujus meminit auctor vitæ Caroli M. apud Pithœum, & alter ejusdem argumenti ſcriptor, editus à Reinecio, ut ſit *Emmergaw*. Ambra, vulgo die Emmer/ alluit agri Padibornenſis opida aliquot, & in his caſtellum Schir (olim Schwerenburg/ ut ſcriptores habent Francici) deinde in Viſurgim ſe exonerat. Vide plura Notis noſtris ad Irminſulam.

Pagus Ameri. Nominatur in diplomate Henrici IV. Imp. donantis Epiſcopo Bremenſi foreſtum, hoc eſt, Saltum *Eſchenbrock.* Helmoldo Bozovienſi lib. 2. cap. 7. quem ſequitur Cranzius Saxon. lib. 6. cap. 20. dicitur Amerland. In literis fundationis monaſterii Raſtedenſis, Ordinis D. Benedicti, in agro Oldenborgico, nominatur pagus *Ammiri*, ipſique tribuuntur villæ ſequentes; *Netene*, *Hana*, *Bekenhuſen*, *Lemede*, *Brelleborne*, *Loyge*, *Oſtenborſt*, *Hammichus*, *Miribuſen*, *Kaſtede.* Diploma erectionis Eccleſiæ Bremenſis, relatum ab Adamo Bremenſi, *lucum Amrinum* inculcat, quem Albertus Stadenſis *Amrinum* vocat. Videtur nomen ſumpſiſſe vel à paludibus vicinis, vel à mari, à quo prope abeſt. Hodie pago iſto totus ille tractus cenſetur, ubi Comitatus Oldenburgicus, infra Bremam.

Pagus Angeri. Mentio ejus fit in diplomate Henrici IV. Imp. dato Eccleſiæ Bremenſi anno MLXII. & altero, dato Eccleſiæ Mindenſi anno MLXIII. Chriſtophorus Browerus in Antiquit. Fuldenſ. lib. 3. cap. 11. appellat *Angergoviam.* In-

colas

Digitized by Google

colas pagi Tacitus Annal. lib. 2. cap. 8. & ſæpe alibi. *Angrivarios:* Beda Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 11. *Angarios* vocat. Hunc ſeqvuntur Auctor vitæ Caroli M. à Pithœo editus, Widekindus monachus & alii. Reginoni ſunt *Angrarii:* Annalibus Francicis *Angri* : Chronico Mindenſi *Angiri.* Etymologia eſt à campeſtri planitie, von den Angern/ ac ſi dicas *Campanos*, ſeu *Pratenſes.* Pagus iſte fuit ampliſſimus, complectens *Suſalum* caput gentis, *Hervordiam, Mindam, Lemgoviam, Hamelam.* Hamelæ ſuperat inſcriptio cippi, digna quæ hic etiam legatur.

ANNO DOMINI DCCXII. BERNARDUS COMES,
CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIÆ
DE OSTEN, FUNDARUNT HANC ECCLESIAM.

Angaria vicus hodie ſuperat, Widekindi exregis Saxonum ſepulcro inſignis. Interdum ſcribitur *Engeri* ut habet diploma Conradi Salici, donantis Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi curtem imperialem *Erwete*, in pago *Engeri*, in Comitatu Marcwardi, anno MXXVII. Eadem habet auctor vitæ Meinwerci, Epiſcopi Padibornenſis.

Pagus Astringa. Nominatur in diplomate Ottonis II. anno DCCCCLXXXIII. 5. Idus Junii. Fuere in eo tum temporis *Itrepsholt* & *More* in Comitatu Bernardi Ducis. Meminit præterea Otto III. Imp. ad annum DCCCCLXXXIIX. *Repsholti* fuit olim Collegium Canonicorum Regularium, fundatum ab Adalingo. Archiepiſcopo Hamburgenſi. Pagus ille hodie vocatur *Oſtringea*, ſub ditione illuſtriſſimi Comitis Oldenburgii. Videtur autem pagus idem eſſe, quem Adrianus Papa, in privilegio Eccleſiæ Bremenſi dato, vocat *Aſterga* : Chronicon Bremenſe MS. *Aſtargaa:* Continuator anonymus Gregorii Turonenſis *Aſtrachiam.* In ſcholiis ad Adamum Bremenſem eſt *Oſtraga* : incolis in literis & monumentis antiquis *Aſtringi.*

Pagus Auga. Fuit in diœceſi Padibornenſi, eique confirmatur ab Ottone III. Imp. anno MI. poſtquam urbs Padiborna grave paſſa erat incendium ut Auctor vitæ S. Meinwerci. Meminit etiam pagi Auguenſis Hiſtoria translationis S. Viti in Saxoniam, collocans in eo villam *Huxere*, hodie Höxer ad Viſurgim fl. Vide vitam Meinwerci editam à Chriſtophoro Browero Jeſuita.

B.

Pagus Bardengaw. Ita vocant Annales Francici auctore Aſtronomo ad annum DCCIV. Diploma Ludovici Pii Imp. ad annum DCCCXLIII. nominat *Bardengoa*; Bulla Nicolai I. Papæ data anno DCCLXXXIV. *Berdangoa* : Regino Prumienſis *Bardingunt.* Eſt tractus circa *Bardewicum* in agro Luneburgico. *Bardi*, hujus pagi incolæ, nominantur apud Helmoldum lib. 1. cap. 25. & 27. In hoc pago fuit prædium *Ramſonali*, ut habet Adamus Bremenſis pag. 21. Chronico Bremenſi dictum *Rameslo.* Fuit in eodem *Luineburg*, quod Schafnaburgenſi *opidum* eſt *maximum.*

Pagus Belegora. In diplomate Marchionis Miſniæ Conr. II, citante Petro Albino, Chron. Miſnenſis pag. 432. Ditmaro Merſeburgenſi Epiſcopo *Belegori* dicitur, hodie Belgern. In hoc pago fuit Burgwardium *Treſcbowo.*

Pagus Bocensis. In vita Caroli M. edita à Pithœo. Annalibus Francicis ad annum DCCLXXXV. dicitur *Bucki.* In agro Padibornenſi ſupereſt hujus nominis monaſterium *Böke*, fundatum tempore Caroli M. à Meinolfo, præpotente quodam in Weſtvalia Dynaſta, quem idem Imperator ex ſacro fonte levarat. Vide Coſmodromium Gobelini Perſonæ ætate 6. cap. 40.

Pagus Budesin. Chronicon Pegavienſe pag. 7. Vetera diplomata *terram Budeſinenſem* appellant. Eſt tractus circa *Budiſſinam*, quam Dithmarus lib. 5. civitatem, lib. 6. & 8. urbem nominat. Hodie Bautzen/ in Luſatia.

C.

Pagus Chutici. Meminit Dithmarus Merſeburgenſis lib. 1. indicans. *Arnum Epiſcopum ſanctæ Wirtzburgenſis eccleſiæ nonum, cum ab expeditione Bojemorum reverſus, juxta plateam, in parte ſeptentrionali, fixo ſuper collem tentorio, miſſam caneret, hoſtili circumvallatum agmine præmiſſis omnibus, per martyrium cum ſociis ſemet-*

ipſum

ipſum Deo obtuliſſe, anno Dominicæ incarnationis DCCCCXCII. Verba iſta ſunt Dithmari, qui porro ſcribit Ottonem M. Boſoni primo Epiſcopo Merſpurgenſi dediſſe caſtellum *Medeburc*, quod hodie *Medeborn*, prope opidulum Rötaw. In diplomate ab Henrico II. Imp. Epiſcopæ Miſnenſi anno MXIII. dato, fit mentio pagi *Gudici*, in quo nominatur vicus *Golenzarella*. Pagus *Chutici* hodie Schudiß.

D.

PAGUS DALEMINCI. Dithmarus Merſeburgenſis lib. 4. ita vocat: quem prius lib. 1. vocarat *provinciam*, & deinde *regionem*. Diploma Bertholdi Epiſcopi Miſnenſis nuncupat *Dalaminzam*. Tractus eſt inter Albim & fl. Chemnitz, Slavis dictus *Glomaci*, ut idem vult Dithmarus lib. 1. Sigebertus Gemblacenſis, Conradus Urſpergenſis abbas, & Crancius ineptè *Dalemincios* cum *Dalmatis* confundunt. Fuit in pago Daleminci *Burgwardium Zadili*, in Comitatu Ekiberti Marchionis, tempore Henrici IV. Imp. ut ex ejus diplomate anno MLXXIV. dato, apparet.

PAGUS DARGUNENSIS. Nominatur ab Helmoldo lib. 1. cap. 58. & 64. Cum enim Adolfus Comes Holſatiæ & Schawenburgi Slavorum deſolatos fines colonis impleret, Dargunenſem pagum Weſtvalis patria excitis inhabitandum dedit, quos paullo poſt ingens calamitas oppreſſit.

PAGUS DARLINGOWE à Carolo M. tributus eſt Epiſcopæ Halberſtadenſi abs ſe inſtitutæ, ut meminit filius & ſucceſſor Ludovicus Pius diplomate Aquiſgrani dato anno DCCCXIV, & non ita pridem à Cl. Guilhelmo Budæo, amico noſtro in lucem edito: quod confirmavit deinde Henricus III. Imp. ut teſtatur Chronicon Halberſtadenſe MS. In hoc pago fuit curtis *Hebesheim*, quam ad petitionem Giſalharii Archiepiſcopi Magdeburgenſis, in præſentia Willigiſi Archiepiſcopi Moguntini, Hildebaldi Wormatienſis Epiſcopi & aviæ ſuæ Adelheidis confirmavit Otto III. Imp. III. Non. Octob. anno DCCCCXCII. regni IX. Meminit incolarum hujus pagis Rudolfus Epiſcopus Halberſtadenſis diplomate quodam ad annum MCXLV. his verbis: *Judex vivorum & mortuorum, Chriſtus, teſtis & judex ſit pacti hujus: teſtis ſit ſancta Eccleſia: teſtis ſit principum cura: teſtis ſit omnium conditionum differentia: teſtis ſit Northuringorum, Derlingorum, Hardagorum, Suavorum, Haſſingorum provincia, ad quos viſu vel auditu hujus pacti pervenit notitia &c.*

PAGUS DIEDESI. Dithmarus lib. 4. & 6. In eo Boleslaus Dux Poloniæ excepit Ottonem III. Imp. cum hic religionis ergo Gneſnam proficiſceretur, viſurus λείψανα novi Martyris Adelberti. Vaſtatur non multo poſt ab Arnolfo & Meinwerco Epiſcopis, Jarimaro Duce Boëmiæ, Gereone & Hermanno Marchionibus. Finitimus fuit Sileſiis & Milzenis, quorum hos Henricus Auceps debellavit, ſibique tributarios fecit.

PAGUS DIESMERI. Fuit unus ex pagis Friſicis, qui ceſſere Epiſcopæ Bremenſi, quod annotavit Scholiaſtes Adami Bremenſis.

PAGUS DRAGIM. Meminit ejus Regino ad annum DCCLXXXIV. Annalibus Franciciis eſt *Draigni*. Fuit in Weſtvalia prope Lippiam fl. hodie Drebenich. Poëta anonymus in vita Caroli M. appellat *Dreini*, ubi ait:

In Weſtvalorum pago, cognomine Dreini.

In hoc pago ſitum erat monaſterium *Liesborn* in Comitatu Hermanni Comitis.

E.

PAGUS EILANGOA. Memoratur Conrado Salico Imp. ad annum MXXXIIX. quo Bezelino Epiſcopo Bremenſi conceſſit licentiam inſtituendi mercatum in loco *Heslingoa*, in pago *Eilangoa*. Meminit ejusdem pagi Henricus III. Imp. anno MXL. *Heslingoa* monaſterium fuit virginum in agro Bremenſi, cujus auſpex quidam Comes, *Hed* nomine, cum hæredem non haberet, eccleſiam hanc in honorem Chriſti athletæ Viti, maxima totius hæreditatis ſuæ parte donavit, & congregatione ſanctimonialium ibidem facta, eandem abbatiam mundiburdio *Ethelda*gi, Bremenſis archiepiſcopi ſubdidit, ut verba habent Dithmari lib. 2. Adamus Bremenſis modice varians, auſpicem monaſterii *Haddonem* vocat, additque filiam ejus *Wendilgardam* primam ejus loci abbatiſſam, ſed non diu ſuperſtitem fuiſſe. De translatione parthenonis hujus in locum alium & cum ea nominis mutatione agit Albertus Stadenſis ad annum MCXXXVI. Repetit inde Crancius Saxon. lib. 6. cap. 7.

Pagus Emisgoa. Meminit Carolus M. in diplomate fundatorio Eccleſiæ Bremenſis, quod extat apud Adamum Bremenſem. Ibi palus *Eddenriad* diſterminat *Emisgoam* & *Oſtergoam*. In vita Ludgeri, primi Monaſterienſium Epiſcopi, & urbis Helmeſtadenſis fundatoris, quæ à Surio monacho Carthuſiano edita eſt, *Emiſga* refertur inter quinque pagos Orientalis Friſiæ, qui Francorum regno ſe ſubjecerunt, promittentes fidem Chriſtianam ſe ſuſcepturos, ſi erudiendis ipſis aliquis daretur, cujus loquelam intelligere poſſent. Adi vitam D. Ludgeri evulgatam à Chriſtophoro Browero, & addita ejusdem ſcholia. Meminit ejus pagi Henricus IV. Imp. condonans Adelberto Hamburgenſis Eccleſiæ archiepiſcopo, patrono & fideli ſuo, ut loquitur in diplomate, Comitatum Bernardi Comitis in pagis *Emisgoa* Weſtvala, & Angericum univerſis ejusdem comitis beneficia reſpicientibus &c. anno MLXII. Cornelio Kempenſi rerum Friſicarum lib. 7. cap. 12. nominatur *Emenſingovia*. Nomen accepit ab *Emiſa*, quarto ex magnis Saxoniæ fluminibꝰ; qui ortus in ſaltu Padibornenſi currit per medios Friſiorum términos in Oceanum Britannicum, ut Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 2. Plinius *Amiſium vocat* lib. 4. cap. 14. Tacitus Annal. lib. 1. cap. 60. & alibi, *Amiſiam*.

Pagus Entergowi. Memoratur Conrado Salico Imp. donanti Sigeberto Eccleſiæ Mindenſis Epiſcopo quandam ſilvam ſitam in proprietate prædiorum ejusdem eccleſiæ Mindenſis, & in pago Entergowi, in Comitatu vero Bernardi Ducis, cum conſenſu & collaudatione præfati Ducis, Bernardi & ſui fratris Dietmari, anno MXXIX. Bernardus Dux ejusque frater fuere ex familia Billingana; Bernardi I. qui aliis Benno, filii; Hermanni Ducis nepotes.

Pagus Essega. Mentio ejus in literis Conradi Salici Imp. qui eum Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi dono dedit, anno MXXXI. Situs ſcribitur in Comitatu Comitis Hermanni. Forte tractus fuit circa opidum *Eſſen*, quod in Weſtvalia adhuc hodie ſuperat.

F.

Pagus Federitga. Eſt inter pagos Friſiorum, qui ſponte Karolo M. ſe ſubjicientes, Divum Ludgerum doctorem acceperunt.

Pagus Fivelgoa. Etiam hic pagus ex illis eſt Friſiorum, qui ſponte Karoli M. jugum ſubiere, ut modo, & paulo ante ex Surio meminimus, qui *Fivilgoa* ſcribit. Adamus Bremenſis lib. 4. c. 5. *maximum Friſiæ Comitatum* indigetat, annuæ penſionis mille librarum argenti. Adelbertus Hamburgenſis archiepiſcopus eum ab Henrico IV. Imp. impetravit, & ad finem usque vitæ poſſedit, ut habet idem Adamus.

Pagus Flandriensis. De hoc Jacobus Mejerus agit lib. 1. rerum Flandricarum. *Pagus Flandrinenſis*, inquit, *dictus eſt quatenus æſtus incurrebat; reliqua pertinebant ad pagum Menapiſcum.*

Pagus Flenchi. Meminit Tangmarus in vita S. Berwardi, ex comite Sommerſcheburgio Antiſtite Hildeſienſi. Fuit in eo territorium *Gandesheimenſe* à *Ganda* fluvio dictum (qui, ut fundationis monaſterii Gandesheimenſis literæ indicant, olim *Ecliterna* vocatus fuit) cui celebritatem contulit illuſtre & magnificum cœnobium, à Ludolfo Saxoniæ Duce conditum: qui idem *Brunbuſium* monaſterium auſpicatus eſt.

Pagus Frizaci. Indicatur in Annalibus Francicis à Pithœo evulgatis ad annum DCCCXXIII, quo in illo villæ XXIII igne cæleſti concrematæ ſunt. Annales Francici, à Reubero editi, vitiosè legunt *Friſaſii*: Hermanni contracti editio Caniſiana *Firichſazu*: Urſpergenſis *Firibaze*. Superat hodie in Marchia Brandenburgenſi veteri appellatione. *Friſack*.

G.

Pagus Geraha. Theodoricus ejus nominis primus, Citicenſis ſive Mammillenſis Epiſcopus ex familia Widichindea, ut Joannes Rinius obſervavit, oriundus, & monaſterium Boſawgienſe auſpicatus, contulit ei decimam centum ſcabronum, teſte Paulo Langio, Chronico Citizenſi. Alexander, ejus nominis IV. Pontifex Romanus, bulla confirmationis hujus cœnobii, anno MCCLVI. data, vocat *terram Geraba*. Fuit ad Elutrum fl. ubi hodieque ejus nominis urbs ſuperat.

Pagus Glomazi. Hic idem eſt cum pago *Daleminci* de quo ſupra, ut obſervavit Petrus Albin. Chron. Miſnenſi. Dithmarus lib. 1. vocat *Glomuzi*; Verba ejus ex emen-

dationе Albini addam. *Sed qualiter pagus iſte nomine hoc ſignetur, dicam: Glomazi eſt fons, non procul ab Albi quam duo milliaria poſitus, & de ſe paludem generans, mira, ut incolæ pro veritate aſſerunt, oculisque approbatum eſt à multis, ſæpe operatur. Cum bona pax eſt indigenis profutura, ſuumque terra non mentitur fructum, idem tritico & avena & glande refertur, lætos vicinorum ad ſe crebro confluentium efficit animos. Quando autem ſæva belli tempeſtas ingruit, ſanguine & cinere certum futuri exitii indicium monſtrat.* Hactenus Dithmarus. Fuit tractus circa urbem Miſnam, ſupereſtque à veteri appellatione *Lommitſch*, urbs antiquiſſima.

PAGUS GOLLOKEUNE. Meminit ejus Otto II. Imp. diplomate, quo fundationem monaſterii Mariæ virginis in ſuburbio Gandersheimenſi, à Gerbirga, Henrici Rixoſi Ducis Bajariæ F. inſtitutam anno DCCCCLXXII. VII. Idus Junii, confirmat. Fuit in eo *Sundronhoff*, in Comitatu Gerungi Comitis.

H.

PAGUS HAMALAND. Henricus IV. Imp. anno Chriſti MLXXXIII. Indict. VI. Liemaro Archiepiſcopo Hamburgenſi donavit abbatiam *Altene*, in honore S. Viti martyris conſtructam juxta Rhenum fluvium, in pago *Hamaland*, & Gerardi Comitatu ſitam, ut habet diploma datum Romæ. Nobile hoc monaſterium in regione Clivenſi, haut procul Embrica civitate in editi montis jugo ab illuſtris proſapiæ abbatiſſa gubernari ſolet. Fundatum eſt à ſorore Meinvverci Epiſcopi Padibornenſis, ut habet Gobelinus Coſmodromii ætate 6. cap. 53. & ex eo Chronicon magnum Belgicum: à quibus diſſentiens Auctor vitæ Meinvverci, ejus ſororem Athelam, ſive Azelam, ſanctimonialem ibi fuiſſe affirmat. In hoc pago fuit urbs munitiſſima *Vplan*, ut vocat Dithmarus lib. 7. (In vita Meinvverci nominatur *Vplage*) hereditaria Baldrici Comitis, Vitrici Meivverci, hominis impii & nefarii, quippe cujus molitione uxor ejus Athela, altera Herodias, ut vocat Dithmarus, proprium interfecit filium Theodericum, ipſe vero in gratiam ſceleratæ mulieris Wichmannum Comitem per inſidias trucidari curavit. Pro quo ſcelere, inclamante vicinos dynaſtas Theoderico Monaſterienſium Epiſcopo, urbs *Vplan* obſeſſa, tandemque ſuppetias ferente Bernardo Saxoniæ Duce, ſolo æquata eſt.

PAGUS HARTINGOVVE. Silva Hercinia, olim longe lateque ſe extendens, ſuccedentibus temporibus exciſa, urbes vicosque admiſit, pagoque peramplo nomen facit. Diplomate Ludovici Pii, quod CL. Guil. Budæus noſter primus evulgavit, nominatur *Hartingovve*, aſſignaturque diœceſi Halberſtadenſi. Idem in literis fundationis monaſterii Groningenſis ad Bodam fl. datis anno DCCCCXXXVI. vocatur *Hardgo*. Ei tribuuntur *Groninga*, *Wolferſtetum*, *Oſcherslebium* & *Uplingum*, hodieque nota loca. Diploma Ottonis II. Imp. confirmantis Eccleſiæ Magdeburgenſi à parente ſuo donata, quæ ordine recenſet, in pago *Hardago* nominat, *Staun*, *Roresheim*, *Vallersleben*, *Bardorf*, *Duttenſtede*, *Gehrlan*, *Gethilde*, ad annum DCCCCLXXIII. Ex his *Vallerslebium* Epiſcopalis ſedes aliquando fuit. Nam Epiſcopatus, qui *Schiræ*, ſive *Schidræ* (locus eſt in Comitatu Lippienſi) cœpit, inde à Brunone & Tanquardo fratribus, Ducibus Saxoniæ, Vallerslebium translatus eſt. Sed nec ibi diu hæſit, *Froſam* migrans, unde demum ab Ottone M. *Magdeburgum* deductus eſt, ut Centuria Magdeburgenſis octava pag. 18. & 23. ex Henrico Hervordienſi commemorat. Eadem habet Rolevincius lib. de laudibus antiquæ Saxoniæ. Henricus II. Imp. in pago *Hartega*, in Comitatu Liudigeri Comitis monaſterio Lunæ anno MXXII. donat prædium quoddam in *Latheburum*.

PAGUS HASBANIENSIS. Hujus meminit Jacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. 2. Fuit in eo villa *Wintreshove* & *Wineble*.

PAGUS HASSEGVN. Nominatur Ditmaro lib. 7. & paullo ante *provincia* indigitatur. Hic idem videtur eſſe cum *pago Haſsingou*, quem Ludovici Pii diploma tribuit Epiſcopatui Halberſtadenſi. In antiquitatibus Hamerslebienſibus vocatur *provincia Haſsingorum*. Neque alium ab his puto pagum *Hoſgou*, in inſtrumento erectionis Archiepiſcopatus Magdeburgici, Ravennoæ in Synodo multorum procerum Eccleſiaſticorum, Papa & Ottone Imp. præſentibus, ſolenniter factæ. Annotantur ibi limites hujus pagi, videlicet Sala, Willerbach, & Wippra fluvii. Hujus tractus meminit

etiam Dithmarus lib. 6. additque tempore Ottonis Cæſaris Bioni Comiti Merſpurgio paruiſſe.

* Recte exiſtimavit avus meus Pagum *Haſſegun* apud *Dithmarum* eundem eſſe cum pago *Haſſingovv* Epiſcopatus Halberſtadenſis, qui etiam ſcribitur *Herſingau*, frequentiſſimæ litteræ A & E inter ſe permutatione, fuitque ſine dubio circa illa loca, ubi hodie *Heſſen*, (in tabulis antiquis *Heſſenheim*) arx Ducum Brunſuic.& Lynæburgenſium. In ***Annalibus rerum Francic. Aldhelmo*** tributas ad An. 775. cum Carolus Viſurgi amne trajecto cum parte exercitus ad Obacrum fluvium contenderet, memoratur ipſi occurriſſe ***Heſſo unus ex primoribus Saxonum cum omnibus Oſtvalis***, ubi ex circumſtantiis conjicere licet, Heſſonem ex hoc pago fuiſſe. In diplomate Rudolphi Epiſcopi Halberſtadenſis ad annum 1145. vocatur ***Provincia Haſſingorum.*** An autem hic Pagus idem ſit cum Pago *Hosgavv* cujus in antiquitatibus Magdeburgicis mentio fit, ceu exiſtimat Avus, non certo dixerim: negat H. Conring. l. de Antiq. Helmſtad. p. 75.

PAGUS HASSIORUM, ſuper fluvium Edernam. Annales Francorum ab Aſtronomo ſcripti ad annum DCCLXXIIX. hoc nomine appellant. Poëta, Auctor vitæ Karoli M. *pagum Heßi* nominat. Hodie das Land zu Heſſen an der Eder.

PAGUS HASTVALUS. Indicatur diplomate Henrici Humilis ſive Claudi Imp. confirmantis donationes cœnobio Heiningenſi ad Ocram fl. factas anno MXIII. Puto legendum *Hoſtvalus*, ut intelligatur *regio Oſtvalorum*, ſive Saxonum ciſveſeranorum, quos Poëta in vita Karoli *Oſterlingos* vocat. Nam & Regino ad annum DCCLXXXIV. ſcribit *Hoſtvali*. Vita Karoli M. à Pithœo edita *Oſtfalnos*, & alius auctor, qui vitam Ludovici Pii deſcripſit, hunc pagum *Oſtvalaa* nuncupat. Bedæ lib. 5. hiſtor. eccleſiaſt. c. 11. Widechindo lib. 1. Auctori annal. Francic. ad annum DCCLXXV. & DCCLXXIX. item Vrſpergenſi & aliis, ſimpliciter *Oſtvali* nominantur.

PAGUS HARTERI, in Comitatu Comitis Erenfridi. Mentio ejus fit in literis Ottonis M. ad annum DCCCCXLVI. In hoc fuit villa *Mundelingen*, forte an *Mulingen*, ſubjecta comitibus Barbejenſibus.

* PAGUS HELINGE. Hujus fit mentio in diplomate Ottonis dato a. 950. producto à Cl. *Sagittario*. Qui quidem ibi videtur fuiſſe, ubi hodieque eſt vicus ejus nominis Nobilibus Bartenslebiis parens, non longe à Wolfburgo. Quis autem in eodem Diplomate ſit Pagus *Moſde*, fateor me neſcire.

PAGUS HELMINGOVVI. Paruit anno DCCCCLXV. Wilhelmo Comiti: quo anno Imp. Otto M. die 2. Iduum Aprilis monaſterio Magdeburgenſi dedit bona nonnulla, ſita in *Bredinga* & *Brandeſrode*, locis hujus pagi. Fuit in eodem villa *Suntbuſen*, quam Otto II. rogatu Giſelharii Archiepiſcopi Magdeburgici cuidam clerico nomine Sunthario, condonavit. Erpone Comite ibi præſidente, anno DCCCCLXXX. II. Idus Februarias. Accepit autem nomen pagus hic ab *Helmo* fl. Thuringiæ, ſcaturiente in dynaſtia Werterenſi, ſupra Roslebium, & exonerante ſe in Vuſtrutum fl.

PAGUS HEMMERFELD, in Comitatu Vdonis Comitis. Datur ab Imp. Henrico II. Meinvverco Epiſcopo Padibornenſi, anno MCXIIX. Fuit in eo prædium ***Siburghuſen.*** Vide auctorem vitæ S. Meinvverci pag. 50.

PAGUS HEROLGA. Subjicitur Epiſcopo Bremenſi, ut habet ſcholia ad Adamum Bremenſem. Adriannus Pontifex in bulla confirmationis Eccleſiæ ejuſdem *Herlingiam* appellat. Eſt tractus à pago Nordi ad Wangriam uſque. Subſunt *Harlingii* hodie Domino Eſenſi in Friſia.

PAGUS HOLSATIÆ. Meminit ejus inſtrumentum Athelberonis Archiepiſcopi Hamburgenſis ad annum MCXLI. Vide appendicem Chronici Bremenſis, editi ab Erpoldo Lindenbruch pag. 114. 116. & 118. Hujus pagi incolas Adamus Bremenſis vocat *Olcetas*: vide editionem Danicam lib. 2. cap. 8.

* In alio Diplomate ejuſdem Adalberonis apud Lindenbrogium vocatur ***Marka Holſatorum***, & in Henrici Ducis Diplomate ibidem ***Provincia Holſatiæ.***

PAGUS HORLA. Nominatur Chronico Pegavienſi pag. 7. Reineccius in translatione Germanica, omiſſa aſpiratione, ſcribit *Orla*. Vnde conjicias fuiſſe regionem ad

fl. Thu-

Digitized by Google

fl. Thuringiæ *Orilum* ad *Orlemundam* in Salam ſe exonerantem. Habuit iſta provincia olim ſuos comites: ex quibus Henrici, ejusque Filii Alberti meminit Crancius Saxon lib. 7. cap. 27.

PAGUS HUETAGOGE. Meminere ejus Annales Francici ad annum DCCCCLXXXIV. Fuit juxta Ambram fl. in diœceſi Padibornenſi. Habuere ibi Saxones caſtellum *Skidroburg*, quod aliis contracte *Schider*, hodie *Schir* dicitur. Karolus M. eo in loco Epiſcopatum condidit, qui poſtea alio migravit, ut paulo ante monuimus. Fuit in hoc pago villa, in qua natalem Domini celebravit Carol⁹ M. an. DCCLXXXIV. nomine *Linbidi*, ut eſt apud Reginonem: verum nomen habet vita Karoli M. à Pithœo edita ubi pag. 147. in margine legitur *Luidi*, quemadmodum & hodie Luide appellantur. Ad Ambram fl. habitaſſe, & ab eo nomen mutuatos *Ambrones*, Cimbrorum in bello contra Romanos ſocios, exiſtimat Reineccius lib. de origine Myſorum.

PAGUS HUNESGA. Nominantur in diplomate Henrici IV. Imp. anno MLVII, die 4. iduum Decembris. In hoc pago ſicut & in altero, Fivelga dicto, habuit Imperator Comitatum quendam, quem largitur Albertus Epiſcopo Bremenſi. Vide Lindenbrogium pag. 159.

I.

PAGUS ILMIN. Inculcant hunc additiones ad Lambertum Schafnaburgenſem pag. 257. Vide Tomum I. Hiſtoricorum Germanicorum, vulgatore Jo. Piſtorio. Fuit hic pagus in Thuringia ad Ilmum fl.

L.

PAGUS LACNI. Conradus Salicus, in monaſterio Hilt iswardeshuſano commorans, Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi quandam proprietatem, curtim *Gardenebike* nominatam, in pago *Lacni*, in Comitatu Hermanni Comitis ſitam, cum omni integritate & quicquid prædii habuit in villis *Huinadal*, *Molduga-vel*, *Liudelvesbuſen*, in eodem pago, cum omnibus attinentiis dedit, *ut ipſe fidelis ſuus, ſive longe ſive prope eſſet, ſuæ devotiſſimæ ſervitutis eum non immemorem eſſe recognoſceret.* Verba ſunt diplomatis dati anno MXXXI. Henricus IV. Imp. *pro devoto ac fideli ſervitio Adelberti Hamburgenſis Archiepiſcopi, quendam ſervientem ſuum, Nannonem nuncupatum, una cum filio ſuo, Hildiberno vocato, atque filia ſua Lucia, nec non prædiis ſuis, quæcunque habere viſus eſt in loco Winethe dicto in pago Lacne, in Comitatu Henrici Comitis &c. ad Sanctam Hamburgenſem eccleſiam, in honorem S. Dei genitricis conſtructam dedit atque tradidit.* Verba itidem ſunt diplomatis dati Triburiæ anno MLXIV. XVI. Kal. Febr.

* Quæ ex Diplomate Conradi Salici de pago *Lacni* notavit Avus meus, habentur in Vita Meinwerci. n. 117. In qua eadem vita *Hathamarus*, *quicquid proprietatis habuit in Erpeſſum*, *in pago Lachni & in Comitatum Hermanni Comitis*, *Eccleſiæ Paderbornenſi* tradidiſſe memoratur. Vocatur alias *Lochni*. In Diplomatibus Ludovici pii nominatur *Pagus Locni in Angrariis*, qui fortaſſis idem. *Adolphus Overham* in Not. ad Vitam Meinwerci p. 409. producit Tabulas datas a. 1016. quibus *S. Henricus & conteralis ejus Kunigunde Imperatrix Auguſta Protomartyrium S. Stephano atque Vito Martyri in Hiltiwardesbuſen Monaſterio, in villa Gemmet, in pago Logni, in Comitatum Herimanni jugera ſexaginta ſex cum ſuis pertinentiis interventum Meinwerchi Paterbrunnenſis Epiſcopi in proprium tradidiſſe memorantur.*

PAGUS LAERGOE. Karolus M. Epiſcopatui Bremenſi abs ſe condito ſubjecit decem pagos, quos, abjectis ipſorum antiquis vocabulis & diviſionibus, in duas redegit provincias, ſequentibus appellatas nominibus, Wigmodia & Laergoe. Ita habet privilegium Bremenſe Karoli M. apud Adamum Bremenſem & alios. Auctor vitæ Meinwerci, Padibornenſis Epiſcopi meminit loci, *Laërge* dicti, in quo Henricus II. Imp. principum Imperii conventum habuerit, multaque cum eis ad honorem & dignitatem neceſſaria diſpoſuerit.

PAGUS LANGEWICE. Memoratur in additionibus ad Lambertum Schafnaburgenſem ad annum MCCIV. Apparet fuiſſe tractum in Thuringia prope Salvaldium villam regiam quam Ottocarus rex Boëmiæ tempore belli civilis devaſtavit.

PAGUS LIDBETEGOWI. Otto II. Imp. *commonente ac ſuppliciter rogante Mandrado*

do presbytero, talem proprietatem, qualem in pago Lidbetegowi & in Comitatu Bernardi Comitis ſitum, quo quomodo ſibi in proprium acquiſierat, quod lege in jus & ditionem Imperatoriam redierat, ſuæ potentia auctoritatis ad Eccleſiam Mindenſem, S. Petri principis Apoſtolorum bonori dicatam, in proprium & perpetuum uſum, pro animæ ſuæ remedio ac Imperii ſtabilitate tradidit, firmiterque donavit. Actum Noviomagi anno Chriſti DCCCCLXXIV. Kal. Martii. Verba ſunt diplomatis. Chronicon Mindenſe, noſtra opera editum, ſcribit *Lubbekegowe*, & putat eſſe *Lubbeke*, non ignobile diœceſis Mindenſis opidum. In hoc pago, qui Annalibus Francicis Pithœanis ad annum DCCLXXV. *Liedbechi*: Poëtæ annonymo in vita Karoli M. cum aſpiratione, majoribus noſtris uſitata, *Hlitbeki*: Saxones à Francis magna clade afflicti ſunt.

Pagus Lisga. Anno MXIII. Henricus II. Imp. in caſtello Gronden convenire Principes mandavit, & VI. Kal. Maij de ſtatu regni inibi cum eis neceſſaria tractavit. Meinwercus Epiſcopus Padibornenſis ea occaſione uſus, *Bernesbuſium*, ſitum in pago Lisga. in Comitatu Udonis Comitis, obtinuit, *legaliter illud ab Unwano, Archiepiſcopo Bremenſi Imperatori traditum erat, ac in jus Meinwerci tranſierat, ſed invaſione quorundam poſſeſſione turbata tandem poſt quinquennium ab Imperatore renovata & confirmata eſt.* Retinui verba Auctoris vitæ Meinwerci epiſcopi.

Pagus Logingaha. Auctor vitæ S. Godehardi, Epiſcopi Hildeſienſis ſcribit cap. 6. in hoc pago fuiſſe caſtellum *Gruona* ubi Godehardus, licet invitus, epiſcopus electus & conſecratus fuerit. Ibidem Henricus II. Imp. cum totius Chriſtianitatis mœrore inæſtimabili, anno vitæ ſuæ LII. regni XXIV. Imperii II. Dominicæ incarnationis MXXIV. eſt defunctus & Bavenbergam translatus.

* *Hofmannus*, harum rerum peritiſſimus & amicus, dum viveret, noſter, pagum *Logingaha* eundem eſſe cum pago *Locni* ſeu *Lochni* de quo ſupra, aſſerebat: cui tamen nondum aſſentiri poſſum. Scribitur aliàs hic Pagus *Loinga*, meoque judicio nomen habuit à fluvio Leina, qui & Laina, & Loina vocatur, ut ſit pagus, ſeu gou, ad fluvium Loinam. In diplomate Ottonis I. apud Maderum Pagi *Lainga* fit mentio, inque eo locatur *Curtis Salta*.

Pagus Losa. Henricus IV. Imp. *pro remedio animæ patris ſui, ſereniſſimi Romanorum Imp. Aug. Henrici, & ſtabilitate regni, conſili ante & precante dilectiſſima matre ſua, Agnete, Imperatrice Auguſta, ob petitionem & fidele ſervitium Colonienſis Archiepiſcopi Annonis, quoddam prædium* Loſa, *ſitum in pago* Loſa, *ad monaſterium Mindenſe in bonore S. Petri & S. Gorgonii conſtructum in uſum fratrum inibi Deo ſub Canonica regula ſervientium tradidit. Actum Minda V. menſis Maij anno Dominicæ incarnationis MLIIX. Indict. II.* Verba ſunt ipſa diplomatis.

Pagus Lubenizi. Fuit tractus circa urbem Wurcenſem. Indicatur diplomate Ottonis III. Imp. anno DCCCCXCIII. & Wichmanni Archiepiſcopi Magdeburgenſis ad annum MCLXIII. Dithmaro Epiſcopo Merſeburgenſi lib. 3. eſt *Luibanizi*, qui accenſet hunc locum iis, quæ Giſalarius Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Epiſcopâ Merſeburgenſi diſſipata, ſuæ diœceſi adjunxit. Hodie *Lubenitz* vocatur.

Pagus Luzici. Memoratur in bulla Joannis XIII. Pontificis Romani, anno ſeſſionis ſuæ tertio, confirmantis erectionem Epiſcopatus Miſnenſis. Dithmaro lib. 3. & 6. eſt pagus *Luzici*, lib. 7. *Luſici*. Tractus fuit circa *Dobrelucum*, inſigne monaſterium ad Eliſtrum fl. In fronte hujus pagi fuit urbs *Jarina*, nomen ſortita à Gerone Marchione, qui in hoc, & in altero pago, *Seltoli*, cum imperio fuit. A pago *Luſici* ſuperat nomen *Luſatia*, die Laußnitz.

M.

Pagus Micterga. Anno Dominicæ incarnationis MXXX. Conradus Imp. *difficili periculoſoque itinere regionem Ungariorum pervaſit, & Meinwerco ſibi ubique devote obſequente, interventu Giſlæ Imperatricis, filiique ejus Henrici regis, Kal. Junii in Merſeburg quondam Bernardi Comitis prædium, Batberg dictum cum decem manſis circa eundem montem jacentibus, in pago Michtorcha, in Comitatu Haboldi Comitis ſitum, teſtamentaria auctoritate ei contulit, quod ideo hereditario jure in Imperialem poteſtatem ſucceſſit, quia idem Comes Bernardus Spurius, quod vulgo Wauburtin dicunt, fuit.* Verba ſunt Auctoris vitæ Meinwerci, cap. 105.

Pagus Menapiscus. Nominat eum Jacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. 1.

ad

ad annum DXXXI. Videtur nomen accepiſſe à *Menapiis*, de quibus Strabo lib. 4. In eo fuit *Truncinium*, ubi collegium clericorum inſtituit S. Amandus. Ejus vici ſeu caſtella fuere *Aldenburgus, Turbolt, Rodenburgus & Oſtburgus* : Item *Worenbolt, Heclesbeka, Crombeka, Straſella, Groneberg, Watamum, Caletum, Baliolum, Steinfordium, Pupumingahem, Hypra, Meſchina, Varmeſton, Cominini, Longamarca.* Mejerus ibidem.

PAGUS MILZENI, ſive MILCENI. Meminit ejus Dithmarus lib. 6. Fuit pars Soraborum, ut notat Reineccius ad Dithmarum. Albinus Chronico Miſnenſi à *Milda* fl. dictos exiſtimat. Bello petitos legitur ab Henrico II. Imp. domitos ab Echardo I. Marchione Miſnenſi.

PAGUS MILSCA. Nominatur in diplomate Henrici IV. Imp. ad annum MLXXI. citante Petro Albino. Fuit in hoc pago vicus peramplus, *Berelitz*, ſive *Gorelitz*.

PAGUS MORANGANO. Fuit in eo *regia curtis MARANGA, in Comitatu Bernardi Comitis, quam Unwanus Archiepiſcopus Bremenſis, cum manu advocati ſui Udonis, Henrico II Imp. omnium hominum contradictione remota, tradidit, & ipſe Imp. pro remedio animæ ſui prædeceſſoris tertii Ottonis, divæ memoriæ Imperatoris Augusti, & incolumitatis ſuæ vitæ, & ſpe futuræ, cum omnibus attinentiis Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi conceſſit* anno MXIII. Auctor vitæ Meinwerci cap. 25.

PAGUS MORASSOW. Anno XXX. regni, IV. vero Imperii Otto M. Imp. *ad petitionem Adelheidis conjugis ſuæ, Popponis Epiſcopi Wirtzburgenſis & Geronis Marchionis, dedit S. Mauritio in Magdeburg duas civitates, Luborn & Tucbime, ſitas in occidentali parte Albis fluminis in pago Moraſſovorum, in Comitatu dicti Marchionis. Actum XV. Kal. Junii in Dornburg.* Hæc verba deſcripſi ex regiſtratura, ut vocant, eccleſiæ Magdeburgenſis. Georgius Torquatus, Annalium Magdeb. & Halberſtad. primæ partis lib. 2. cap. 4. in fundatione monaſterii Lietzke prope Magdeburgum, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis partim transalbinam ſcribit vocari *Morſchoviam*, additque eam extendi ad Havelam usque fluvium. Eodem atteſtante, in diplomate Conradi Imp. quo confirmatur inſtitutio monaſterii Hierochoviani, provincia hæc *Scholeve* appellatur, ab opido ejus nominis in citeriori ripa Havelæ.

PAGUS MOREZINI. Fuit hic juxta Magdeburgum Dithmaro teſte lib. 6. Forte idem erit cum pago *Mortaſini*, cujus meminit diploma fundationis cœnobii Bergenſis prope Magdeburgum. In pago *Mortzan* fuit *Burgwardium Driezole*, ut notatur in Chronico Magdeburgenſi MS. in vita Dagenonis.

* *Pagus Mortzan* fortaſſis eſt idem cum pago *Moraſſovv*, de quo paullo ante. In diplomate enim Ottonis M. pro *Moraſſovorum* in ſuo exemplari legi *Moroszanorum* notat CL. *Sagittarius*.

N.

PAGUS NEDELICE. Hic alibi vocatur *Nelecice*. *Otto M. Imp. ob amorem Dei, regnique æterni manſionem, ob remedium animæ patris ſui Henrici regis, ac pro incolumnitate matris ſuæ Mathildis, ac pro ſtatu & incolumitate regni vel Imperii, conjugisque ſuæ Adelheidis, ac filii ſui Ottonis, inſtinctu & monitu Wilhelmi Archiepiſcopi Moguntinæ ſedis, dedit Eccleſiæ S. Mauritii martyris in Magdeburg omnem rem pagumque NEDELICE, omnemque utilitatem cum omnibus ad eum pertinentibus. Actum Wiſbadun, II. Idus Aprilis, anno Domini DCCCCLXV.* Fuit in eo pago urbs *Gibucanſtein* & opida nonnulla alia, *Dobrogora, Rodible*.

PAGUS NETEGA. *Mortuo anno MXXI, XIV. Kal. Septembris, Dodicone, Comite de Wartberge, Meinwercus Padibornenſis Epiſcopus Imperatorem Henricum II. poſt natalem Domini Patherbrunne invitavit, & Comitatum, quem idem Dodico dum vixit tenuit, in pago Helſiga, NETEGA, Niterga ſitum, ab eo impetravit.* Verba ſunt Auctoris vitæ Meinwerci cap. 71.

PAGUS NISENI. Hujus meminit Dithmarus Merſeburgenſis Epiſcopus lib. 4. & diploma Henrici II. Imp. anno MXIII. in bulla confirmationis Epiſcopæ Miſnenſis appellat *Niſici* & *Niſen*. Henricus IV. Imp. *Niſani*. Chronicon Pegavienſe, anno MLXXX. regno Boëmiæ paruiſſe, & Wiperto Comiti Groicenſi à rege donatum

tum affirmat. Fuere in hoc pago burgwardia duo, *Woz* & *Biuſtrizzi*; item *Scarpenberg*: præterea villa *Brochotinachetla*. Complexus eſt pagus hic partem Miſniæ ſuperioris & Luſatiæ.

Pagus Niterga. Donatur ab Henrico II. Imp. Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi, anno MXX. XIV. Kal. Martii. Vide quæ de pago *Netega* modo diximus.

Pagus Nitgow. Memoratur in Chronico Halberſtadenſi MS. Fuit in eo villa *Brunnesheim*, in qua Henricus IV. Imp. vineas aliquot largitur Burchardo Epiſcopo Halberſtadenſi.

Pagus Nitnsis. Memoratur ab Annalibus Francicis à P. Pithœo evulgatis ad annum DCCCLXXV.

Pagus Nordgoa. Fit ejus mentio in vita S. Ludgeri, primi Monaſterienſis Epiſcopi lib. 2. cap. 1. Alibi vocatur *Nordergoa*. Scholia ad Adamum Bremenſem inculcant pagum *Nordi* aſſignatum à Karolo M. Eccleſiæ Bremenſi, quem puto eundem cum hoc ipſo eſſe. Nomen accepit à *Norda*, civitate Friſiæ Orientalis, hodieque florente. Henricus Wolterus Chron. Bremenſi MS. vocat *Nordendam*.

Pagus Northuringowe. Hic pagus *ordinatione Karoli M. ceſſit Eccleſiæ Halberſtadenſi, conſtructæ in honorem Chriſti, ſuique protomartyris Stephani, ſuper fl. Holtemna*, ut Ludovici Pii habet confirmatio, data anno DCCCXIV. Indict. IIX. IV. Non. Septembris, Aquisgrani. Habet eadem confirmatio Henrici III. Imp. ut teſtatur Chronicon Halberſtadenſe MS. Dithmaro lib. 8. eſt *Northuringou*. Torquatus annal. Magdeb. & Halberſtad. part. 1. lib. 2. cap. 6. iſta habet. *Omnis terra illa, quæ jacet inter Herciniam, Salam, Albim; immo ultra quoque Brandenburgum, usque ad Haveli ripas, & Ducatum Brunſuicenſem, ſeu Alarim amnem, dicebatur pagus Northuringorum*. Cl. Guilelmus Budæus, pagi hujus terminos intra Albim, Bodam & Ohram fluvios, proxime pagum Derlingowe conſtituit. Sigfridus presbyter Chronici Miſnenſis lib. 1. ſcribit, *Thuringiam terram fuiſſe ſpacioſam, quæ à natione Francorum protendebatur usq; ad Oceanum contra ſeptentrionem*. Extant diplomata Ottonis I. & II. Impp. quibus memorantur multi vici Northuringoviæ quos ordine alphabeti, ut loqui ſolemus recitabo: *Adinge* ſeu *Atinge*, *Adduſtondorf*, *Aldenvvaddinga*, *Amenburgon*, *Apendorf*, *Bardrichsdorf*, *Biere*, *Biſchopesdorf*, *Bizunzi*, *Bunesburg*, *Bruniſtedt*, *Buchuvi*, *Bobelſtorf*, *Butturichsdorf*, *Buzoboro*, *Calva* curtis, alibi urbs, *Chotirodizzi*, *Crupſize*, *Cununſteti*, *Crullingi*. *Dreilebe*, *Dudulon*, *Dunenſte*, ſive *Dunnenſteti*, *Dudize*, *Flatunguu*. *Fridumarsleben*, *Froſa* (Dithmaro lib. 4. *Fraſu*) *Glinde*, *Grimi*, *Hurtarareſtorf*, *Haldenslebe*, *Heldun*, *Helmeſtede* (in vita Hildegrimi Epiſcopi Halberſtadenſis) *Hiſtardesdorf*, *Heresleven*, *Immenvvaddinge* vel *Himenwattinge*, *Intesleven*. *Iſtareſtorf*, *Kemundeſtorf*, *Kevoldeſtorf*, *Koboldenſtorf*, *Kurlingovv*, *Limen*, *Liemanneſtorf*, *Ligzize*, *Magadaburg* caſtellum *Makkenſtede*, *Manteslеve*, *Moriſani*, *Moſavv* ſive *Moſan*. *Medubeke*, *Michanantorf*, *Narturi*, *Narteſtorf*, alibi *Narturiteſtorf*, *Nienvvaddingen*, *Oſtervvattinga*, *Oskersleve*, *Othinga*, *Pelenitz*, *Peſekendorf*. *Pitinizi*, *Pridiſci*, *Plochaniſci*, *Pretalizi*, *Radible*, *Rodenburdi*, *Rhuodhardesdorf*, *Rinchardesdorf*, *Stauſchid*, *Suldorf*, *Tachebechi*, *Thiecherisdorf*. *Trumſice*, *Valedorp*, *Velboze*, *Velpuchi*, *Unnesburg*, caſtrum, alibi *Unnereesburg*. *Uupelingen*, *Urlaba*, *Waddinga*, alibi *Wattinga*, & *Weddinga*, *Wabbaresdal*, *Wansleve*, ut Chronicon Gandersheimenſe rithmicum, *Warandesdorf*, *Wanderesdal*, *Watanesdorf*, *Wedenesberg*, *Welbizi*. *Wierichsdorf*, *Windiscumburg*, *Wiedrichsdorf*, *Wilmaresleba*, *Weſtervvattinga*, *Winculdorf*, *Witeresdorf*, *Wodenesvvege*, *Wutiridesdorf*, *Wolpuchi*, *Winzuburo*. *Zolici*, *Zeliel*, *Zizice*. Hildegrinum, fratrem S. Ludgeri, Epiſcopum Halbeſtadenſem, Northuringorum populis circa Helmeſtadium Evangelium prædicaſſe, ex vita Rythmica S. Ludgeri affirmat Chriſtophorus Browerus Notis ad vitam Ludgeri cap. 34.

Pagus Nudcici, ſive Nudzichi. In eo fuit urbs *Sputinesburg*, cujus Burgwardium, ſive munitio ab Ottone I. donatur monaſterio Magdeburgi conſtructo, anno DCCCLXI. IV. Kal. Auguſti.

O.

Pagus Ostracha. Memoratur in vita D. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, hodie

die die Oſtergowe. Incipit à Leowardia, & extendit ſe in Orientem, uſque ad Lanum fl. Pars eſt Friſiæ occidentalis. In pago hoc fuit *Doccum*, ubi S. Bonifacius martyrio affectus. Jo. Trithemius de origine Francorum.

P.

PAGUS PATHERGA. Meminit ejus Auctor vitæ Meinwerci cap. 9. affirmans Comitatus ſuper pagos *Patberga*, Aga, Trevereſcha, Auga, Sorethvelt, datos pro decimis Novæ Corbeiæ ad monaſterium pertinentes. Fuere in hoc pago *Alſlačn & Eltinum*, in Comitatu Amilungi comitis, quæ Meinwercus Epiſcopus Padibornenſis ab Imperatore Conrado obtinuit anno MXXXI. ut idem habet Auctor cap. 106. Nominatur *Paderga*, ut intelligatur pagum nomen accepiſſe à *Padera*, ſaluberrimorum fontium amœnitate incomparabili, de quo prolixe Gobelinus ætate 6. cap. 38.

PAGUS PLISNI. Meminit hujus Dithmarus Merſeburgenſis lib. 3. & ultimo. *Bruno*, inquit, *Comes Pariſienſis locuples, cum nullam haberet maſculam ſobolem (unicus enim ejus filius in venatione perierat) de conſenſu uxoris VVillæ, aliorumq́; haredum ſuorum, fundavit monaſterium virginum Smollenſe, illudq́; adeo ditavit, ut tertiam pagi Pliſnenſis partem cœnobio conferret, filia Gerburge abbatiſſa conſtituta*, anno MCXXVII. Monialibus parum religioſe viventibus, monachi Ciſtertienſes fundatoris conſenſu ibi nidificaverunt, ſed paulo poſt Portam migrarunt anno MCXXXVII. *Pliſnam* invenies etiam apud Adamum Bremenſem lib. 3. cap. 30. & lib. 4. cap. 24. Pagi nomen profluxit ab amne *Pleiſſa*, inter quem & Eliſtrum ſitus fuit. *Aldenburgum* Miſniæ urbem olim *Pliſne* dictam fuiſſe, ſcribit Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 18. & ex eo repetit Crancius Saxoniæ lib. 7. cap. 27.

PAGUS PLUNENSIS. Nominatur ab Helmoldo lib. 1. cap. 58. Eidem ibid. cap. 97. eſt *terra Plunenſis*. Caſtri & urbis Plunenſis, à qua pago nomen, mentionem idem fecerat jam ante, cap. 25.

PAGUS PRETTIN. Paruit olim Archiepiſcopo Magdeburgenſi, etſi ſitus eſſet in diœceſi Miſnenſi. Anno MCLXIII. inter Wigmanum Archiepiſcopum Magdeburgicum: & Gerungum Miſnenſem facta eſt permutatio, ut decimas Prettinenſium agrorum perciperet Magdeburgenſis, & quæ in pago Lubenizi provenirent, cederent eccleſiæ Miſnenſi. Urbs *Prettin* hodieque ſupereſt non procul ab urbe Torga.

R.

PAGUS RETTEGA, alibi RITTEGA. Fuit in eo prædium *Marsfelde*, in Comitatu Udonis Comitis, quod Conradus Salicus Imp. *interventu Giſlæ Imperatricis & dilecti filii regis Henrici, obſervitium ſecundum votum ſibi ſæpe impenſum, Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi donat* anno MXXXIV. III. Idus Maji, Noviomagi. Præterea fuit in eo prædium *Hojeſtede* in Comitatu Bernardi Comitis, quod idem Epiſcopus ab Henrico II. Imp. anno MXIII. acquiſivit, *cum omnibus appendiciis & utilitatibus, quibus id Unvvanus Archiepiſcopus Bremenſis poſſederat eique dederat legaliter.* Idem Henricus II. Imp. *interventu Benedicti Papæ, patris ſui ſpiritualis, Cunigundæ Imperatricis, Erchanbaldi Moguntini archiepiſcopi, aliorumque Epiſcoporum, quandam curtem HAMMENSTEDE, ſitam in pago RITTEGA in comitatu Udonis, Meinwerco Epiſcopo donat* anno MXXI. Auctor vitæ Meinwerci c. 23. 68. & 121.

* Plures Northuringiæ vicos ex Diplomatibus Ottonis recenſet CL. *Sagittarius* in Antiquitat. Regni Thuring. l. 2. c. 2. ex quibus plurimi in noſtra vicinia adhuc ſuperſunt, quamvis nomina nonnihil corrupta. *Flatungen* ſcribitur alias *Flagitungen* & videtur eſſe *Flechtingen*, Nobilium Schenckiorum hodie ſedes, uti conjicit *Sagittarius*, ſicut *Tunninſleti* eſt *Dunſlet*, iisdem Schenckiis hodie parens.

PAGUS RHIUSTRI. In Annalibus Francicis Adelmi monachi collocatur ad Wiſaram, qui & Viſurgis. Scriptor vitæ Ludovici I. Imp. vocabulum corrumpens, vocat *Riutſtri*, ſimulque addit fuiſſe Comitatum Friſiæ, datum ab eodem Imp. Harioldo Daniæ regi, recens baptizato, ut ſi propter Chriſtianiſmum patria ejiceretur, hoſpitium ibi & alimenta haberet. Adamus Bremenſis varians, Horicum, Harioldi ſive Haraldi fratrem *Ruſtriam* ab Imperatore accepiſſe affirmat. Scholiaſtes Adami *Ruſtringe* vocat. Supereſt etiamnum *Ruſtringiæ* nomen, eſtque tertia

Digitized by Google

pars Jeverenſis ditionis, quam *Jada* mediam ſcindens in duas partes dirimit. Qui cis Jadam habitant, vetus Ruſtiorum nomen retinent: ultra Jadani *Butjadæ*, hoc eſt, Transladani & Statlandi appellantur. In Ruſtris fuit villa *Pleccazze*, hodie Blexen/ locus emortualis Willehadi primi Archiepiſcopi Bremenſis lib. 1. cap. 10. Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium à Lindenbrogio edita, corrupte admodum ſcribit *Blokegen*.

Pagus Rien. Meminit ejus Jacobus Mejerus Annal. Flandric. lib. 2, In eo fuit *Bocholt*, quod cum ſuis pertinentiis Otto II. Imp. reſtituit & confirmavit Eccleſiæ Gandenſi ad annum DCCCCLXXIV.

S.

Pagus Scaldis. Memoratur ab eodem Mejero Annal. Flandric. lib. 2. Fuere in eo *Crebca*, & *Papinglandia*.

Pagus Selon. Meminit hujus Dithmarus Merſeburgenſis lib. 1. Fuit vel in Daniâ, aut ditione aliqua vicina. Forte *Seland* inſula, quam Adamus Bremenſis deſcribit lib. 4.

Pagus Selpoli. Fuit finitimus pago Luſizi, intra Albim & Oderam, teſte bulla confirmationis Epiſcopæ Miſnenſis, quam Joannes XIII. Pontifex dedit anno DCCCCLIIX. Paruit Geroni Marchioni, ut eſt apud Dithmarum lib. 2. qui ejus itidem meminit lib. 4. & 6. ſed ut utrobique habeat *Selpuli*.

Pagus Seremode. Otto M. Imp. *ob interventum Ottonis Ducis, nepotis ſui, conceſſit cuidam Livvoni, pincernæ ſuo, villam BIENDORP, in pago SEREMODE, in Comitatu Thietmanni ſitam, in proprium.* Actum Dornburg IV. Non. Novembr. anno Domini DCCCCLXX. Idem Imperator meminit *PAGI SERMUND, quem filio ſuo Luidolfo in proprietatem donarit: Luidolfus vero, Conradi Ducis & Marchionis Geronis interventu, tres marcas ejusdem prædictæ regionis, cum omnibus ſuis appendiciis, ſupra nominato Marchioni ſuo jure perenni in proprietatem manu ſua donarit, ſitus in pago SERMUND, in comitatu Theotmari, civitatis Oſterburgenſis.* Diploma datum eſt V. Kal. Auguſti, an. Dominicæ incarnationis DCCCCLII. Indict. IIX. Nomen huic obvenit à fluvio *Zere*, à viculo hujus nominis, quem præfluit, ita nuncupatus, prius nomen, die Hammen/ amittens, unde pagus hic quibusdam *Zeremunde*. Chronicon Pegavienſe meminit provinciæ Seringorum, quæ an cum hoc pago eadem ſit, pronunciare non audeo. Pagus Sermundius complectitur totum illum tractum, quem vulgo *Marchiam Soltvvedelenſem* ſive *Veterem* appellant. *Zera* fl. alio nomine *Balſamus* dicitur: unde hic pagus etiam *Balſamorum regio* nuncupatur. In literis Gardolſi Epiſcopi Halberſtadenſis ad annum MCXCVI. mentio fit Romari, Archidiaconi Balſamiæ. Pertinuit ad *pagum Balſamicum*, ut notat Chriſtophorus Encelius, in Chron. March. *Stendalia*, *Oſterburgum* & *Arenburgum*. Adi & Helmoldum lib. 1. c. 89. & Chronicon Pegavienſe pag. 1. & 3.

Pagus Silensis. Meminit Dithmarus lib. 7. Eſt regio illa florentiſſima, quam hodie *Sileſiam* indigitamus. Nomen ab *Elyſiis* derivat Curæus in Annal. Sileſiæ. Alii à novis colonis *Slavis*, prolatione nonnihil mutata, ut habes apud Peucerum lib. 4. Chronici Philippici. Cromerus lib. 6. Hiſtoriæ Sarmaticæ, è vocabulo Polonico *Sleſack*, convenas interpretatur. Celtes lib. 2. Amor. eleg. 5. Sileſiæ nomen à *Sleſo* fl. quem in Oderam ſe exonerare affirmat. Parum rectè omnes. Verâ origo nominis Sileſiæ eſt à monte excelſo & grandi, ut loquitur Dithmarus, cui nomen *Silenſi*: quemadmodum iſta accurate exponit idem auctor loco antedicto. Vulgo mons iſte vocatur *Zabothus*, Germanis der Zottenberg/ de quo vide Poëma Franciſci Fabri, cui titulum *Zabothi*, à monte fecit. Vide inſuper Davidis Mileſii deſcriptionem montium Germaniæ.

Pagus Sirimunci. Fuit ultra Salam fl. In eo ſitum erat opidum *Rosburg*, quod Otto M. Imp. anno DCCCCLXV. V. Kal. Apriles, & deinde Otto II. Eccleſiæ Magdeburgenſi donarunt & ratum habuit Otto III. anno DCCCCXCII. V. Kal. Sept. ſub dato, Magdeburg.

Pagus Siusli. Dithmarus Merſeburgenſis lib. 3. at lib. 7. vocat *Sinſili*. Hodie nominant die Pflege umb Geſeltz.

Pagi Slavorum. Adamus Bremenſis *Slavaniam* (ſic enim ſcribit) in duodeviginti

ginti pagos diſpertitam fuiſſe refert lib. 2. cap. 18. quæ ex eo repetit Helmoldus lib. 1. cap. 14. Sunt autem iſti, ut conjicio. Pagus *Brizanorum*, *Circipanorum*, *Doxanorum*, *Herulorum* ſive *Heveldorum*, Dithmaro *Hevelunorum provincia*, *Kizinorum*, *Leuboſiorum*, *Linonum*, ſive *Lingonum*, (Paullus Æmylius putat *Livonos* fuiſſe) *Obotritorum*, ſive *Rinduriorum*, qui alio nomine *Tolentzi* (vide Dithmarum) *Rugianorum*, ſive *Ranorum*, *Stoderanorum*, *Wagirorum*, *Warnavorum*, *VVilinorum*, *VVilzorum*. De quibus vide Adamum Bremenſem lib. 1. Helmoldum lib. 1. cap. 2. Reinerum Reineccium in appendice ad Helmoldum & Petrum Albinum Chronici Miſnenſis pag. 371.

PAGUS STORMARIORUM. Adamus Bremenſis lib. 1. tres facit Transalbinorum populos, *Thietmarsgoos*, *Holtzatos* & *Stormarios* reliquis nobiliores, qui nomen habeant à ſeditionibus, quibus agitentur: die Stormen. Rectius fortaſſe Crancius, loci appellationem deducens à flumine *Stora*, qui Reginoni & Adamo *Sturia*. In hoc pago fuit caſtellum *Hamaburg*, nomen habens non à Jove Hammone, neque ab Hama pugile, vel pernis ſalitis & fumo ſiccatis, ſed à ſilva vicina Hamme dicta, teſte Adamo Thracigero Chronico Hamburg. MS.

PAGUS STURMA. Ita habet Karoli M. diploma fundationis Epiſcopæ Verdenſis, datum an. DCCXXCVI. In diplomate alio ejusdem Imperatoris apud Henricum Wolterum Chronico Bremenſi MS. nominatur *Sturmi*. Literæ fundationis Eccleſiæ Bremenſis, recitatæ ab Adamo Bremenſi, repetuntur ab Alberto Stadenſi, pagumque hunc vocant *Sturmgoë* Otto III. Imp. Brunoni Epiſcopo Verdenſi *conceſſit jus venandi ſublimes feras, hoc eſt, cervos & cervas, in PAGO STURMIO*. Literæ datæ ſunt anno DCCCCLXXXV. Vide Crancium Metrop. lib. 3. cap. 36. Cum Saxones contra fidem datam rebellaſſent, ac Legatos regios, Adalgiſum & Geilonem, contra Slavos cum exercitu ituros, trucidaſſent: Karol⁹ M. cæſorum manibus parentaturus, quater mille & quingentos Saxones in pago Sturmio, ad Alleræ & Viſurgis confluentem capite truncari juſſit. In hoc pago fuit *Ferdium*, ut eſt in diplomate Karolino, *Phardum* ſcribit Henricus Wolterus, ſuper Alleram fl. ubi Karolus M. Epiſcopatum inſtituit. Francici Annales ad annum DCCLXXXII. nominant *Ferdi*: Wernerus Rolevincius *Fardan*: hodie Vehrden.

PAGUS SVAVIA. Habetur in diplomate Ludovici Pii Imp. à Guilhelmo Budæo edito: diciturque incluſus fuiſſe terminis diœceſis Halberſtadenſis.

* Pagus *Swabe* & in eo *villa Kabere & Piculingen* nominatur in Donatione in Henrici IV. facta Gerenrodenſi Abbatiæ ſub Abbatiſſa Haltwige. In diplomate Ottonis M. dato Sigfrido, Geronis filio, ita ſcribitur: *in Comitatu prælibati Patris ejus in pago Svevon nuncupantes*. Vide Annales Gerenrodenſes à me editos.

PAGUS SUDERGOWE. Indicatur ab Auctore vitæ D. Ludgeri lib. 1. cap. 24. *Villa eſt*, inquit, *in Saxonia in pago SUDERGOE, ALVA nuncupatur*.

PAGUS SUSLE. Nominatur ab Helmoldo Buzovienſi lib. 1. cap. 58. 65. & 84. Incolæ in Annal. Francorum pithœanis pag. 74. & 89. vocantur *Suisli*.

PAGUS SUTTHURINGEN. Fit ejus mentio in privilegio Ottonis M. dato Eccleſiæ Gandersheimenſi anno DCCCCXLVI. cum Comitatum teneret Otto Comes. Nominantur in eo *Erich*, *Donſtede* & *Bliterſtorp*. In alio Ottonis II. Imp. diplomate ad annum DCCCCXCIII. in quo *concenobium* inter Adalbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem & Werinharium Abbatem, Fuldenſem, in præſentia patris ſui factum, confirmat, nominatur *Thuringia Auſtralis*, tribuunturque ei *Dungede*, *Donnaba*, *Brobem*, *Oſtruilinge*, *Cruciburg*, *Weſtruilinge*, *Thachebechi*, *Waleslebi*, *Cameri*, *Heilinge*, *Rockeſtadt*, *Saltzung*. Vide Browerum in Antiquit. Fuldens. lib. 3. cap. 12. Georg. Torquatus exiſtimat ad Sutthuringam pertinuiſſe totam regionem quæ hodie Thuringia appellatur.

T.

PAGUS THETMARSGOE. Memoratur in litteris Adelberti Archiepiſcopi Bremenſis ad annum MLXX. Incolæ Adamo Bremenſi *Thiatmarsgoi* dicuntur lib. 2. cap. 8. Helmoldo Buzovienſi lib. 1. cap. 25. *Thetmarchii*, hodie die Ditmarſchen.

PAGUS TRASALBIANI. Inculcantur ab Annalibus Francicis ad annum DCCCIV. Meminit eorum Auctor vitæ Karoli M. à Pithœo editus pag. 266. ubi ſcribitur donatos eſſe *Abodritis*. Meminit etiam Regino ad annum DCCCIIX. ſed nomina omittuntur. *Thetmarſorum*, *Holſatorum* & *Stormariorum* pagos fuiſſe nullus dubito. Tota

iſta regio ab Adamo Bremenſi Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 4. cap. 31. & Helmoldo lib. 1. cap. 6. & 26. *Nordalbingi*; incolæ ab Auctore vitæ Karoli M. *Nortlendi* nominantur.

PAGUS TRIENE. In Comitatu Hermanni Comitis. In eo fuit ſitum monaſterium *Liesbornenſe*, quod Henricus II. Imp. Thiederico Epiſcopo Monaſterienſi donavit. Actum Goslariæ anno MXIX. Auctor vitæ S. Meinwerci cap. 58.

V.

PAGUS VALIM. Nominatur in privilegio à Conrado Salico Imp. Eccleſiæ Mindenſi dato ad annum MXXV.

W.

PAGUS WANGE. Hujus meminit Scholiaſtes Adami Bremenſis. Adrianus Papa vocat *Wangiam*, veteres membranæ *Wangriam*. Hodie Wangerland/pars Dynaſtiæ Jeverenſis in orientali Friſia.

PAGUS WESSEGA. Donatur ab Henrico Claud. Imp. Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi, anno MXIX. Fuit ſitus in Comitatu Fritherici Comitis. Monaſterium monialium *Scheldice*, fundatum anno regni Ottonis M. V. fuit in eodem pago. Auctor vitæ Meinwerci cap. 59.

PAGUS WESTERGOE. Memoratur in hiſtoria S. Bonifacii, Friſiorum Apoſtoli. Pagos *Oſtergoë* & *Weſtergoë* diremit fluvius *Borne*, ut habet Cornelius Kempenſis lib. 2. rerum Friſicar. Opida hujus pagi fuere *Stauria*, *Sneca*, *Bolsvverdia*, *Franekera* &c. Lotharius Saxo Weſtergoviorum Comitatum Eccleſiæ Trajectenſi ademptum, Comitatui Hollandiæ adjecit.

PAGOS WESTVALORUM. Indicatur in vita S. Auctoris Trevirenſis. In *pago Weſtvala* fuit Abbatia *Fredena*, ſita in Comitatu Gerardi Comitis, quam Henricus IV. Imp. Lienaro Epiſcopo Hamburgenſi dono dedit. In *Pago Weſtvala* Saxonico curtis fuit regia *Driburc*. Verum an hi duo pagi unus idemque fuerint, haut dixero. In Weſtvalia, regione vaſta & porrecta puto pagos fuiſſe multos: ex quibus aliquot intra Rhenum & Viſurgim, à Carolo M. vaſtatos, recenſet Auctor Annalium Francicorum, auctore Aſtronomo, ad annum DCCLXXXIV. Vide auctorem vitæ Meinwerci cap. 84.

PAGUS WETTIKA. In Comitatu Widekindi Comitis. In eo fuit prædium *Sannabiki*, quod Imp. Conradus II. Meinwerco Epiſcopo Padibornenſi contulit. In eodem fuerunt aliquot villæ quas recenſet Auctor vitæ D. Meinwerci cap. 107.

PAGUS WIMODI. Nominatur ab Henrico IV. Imp. in literis ad annum MLXII. Indict. 1. In eo fuit *Lieſmuona*, curtis in comitatu Udonis Marchionis: Meminit ejusdem Karolus M. in privilegio Epiſcopæ Bremenſis, ubi ſcribitur *Wigmodia*. Sita fuit in eo *Bremon*, hodie *Brema*, ſuper Wirraham fl. Auctor vitæ Caroli M. *Wimuados* in Franciam abductos inculcat; fortaſſis Wimodiæ incolas.

PAGUS WINNOTI. Mentio ejus fit in diplomate Ottonis M. dato anno DCCCCXXXVII. Id. Octobr. in quo ſcribitur ſitus fuiſſe in Comitatu Wichmanni. In pago hoc fuere *Urlaba*, *Otinga*. *Morlſani*, *Ligzize*, *Heldun*.

PAGUS WOLTZATORUM. Inculcatur in diplomate Philippi Imp. donantis Eccleſiæ Bremenſi Comitatum Stadenſem, anno regni ſui ſecundo. Diploma ipſum eſt apud Hermannum Hamelmannum præfat. in Chronicon Oldenburgenſe. *Walzatiam* inter cæteras provincias tenuiſſe Udonem Marchionem teſtatur Chronicon Raſtedenſe MS. Fuit in hoc pago Burgwardium *Stade*, ut eſt apud Dithmarum lib. 4.

APO-

APOLOGIA
PRO
DIVO IMP. CÆS. OTTONE IV. P. F. AVG. P. PATR.

Contra falſas criminationes & convitia, quibus opt.
Principem onerare & inſectari non ſunt
veriti,

CONRADUS ABBAS URSPERGENſis, Joannes Cuſpinianus, Sebaſtianus Munſterus, quique hos ſequuntur recentiores nonnulli,

inſtituta
ab

HENRICO MEIBOMIO.

Digitized by Google

SERENISSIMO, POTENTISSIMO-QVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO-ULRICO,

Brunſvicenſium ac Lunæburgenſium Duci, &c.

Domino meo Clementiſſimo.

TRiennium eſt, & quod excurrit, Serenisſime & Potentisſime Princeps, Domine clementisſime, cùm Excelſitatis Tuæ juſſu, Reineri Reineccii, Steinhemii, V. CL. commentationem de Saxonum Originibus, quam ante annos aliquot, de clementi voluntate auguſtisſimi Principis, HENRICI IVLII, *Excelſitatis Tuæ Parentis, inſtar Apologiæ Ioannis Bodini Andegavi, Germanomaſtygis, aſſertionibus quibusdam frivolis & ineptis opponendam, elaborarat, in apertam lucem produxi, præmiſsâ præfatione, ab illuſtri ſenatu aulico approbatâ & ſubſcriptâ. In eâ oſtendi priorem ejus ſcripti editionem à nobili præſtantisque ingenii & doctrinæ viro Andreâ Knichio, Iurisconſulto, Polyhiſtore & Politico excellenti, Hanoviæ typis VVechelianis procuratam, non eſſe ultimum abſolutumque concinnatoris ſuper hac materiâ conatum, ſed primum conceptum longeq; falſum eſſe quendam in vicinâ ad Albim Parthenope Iurisconſultum, audacter pronunciare auſum, Reineccium, quem amicum vocat, editæ commentationis non eſſe auctorem, ſed alium fortè ex Vtopiâ usque, impoſtorem, qui poſt mortem optimi viri cartas ſuppoſititias litteratis hominibus pravo exemplo obtruſerit. Quo verò animo capularis ſenex præfationem minimè immodeſtam exceperit, non eſt, Clementisſime Princeps, ut Excelſitati Tuæ exponam. Norunt aulæ, ſciunt academiæ urbesque primariæ, quibus pagellus in me expromptas legendas obtruſit: norunt emporia, in quibus venales expoſitæ ſunt. Benè autem in veſtibulo hujus duelli factum, ut auctor, ſecundum præſagium ſuum, alterum in ſepulcro pedem habens, totus tamen in fermento poſitus, vivis ſemetipſum depingeret coloribus: quoque eſſet ingenio & naturâ, quantumque conviciando valeret, doctis æquè ac indoctis (hujus enim ergò cartas ſuas vernaculo ſermone legi voluit) teſtatum faceret. Mihi cygneam iſtam cantionem pellegenti, nihil præter opinionem evenit, ſatis enim ſuperq; noram, quàm acerbè idem ipſe, contra divinæ majeſtatis vicarios ſtilum aliquando ſtrinxiſſet, nedum ut mihi parcendum putaret. Verùm cum atroces nimiùm occurrerent calumniæ, criminationes*

tiones ſupra modum ſalſæ & falſæ, honori meo, ut debui, & jure potui, conſultum ivi, ſcriptoque apologetico, non edentulo, innocentiam meam tutatus ſum calumniaſque abſterſi. Id ſcriptum non unius, ſed plurium cenſuræ ac examini ſubjectum, dignum judicabatur, quod publicè legeretur. Non enim meam ſolius cauſſam egeram, ſed adverſarii imaginationes & inſomnia, ad veritatis hiſtoricæ (cujus notitiam veteranus in hac palæſtrâ miles cur mihi non vendicem?) normam & amuſſim probè examinata, foras eliminaram. Quis verò omnium exemplari meo, prælo jam apparato, propriâ auctoritate, vel domi ſuæ compedito detentoq; vel prorſus abolito, editionem impedierit, amore ne mei, an odio id fecerit, equidem ſcire non poſſum, cum hodieq; rei invidioſæ culpam ſuſtinere nemo velit, vel fortaſſis audeat: neque ego nunc rem amplius urgeo, adverſario ad communem judicem profecto: cum larvis verò pugnare mihi non eſt animus. Manebit tamen Clementiſſime Princeps, hyperaſpiſtes meus in Excelſitatis Tuæ tablino, ſive cartophylacio: manebit in illuſtri academiæ hujus bibliothecâ legendus, intelligendus, judicandus. Hoc tempore, Princeps Clementiſſime, Excelſitati Tuæ novam offero Apologiam, longè majoris ſublimiorisq; argumenti, quà cauſſam ipſam, quà adverſarios, quibus cum colluctandum mihi fuit. Sed ut illius bonitas animum mihi dedit, ſic abſterrere hi non potuere, quin in arenam quaſi provolarem. Tua Domine Clementiſſime, Excelſitas, ejusq; conſiliarii ſapientiſſimi, judicent, pro quâ parte militet veritas; injuriamne intulerint optimo Imperatori Ottoni, Excelſitatis Tuæ agnato, ſcriptores quos notavi, tam veteres, quàm recentes; an verò temerè egerim ego, qui nunc demum poſt quatuor ſecula, iniquè vapulantis patrocinium ſuſceperim, proq; virili tutatus ſim. Ad me quod attinet, etſi paupertini mei ingenii conſcius, etiam injuſſus quod debui egi, neque temperare mihi potui, præſertim cum ἀυθένται καὶ ἀξιόπιστοι *ſcriptores ad manus eſſent, quin illuſtriſſimæ domui Guelficæ, cui hac in academiâ annos jam ultra quadraginta publicè docendo, privatim commentando, fideliter inſervio, pro beneficiis in me meosq; collatis, hoc quale quale* ἀντιτρεπτήριον, μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύων, *grato animo reponerem. Volenti amplius mecum ſuper hac re contendere (quod erit manifeſtam veritatem inficiari, nugisq; patrocinari)* ἄνευ φιλονεικίας *me ſiſtam, neque cauſſam deſeram,* ἰσχυρὸν γὰρ τὸ ἀληθές. *Tuam quod reſtat, Princeps Clementiſſime, Excelſitatem, cum fratre unico, adeoque totâ Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Ducum fundatiſſimâ ac præpotente familiâ, Dei optimi maximi, Regis Regum & Domini Dominantium, tuitioni ſupplex commendo. Helmæſtadii, pridie Kalendas Ianuarias, anno* Χριστογονίας 1624. *ineunte.*

Illuſtriſſimæ Excelſitatis V.

miniſter & profeſſor in acad. Juliâ

HENRICUS MEIBOMIUS,
Lemgovienſis.

APO-

APOLOGIA PRO OTTONE IMPERATORE.

Abbas Urſpergenſis, cui Caſpar Bruſchius & nomen & natales reſtituit, ipſo Melanthone teſte, de hiſtoriâ Germanicâ optimè meritus eſt, quippe qui de Imperatoribus noſtris multa ſtudioſè collegit, præterea notationem temporis, alterum hiſtoriæ oculum, reliquis diligentius adhibuit. Eadem ſcribit Chytræus, neque diſſentiunt alii, ut planè invidioſum ſit, ab hac magnorum virorum cenſurâ judicioque diſcedere, ac Urſpergenſem reum agere. Eſt tamen quod jure meritoq; reprehendam, cum pro me faciat *veritas*, *hiſtoriæ anima & ſacrarium*, G. Pachym. hiſtor. lib. 1. fideque digniores hiſtorici aliter rem geſtam expoſuerint. Scribit Conradus à Lichtenaw (nam hoc Urſpergenſi nomen, hæc familia) Ottonem quartum Saxonem, qui Henrico VI. Cæſare vitâ functo, à nonnullis Imperii Principibus Reipub. gubernandæ præpoſitus eſt, *fuiſſe hominem ſtultum & ſuperbum*, *ſimulaſſe zelum juſtitiæ*, *interim omnia egiſſe ſuperbè*, *demumque propter ſuperbiam regno excidiſſe*. Quæ ſi vera eſſent, vehementer opinione ſuâ falſi fuiſſent principes electores: veniſſet ipſe ad Imperium indignus, iis nimirum contaminatus vitiis, quæ nulli regno, nedum ei quod reliquorum caput, conveniunt. Etſi enim reges majeſtas decet & apud ſuos auctoritas: illa tamen ab inſolentiâ, faſtu & tumore debet eſſe aliena, neque omnino pueri, ne dum fatui regnum capeſſere debent.

Urſpergenſem monachum, tanquam ex tripode oracula pronunciantem, Joannes Cuſpinianus Francus, qui avorum noſtrorum memoriâ Impp. Romanor. res geſtas ex profeſſo deſcribendas ſumſit, confidenter ſecutus eſt, ita quidem, ut de optimo innocentiſſimoque principe multò, quam alter, loquatur inverecundius inciviliusque. Etenim *temerarium* vocat & *imprudentem ſuperbumq́*, *qui præ ſe omnes contemſerit*: *ſimularit quidem erga religioſos favorem*, *ſed reverâ ſuperbè dominatus ſit*, *eamque ob cauſſam regno exciderit & improlis è vitâ emigrarit*. Hæc ſua convicia auget coronide cujusdam malè tornati epigrammatis, quod tale eſt.

Expulit è regno funeſta ſuperbia Othonem,
Qui proceres claros ſpreverat atque pios.
Pontificique datam ſervare fidem furibundus
Reſpuit, emeritam pertulit ergo fugam.

Tali acroamate medicus & orator Cæſareus Germanici ſanguinis Imperatorem laudatiſſimum, neſcio quibus actus intemperiis exornare non erubuit, ſecutus, ut dixi, Urſpergenſem monachum, caſcus caſcam, & ita ſecutus, ut in criminando de ſuo etiam liberalem ſe præſtiterit. Ab hac cenſoriâ virgulâ ne latum quidem unguem diſcedit Sebaſtianus Munſterus, cujus verba Coſmographiæ Latinæ lib. 3. cap. 19. hæc ſunt: *Otto temerarius*, *audax & ſuperbus princeps & qui omnes præ ſe contemneret*: *atque id circo parvo tempore in imperio duravit*. Ac potuiſſent iſta fortaſſis, vel temporum injuriæ, vel ſcriptorum imperitiæ adſcribi, ideoque diſſimulari, niſi noſtrâ ætate vir excellentis ingenii & doctrinæ, magnique nominis & in imperio Germanico præpotentis Septemviri medicus, ac in illuſtri academiâ profeſſor primarius; plus nimio relationibus, tam Urſpergenſis, quàm Cuſpiniani inhærens, innocentem Imperatorem Ottonem paribus verberaſſet conviciis. Scribit enim ſatis inconſideratè, *audacem fuiſſe & temerarium*: *inſolentis ac prætumidi ingenii*: *inepto faſtu ex alto ceteros deſpexiſſe principes*: *infelici exitu pœnas perſolviſſe de affectato per ambitionem & injuſtis armis quæſito Imperio extra vocationem & ordinem, Pontificum impulſu*: *fuiſſe non diſſimilem avi patriſq́ ingenio & fortunâ*, *illo elatum & inſolentem hac infelicem*. Hæc ille in optimos principes iniquè mordax & injurioſus. Omnibus hiſce recentior nuperusq; ſcriptor Horatius Turſellinus, Lojolitanæ familiæ monachus, uno atque altero verbo calumnias ſuas abſolvens. lib. 8. Epitomes Hiſtor. Ottonem *Imperatorum* vocat *deterrimum breviſſimumque*.

Atqui iſta omnia ex inconſideratis Urſpergenſis narrationibus, tanquam ex limoſo turbidoque fonte promanarunt, errorque in principio parvus in fine factus eſt

valde

valde magnus, quod uſu venire poſt Ariſtotelem prudentiæ oculum ex lib. 1. de cœlo, affirmat Thomas Aquinas ipſaque conteſtatur experientia. Quo exemplo docemur, ſæpenumero optimos & reipublicæ ſalutares bonoque publico natos principes, vel unius nefarii parumve intelligentis hominis turpi malevolentia, vel non ſatis providâ cautâque rerum geſtarum expoſitione, deformatos, cum qui vindicias præſtant non reperiantur, ab uno in aliud ſeculum ignominioſe traduci & innocenter vapulare: cum digni eſſent, qui pro amore erga patriam non obſcuro, pro rebus fortiter feliciterque geſtis, longè aliam mercedem reportarent. Henrico VII. Imperatori generoſitate naturæ, ingenii præſtantia, excelſi animi magnitudine, moderatione in omni vitâ, aliiſque virtutibus maximè conſpicuo, Blondus nunc Decad. 2. lib. 9. *avaritiam, nunc imprudentiam*, nunc *fatuitatem* objicit, ſed invenit, qui innocentiæ patrocinati calumniantis os maledicum obſtruerent. Qui Ottoni id præſtaret inventus eſt nemo. Sed agedum conſideremus ejus ad imperium evocationem, ſubſecutam in eo confirmationem, adminiſtratæ reipublicæ modum & felicitatem, denique ab illâ iniquiſſimam remotionem, atq; hæc conſideremus non perfunctoriè, ſed qua in re tanta opus accuratione, fietque manifeſtum, peccaritne tam enormiter Otto Cæſar, ut merito ſuo adeo male apud poſteritatem audiat, vel num innocenti injuria olim facta fuerit, atque etiamnum ſtat hodie. Quod ut commodius præſtemus, ab ovo, ſecundum adagium, repetenda res erit, quæ in hunc ſe habet modum.

Henricus VI. Imperator, Barboriſſæ filius, non tam Reipublicæ, quod callide ſimulabat, quàm familiæ, in qua jam tertius Auguſti dignitate potiebatur, ſuæque poſteritati conſultum cupiens, hoc agebat unicè, ut Romanum imperium à prima ejus ad Germanos translatione, à libera principum electione dependens, deinceps eſſet hereditarium. Verum placet hac de re audire differentem Joannem monachum, citante collectore magni Chronici Belgici. *Is*, inquit, *Imperator Henricus videns regnum Almaniæ & Imperium Romanum propter frequentes mutationes Imperatorum multa mala perpeſſum, priusquam vota principum in perſona Imperatoris poſſent convenire, ordinavit, ut amplius electio non fieret, ſed per ſolam ſanguinis ſucceſſionem Imperium conferretur, ita ut qui propinquior Imperatori eſſet, hereditarie Imperator fieret. Vt autem Henricus à filio ſuo Friderico, quem de Conſtantia uxore ſua habuit, ſumeret exordium, regnum Siciliæ & Calabriæ & Ducatum Apuliæ & principatum Capuæ, quæ filius ejus ab avis heres acceperat, Romauo Imperio univit, ut perpetuo terrarum iſtarum unus dominus eſſet. Ordinavit etiam, ut mulieres maſculis deficientibus ſuccederent in hereditatem, & ne Imperator mortuas manus eccleſiaſticarum perſonarum ultra expoſtularet. Conſtitutioni igitur huic profuturæ conſentit curia Romana & principes LII. qui Imperatorem eligere conſueverant, quorum ſigilla litteris ſuper hoc confectis ſunt appenſa.* Hactenus Joannes monachus. Ex cujus verbis manifeſtum fit, quibus artibus in ſuam ſententiam Cæſar Imperii principes pertraxerit. Primò enim promittit amplificationem Imperii acceſſione aliquot ampliſſimarum regionum: ſed quæ alias eſſent Reipublicæ, per fraudem & vim ab ea alienatæ. Deinde de principibus tam eccleſiaſticis quam politicis, præclare ſe meriturum oſtendit. Ut enim horum bona feudalia ſancivit eſſe allodia, hoc eſt, ab omni clientela libera & ſoluta: ita illorum exſpirantium exuvias ſive poſſeſſiones mobiles & ſe moventes, non ut hactenus fieri conſueverat, fiſco Cæſareo, ſed eccleſiis viduatis & vacantibus cedere voluit. Privilegium illud non ſemel Imperatoribus extorquere conati fuerant Epiſcopi, ad eum tamen uſque diem fruſtra. Addunt alii, Cæſarem largitionibus negocium ſuum confeciſſe, erogata in principes pecunia Anglica, immenſa illa peneque incredibili, quâ Richardum regem ex Palæſtina revertentem, & in Auſtria captum: ſumma cum nominis ſui infamia emunxerat. Divulgato per Germaniam rumore de nova Cæſaris ambitioſi ſanctione, cum antiquis moribus pugnante, Saxonici principes libertatis conſervandæ ſtudioſi, unanimiter interceſſerunt. Cauſſam in publicis Comitiis popularium nomine peroravit Bernhardus Saxoniæ Dux, parum penſi habens, quod à Cæſaris parente, Henrici Leonis nuper exauctorati, dignitate exornatus fuiſſet. Meminit Gobelinus Perſona ſtrictim his verbis: *Hic Henricus concordavit cum principibus regni, quod liberi ſui poſt eum hereditario jure regnum obtinerent, ſed contradictum eſt à principibus Saxoniæ. Quare ipſe Imperator principes illos à promiſſo abſolvit, & juramenta ea occaſione præſtita relaxa-*

vit. Chronicon Halberſtadenſe MSC. rem paulo aliter exponit his verbis: *Conradus Moguntinus archiepiſcopus cum principibus Saxoniæ conſpiraverat adverſus Imperatorem Henricum Sextum, quia idem petierat ab eisdem, ut ſucceſſio Imperii ad heredes ſuos tranſiret. Erat tum Epiſcopus Halverſtadenſis electus Gardolfus, cujus ordinatio hanc ob cauſſam eſt aliquandiu dilata: ſed idem Gardolfus nuncium, qui conſpirationis litteras inter principes tulit, cum eisdem litteris captivavit. Quibus Imperatori oſtenſis, ipſe, ſicut vir ſapiens & diſcretus, petitionem principibus porrectam relaxavit.* Hucusque Chronicon. Defuncto Imperatore Henrico VI. quod factum anno Chriſti 1197. ſub finem Octobris, principes regni Germanici, penes quos eligendi poteſtas, diſcordare cœperunt & diſſidere, eo eventu, ut pro uno duos Reipublicæ dederint Auguſtos, Philippum Suevum defuncti Cæſaris fratrem, & Ottonem Saxonem Henrici Leonis filium. Inter horum parentes quæ inimicitiæ interceſſerint, non eſt ut repetam: nota ex hiſtoricis omnia: exitus fuit triſtiſſimus, Henrico Leone plane in ordinem redàcto. Qui Ottoni faſces regni deferebant, initio pauci erant, plerique Belgæ & Occidentales Saxones, anteſignanus Adolfus Ubiorum archiantiſtes, ex familia Comitum Altenaënſium, quæ poſt acceſſione aliquot provinciarum locupletata, Duces Juliacenſes & Clivenſes, noſtra memoria longe clariſſimos, enixa eſt. Conradus Moguntinenſis archiepiſcopus, cujus in ipſo electionis actu primæ partes fuiſſent, peregre hoc tempore erat religioſam militiam in Palæſtinam ſecutus, qui ſi domi fuiſſet, pro ſua, qua pollebat, prudentia rerumque uſu & auctoritate, in commune conſuluiſſet, bellique civilis cauſſas præcidiſſet: ſed fata urgebant Germaniam. Philippo major adhærebat pars Principum, quod largitionibus confeciſſe eum ſcriptores coætanei litteris mandare non dubitarunt. Singulorum verba ad fidem rei faciendam integre ſubjungam. Arnoldus Lubecenſis Helmoldi continuator lib. 7. cap. 5. *Philippus muneribus datis omnes ſibi adſtrinxerat.* Otto de S. Blaſio appendice ad Chronicon Ottonis Friſingenſis cap. 46. *Philippus regalia, tradente ſibi Imperatore fratre ſuo, tenens, omnesque theſauros ipſius poſſeſſionesque prædiorum aliorumque fratrum ſuorum, ditiſſimorum, videlicet, principum, ipſorum heres, ſolus obtinens, principes Ottoni adhærentes, quoſdam minis, quoſdam promiſſis, & donis, in ſuam partem transduxit.* Gotfridus monachus à CL. Frehero invulgatus: *Conſtat tamen, quod ipſe* (Philippus) *nuncios ad archiepiſcopum Colonienſem cum precibus transmiſit, multa offerens, ſed plura promittens, ſi ad ſuam electionem animum vellet inclinare.* Et paullo poſt: *Prædictus itaque Dux cauſſam ſuam agens, & ut neceſſitas eum compulit, ab omnibus auxilium petens, omnes pene principes muneribus ſibi conciliat.* Plures rei probandæ teſtes advocare non puto operæ precium: ex allatis liquet, quibus artibus Philippus Imperium acquirere, acquiſitum ſibi confirmare allaboraverit: non fruſtra, quippe, qui ideo maximam principum partem ſecum haberet. De Ottone nihil horum commemoratur, fuitque omnis ambitionis ac prenſationis expers ejus electio. Agebat peregre in Galliis, ubi ditionem Pictavienſem, ab avunculo Richardo Angliæ Rege donatione libera acceptam, titulo Comitis poſſidebat. Procul igitur abſens prehenſare electores non potuit, multo minus auro corrumpere: neque forte in Germania erant, qui ejus partibus magnopere ſtuderent fratrem Germanum Henricum Saxoniæ Ducem, Rhenique Palatinum electioni interfuiſſe affirmant Arnoldus Lubecenſis lib. 6. cap. 1. conſentit Otto de S. Blaſio cap. 47. controverſum faciunt Godefridus monachus pag. 265. & Trithemius Chron. Hirſaugienſi ad annum 1199. Quibus ſuffragatur Rogerius Hovedenus Anglus annalium parte poſteriore. Nequaquam vero audiendus Hieronymus Henningeſius præfatione in alteram partem Genealog. ſecundi & tertii regni in quarta monarchia, aut Elias Reusnerus in Genealogico, ubi ſcribunt: *Ottonem 4. ad Imperium evectum à Pontifice Romano per fratrem Henricum Palatinum Rheni.* Electione peracta, amandati ſunt in Galliam cum honorifico comitatu legati ſplendidi, Emicho Leiningenſis & Albertus Dagsburgenſis, ambo Comites, apud ſuos magnæ dignationis. Quibus auditis, lautiisque more regibus principibusque uſitato, magnifice muneratis, Otto electioni conſentiens, aleam jecit, multisque ex Gallica Anglicaque nobilitate ſtipatus, in Germaniam properavit. In itinere ſalutavit regem Franciæ Philippum, ejus nominis ſecundum, quem parum civilem, imo invidum potius invenit. Rem geſtam exponit Arnoldus Lubecenſis, lib. 7. cap. 17. & ex eo repetit, ſed paullo aliter, Crancius

Saxon.

Saxon. lib. 7. cap. 29. Arnoldi verba placet apponere. *Cum Otto à principibus de Pictavio ad regalem electionem vocaretur, & conductu regis Franciam tranſiret, ipſe eum tranſeuntem vidit & ſalutavit & inter collationes, quibus ſe mutuo ſalutabant, rex Franciæ in hæc verba prorupit: Intelleximus, ait, quod ad Imperium Romanum vocemini. Ad hoc ille, Verum eſt, ait, quod audiſtis: ſed in Deo ſit iter meum. Cui rex, Non credetis, quod tanta vobis proveniat dignitas. Quod ſi vel ſola Saxonia in perſonam veſtram conſenſerit, detis mihi nunc dextrarium, quem peto, & cum creatus fueritis, dabo vobis tres civitates meliores regni mei, Pariſium, Stampes, Aurelianum. Habebat ſane rex Otto munera multa regis Angliæ avunculi ſui Richardi & centum quinquaginta millia marcarum, quæ in ſomariis ferebant quinquaginta dextrarii, inter quos erat unus nominatior, quem rex petebat. Dominus ergo Otto, dato dextrario, ibat via, qua cœperat. Nunc ergo non ſit injuria, Dominum Imperatorem repetere ſua.* Crancii verba auctorem, quem exſcribit, non parum ut aſſolet, interpolantis piget adſcribere. Coronam Imperii more inſtitutoque majorum Aquiſgrani accepturus Otto urbem invenit clauſam. Inerat cum valido præſidio Walramus Henrici Ducis Limburgii filius, paulo ante à Philippo Cæſare donatione caſtri regii Berinſtein corruptus, poſtmodum omnis mali communem patriam peſſum dantis μηχανοῤῥάφος. Expugnatum eſt Aquiſgranum labore magno, ſumtu incredibili. Arnoldus Lubecenſis lib. 6. cap. 1. impenſa dicit *ſeptuaginta marcarum millia*, quæ noſtræ monetæ faciunt aureos quingenties & ſexagies millenos. Tanto conſtitit Ottoni diadema Imderii primum, impoſitum ei ipſa die Pentecoſtes

* Ipſa die Pentecoſtes coronatum eſſe Ottonem non videtur cum iis convenire, quæ in tabulis fœderis inter Eccleſiam Colonienſem, ejusque Archiepiſcopum Adolphum ac Abbatiam Corbejenſem ac Windekindum illius Præſulem leguntur. Ibi enim IV. Nonarum Julii dies notatur. Ultima tabularum, uti edidit *Gelenius Hiſtoriæ Engelbertin.* l. 1. p. 22. ſubjungam, ut ſimul pateat, quinam ex proceribus Germaniæ Coronationi Ottonis interfuerint, ſine dubio ab ejus partibus ſtantes: *Hujus ergo facti ſeriem præſenti inſtrumento commendatam ſigilli noſtri & Eccleſiæ B Petri impreſſione firmamus. & teſtium ſubſcriptione roboramus. Teſtes ſunt hi: Theodoricus Trajectenſis Epiſcopus, Thidmarus Mindenſis Epiſcopus, Heribertus Abbas de Werden, Ludovicus major præpoſitus, Udo major Decanus, Bruno Bonnenſis præpoſitus, Theodoricus Præpoſitus S. Gerionis, Gerardus Santenſis præpoſitus, Theodoricus præpoſitus SS. Apoſtolorum, Engelbertus præpoſitus S. Georgii, Hermannus Choriepiſcopus, Rudolphus major Scholaſticus, Henricus Dux de Limburg, Henricus Comes de Saina, Simon Comes de Teckelenborg, Arnoldus Comes de Althena, Albertus Comes de Eduarſtein, Adolphus Comes de Monte, Henricus Comes de Keſſele, Henricus Comes de Huckerſvvagle, Hermannus de Waldeck, Henricus de Svvalinberg. Henricus & Gerhardus fratres de Wolemadtſtein, Hermannus Colonienſis advocatus, Hermannus Schultetus de Suſato, & Hermannus filius ejus Otto Camerarius, Henricus Dapifer, Henricus Marſchalcus, Adam Pincerna, & alii complures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo nonageſimo octavo indictione prima. Datum apud Aquisgranum quarto nonas Julii, per manum Godefridi Capellani, in die ſcilicet coronationis Domini Ottonis Quarti Regis Romanorum feliciter. Amen.* Non poſſum non etiam hic addere locum *Joh. Iſaaci Pontani*, quoniam, qui faverint Ottoni, & ejus coronationem promoverint, recenſet, ex ejus Hiſtor. Geldric. l. VI. pag. 119. *Ottoni præter cæteros favebat Romanus Pontifex, charumque habebat ob militare ingenium quod Italicis bellis ſæpe numero oſtentarat, Philippo infeſtus. Et habeo Autores, ab ejusdem quoq. partibus ſtetiſſe Ottonem Gelrum una cum Henrico Brabarto, Arnoldo Clivenſi, Gulielmo Juliacenſi, Frederico Altenavienſi: eosque obſeſſa expugnataque cum Ottone Imp. Aquiſgranenſium civitate id porro egiſſe, ut iai ab Adolpho Colonienſium præſule Ottoni corona Imperialis imponeretur, cum annus iret à Chriſto nato nonageſimus nonus.*

à duobus archiepiſcopis Colonienſi Adolfo & Joanne Trévirenſi. Regalia quæ vocant, ſive inſignia novo Cæſari tradi ſolita, hoc tempore erant penes Philippum, à fratre defuncto accepta, quæ Otto non magnopere deſiderans *gloriabatur, ſe etiamſi non Regalia, jura tamen & loca regalia tenere*, ut Otto de S. Blaſio, cap. 46. Hoc igitur mo-

filius & ſucceſſor Henricus Sextus, Leonem jam ſenem, laboribus & ærumnis exhauſtum, ejusque primogenitum Henricum, Rheni Palatinum, non minus adflixiſſet: illum reſtitutionem in integrum toties ſimulate promiſſa extreme fraudans, hujus matrimonium legitime contractum, iniquis regiaque perſona indignis modis inſectans & tantum non irritum reddens. Hæc ab annis bene multis in iſtum uſque diem adverſus proximum ſanguinem, puta avum, parentem & fratrem, pertinacis odii profanæque malevolentiæ edita continuataque exempla, non poterant non Ottonis animum percellere ſolicitumque reddere, hortari etiam, ſuæ ſuorumque ſecuritati conſuleret: quod fieri commodiſſime feliciterque poſſet, ſi oblatos Imperii faſces ſine cunctatione acceptaret. Absque dubio etiam ſtimulos adjecit perquam inſolens regis Galliæ, ut Arnoldus Lubecenſis loco ſupra memorato loquitur, *ſubſannatio & inſultatio*, Ottoni hoſpiti ſuo accipiendæ coronæ cauſſa Aquiſgranum tendenti, ſatis ſuperbe confidenterque inani augurio rei cœptæ felicem eventum denegantis. Quomodocunque iſta ſe habuerint omnia, Otto coronam Imperii, ut diximus, in loco, quo debuit, indeptus eſt. Electores principes, ut oſtenderent, qua fide & integritate in negocio totius orbis Chriſtiani ſalutem concernente, verſati eſſent: quomodo nihil contra leges patrias moremque receptum egiſſent, ad Pontificem Romanum Innocentium (cujus anteceſſores ab Henrici IV. Imperatoris funeſtis turbulentisque temporibus, præpoſtera & exitiali inteventus docuit πολυπραγμοσύνη negociis politicis ad ipſorum officium, ſolius eccleſiaſtici regiminis vitæque privatæ cancellis circumſcriptum, minime pertinentibus, violenter ſeſe immiſcuerant) litteris rei geſtæ ſeriem novique Regis commendationem continentes, Romam miſerunt. Conſervavit eas Baronius Cardinalis, ex quo integras ſubjiciemus. *Sanctiſſimo patri ac domino Innocentio, ſacroſanctæ Romanæ ſedis ſummo Pontifici, Principes & Barones Alemanniæ, clerici & laici debitam in Chriſto reverentiam & ſinceritatem obſequii. Cum placuiſſet ei, qui aufert Spiritum principum, & magnus & terribilis eſt ſuper Reges terræ, dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, neceſſarium nobis fuit viſum, de ſubſtituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo ſæpius & miſerias & oppreſſiones, quas hactenus ſuſtinueramus, recenſentes, per univerſos Regni **** animos noſtros ereximus & quid honori Eccleſiæ Dei & paci ac quieti ſubjectorum expediret, deliberantes, nunc unum, nunc alium, quaſi finaliter eligere putabamus. Verum quia non eſt prudentia, non eſt potentia, non eſt conſilium, niſi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniorem de poſt fœtantes accepit, atque Matthiam ex diſcipulorum numero ad ſortem Apoſtolatus elegit, ſereniſſimum Dominum Othonem, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad regimen Romani Imperii de terra peregrinationis ſuæ ex inopinato offerre nobis. Invocata itaque Sancti Spiritus gratia, prædictum Dominum Othonem, Chriſtianæ fidei cultorem devotiſſimum, atque ſanctæ Romanæ eccleſiæ Advocatum & defenſorem fideliſſimum, & Judiciariæ poteſtatis obſervatorem juſtiſſimum, de longa & antiqua Regum proſapia ex utraque linea ſpecialiter editum, ad Romani regni faſtigium juſte & rationabiliter elegimus, & ſicuti debuimus, ipſius electioni conſenſimus, ipſumque in Auguſtorum ſede à Carolo M. apud Aquiſgranum huic dignitati deputata, locavimus, & corona & diademate per manum Adolfi Colonienſis archiepiſcopi, ea, qua debuit, ſolemnitate, feliciter coronavimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum in Regem elegimus, feuda noſtra, quæ ab imperio tenemus, à manu ipſius recipientes, hominium ſibi fecimus & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentiſſimus Princeps, divinæ potius gratiæ, quam ſuis meritis adſcribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propria voluntate juramento firmavit, inprimis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, deinde omnia eccleſiarum jura bona fide ſervare & manu tenere & ſubjectos Imperii exhæredatos maxime & à ſuis poſſeſſionibus violenter ejectos, in ſua juſtitia propoſſe juvare & conſervare. Pravam illam conſuetudinem inſuper, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebus mobilibus vel ſe moventibus decedentium Epiſcoporum, vel Abbatum Principum, hucuſque ſervaverunt, penitus exſtirpans, nos eccleſiaſticos Principes ex hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimiſit & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſervanda liberaliter ſtatuit. Paternitati ergo veſtræ dignum ſupplicare duximus, quatenus fidem & devotionem Domini noſtri Regis attendentes, merita quoque illuſtriſſimi patris ſui Henrici Ducis Saxoniæ, qui ab obſequio ſanctæ Romanæ eccleſiæ nunquam receſſit, memoriter tenentes, paci & quieti noſtræ & veſtræ, intuitu Dei & noſtri obſequii, providentes, ipſius electionem & conſecrationem auctoritate veſtra confirmare & Imperiali coronatione armare paterna pietate dignemini. Sanctitatem inſuper veſtram obnixe rogamus*

quate-

quatenus Principes & Barones, à tam rationabili electione diſcordes, eccleſiaſtica cenſura ad concordiam revocetis, & ab illicita fidelitate partis adverſa clavo S. Petri reſolutos, ad præſtandum Regi Domino noſtra fidelitatem & ſubjectionem auctoritate veſtra compelletis. Vt autem à Domino Rege noſtro jura Romana eccleſia, (ut prædictum eſt) integra & illibata ſerventur, nos in bona fide ſpondemus & pro Domino rege noſtro fide jubemus.

✝ *Ego Adolfus Coloniens. archiep. elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Bernardus Paderborn. Epiſcopus elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Thiedmarus Mindens. Epiſc. elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Witichindus Corbejus abbas elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Conradus Tudenſis abbas elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Eribertus Werdenſis abbas elegi & ſubſcr.*
✝ *Ego Henricus Dux Lothoringia qui & Brabantia, marchio Romani Imperii elegi & ſubſcripſi.*
✝ *Ego Henricus Comes de Kuke elegi & ſubſcripſi.*

Hactenus primi Ottonis electores plena manu eum laudantes: cum quibus poſtmodum ſe conjunxerunt Cameracenſis, Argentinenſis & Vltrajectinus Epiſcopi. Ex principibus Politicis Henricus Dux Limburgius, ejusque filius Walramus, comes Hannouiæ Baldumus comes Flandriæ. Denique ſuo acceſſit ſuffragio Godefridi Ducis Brabantiæ, hoc tempore religionis ergo in Palæſtinam profecti, domi relicta conjux Iſabella, heroici animi mulier. Cuſus eſt iſto tempore Coloniæ numus argenteus hujus formæ.

Inſcriptio.	In alio latere.
OTTO REX.	COLONIA.
In medio crux quadrata.	ADOLFUS EPS.

Innocentius Pontifex acceptis Principum litteris, quas dixi, Ottonem regem rite creatum pronunciat, ſubque finem anni 1202. præcipitante Junio Guidonem, Epiſcopum Præneſtinum Coloniam amandat ut Ottone Rege declarato, Philippum cum fautoribus ſuis communione piorum abigeret, omnibusque ut ſe ab eo tanquam pſeudo-imperatore, vitio facto, ſejungerent: Ottoni verò tanquam regi legitimo aggregarent, ſeverè imperaret. Fuit hoc veluti claſſicum belli civilis in Germaniâ, quod utrinque magnâ animorum contentione varioque eventu & fortunâ geſtum, non niſi morte Philippi finiri potuit. Quales hi cognati principes ad funeſtum certamen acceſſerint, indicat ſtrictim Arnoldus Lubecenſis lib. 6. cap. 2. *Otto potens erat viribus, audax animo, rugiens ut catulus leonis ſuſcitatus ad prædam, ad bella paratus, aut vincere aut vinci, affectabat. Philippus verò, cui plus roboris erat, aſtutiâ magis, quàm congreſſionibus vincere ſtudebat*, &c. Credi verò vix poteſt, quàm varios, inconſtantes & lubricos animos in nonnullis ſuæ partis principibus Otto deprehenderit, non veritis contra datam fidem, contra juramenta religioſè præſtita, ſpe alicujus vel novi honoris, vel opum affulgente, deſultoriâ levitate, parti, cui adhæſerant, immutari, & ad aliam non ſine turpi infamiæ notâ tranſire. Non dicam de Ottocaro Rege Boëmo, non de Hermanno Thuringiæ Landgravio, non de Epiſcopis, Comitibus & Nobilibus, ſive Baronibus Lotharingiæ, quos Godefridus monachus Colonienſis his depingit verbis: *Plures ex eis in exiguo ponentes mendacium aut perjurium, contra conſcientiam venire non timebant, ore quidem ſacramenta præſtantes & fidem jurantes Regi Ottoni, cùm cor eorum longè ab eo remotum cum Philippo magis rectum videretur, quàm ſecum.* Unicum inſignitæ improbitatis & profligatæ perfidiæ exemplum producam in Adolfo Colonienſi præſule, nuper Ottonianæ electionis auſpice & directore. Is juramenti fidelitatis, quo ſe novo Regi, ut ad Pontificem ipſe perſcribit, obſtrinxerat, oblitus: parvi etiam faciens, quòd ampliſſimos Angariæ & Weſtvaliæ Ducatus, non abſque alterius injuriâ acquiſitos, diœceſi ſuæ confirmari impetraſſet, ſolius Comitis Juliacēſis Wilhelmi hominis ſummæ audaciæ bellaciâ inductus, deſerto Ottone ad Philippum tranſiit. Sed hoc transfugium malo aliorum, quàm meis verbis exponere. Sic igitur Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 1. *Cùm Otto Rex Coloniam potenter obtinuiſſet, & amplior ei proſperitas arridere videretur, repentè inopinata adverſitas contra eum exorta eſt. Siquidem Comes de Gulike contra eum inſidias moliri cœpit, ita ut Philippo Regi litteras & nuncios occultè dirigeret,*

ret, hoc demandans, ſi ipſum divitiis & honoribus ampliare vellet, quòd non ſolùm omnes faventes Ottonis Regis, ſed & ipſum archiepiſcopum Colonienſem in ſuam partem adducere vellet. Qui gaviſus eſt, hoc remandans, ut ſuper hoc negocio ad locum determinatum ſibi occurrere vellet, quod & factum eſt. Philippus igitur eum ſibi ſub juramento arctius adſtringens, curiam quandam DC. marcas perſolventem, ei in beneficio conceſſit, & ditatum auro & argento, veſtibus precioſis & equis, ad ſua remiſit, omnesque ei obſequentes bene induit. Wilhelmus igitur Comes ipſum archiepiſcopum & omnes Nobiliores ita præſtigiis ſuis circumvenit, ut omnes Ottoni renunciaverint, & in partem Philippi ſe inclinaverint. Quid plura? prævalente conſpiratione, Philippus Aquisgranum potenter adducitur, ab Adolfo archiepiſcopo Rex conſecratur & in ſedem Imperialem collocatur. Diſplicuit tamen verbum iſtud Colonienſibus, quo fidem Ottoni ſervabant, arguentes ſuper hoc archiepiſcopum, quòd eis inconſultis tantam novitatem præſumſiſſet. Hactenus Arnoldus Lubecenſis, à quo modicè variat Godfridus Monachus his verbis: *Poſt hæc Philippus Colonienſem archiepiſcopum per Trevirenſem, Spirenſem & Conſtantienſem Epiſcopos, apud Andernacum ſibi conciliat, & ut Ducem Brabantiæ & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles ſibi efficiat, novem millia marcarum ei donat. Salvelt etiam, & alia quædam ab epiſcopio ablata ei redonat, plurima promittens, rogat. Colonienſis verò Epiſcopus ſacramentum, quod dudum Ottoni fecerat, parvipendens, & perjurium & excommunicationem Apoſtolici non metuens, poſt feſtum S. Martini ad eundem Philipum cum Duce Brabantiæ Confluentiam venit, & ei juramentum fidelitatis cum Duce ibidem fecit. Ibi etiam Rex Philippus celebrem curiam omnibus, qui aderant Principibus, in Epiphaniâ Domini, Aquisgrani indicit & Colonienſis eum ibidem in Regem conſecrari & ungi promittit, quod & factum eſt. Rex ergo, ut propoſuerat, cum pluribus Regni principibus Aquisgrani venit: ubi cum maximo apparatu Colonienſis ei occurrit. Ibi Rex conſilio cum ſuis habito, ut principes ſuam liberam electionem ſecundum antiquitatis inſtitutum non perdant, regium nomen & coronam deponit, & ut concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factum eſt, & à Colonienſe archiepiſcopo cum Mariâ* (rectiùs Irene) *uxore ſuâ ungitur & conſecratur: Sifrido Moguntino & Cameracenſi Epiſcopo eisdem diebus cum litteris propè Coloniæ exiſtentibus, & pro hac injuſtâ conſecratione excommunicationem ei intendeutibus.* Hæc Godefridus monachus. Nequaquam verò Proteus iſte, cothurno verſatilior, infidelitatis & perjurii pœnas effugit, juſſu Pontificis honore & dignitate ſuâ exutus, Brunone Bonnenſis ædis Præpoſito in locum ejus ſuffecto. Exſtat apud Arnoldum Lubecenſem lib. 7. cap. 3. bulla Innocentii Papæ, quâ Adolfus exepiſcopus *pertinacis inobedientiæ, perjurii iterati & proditionis vulgatæ* reus actus & pronunciatus, abſtentus reddi jubetur. Quæ interim fuerit fortuna Ottonis, oſtendit Godefridus monachus verbis ſequentibus: *Conſtabat, quia Otto Rex omni penè terreno & humano ſolatio deſtitutus, quantum ad reſpectum adverſæ partis, Regnum aut Imperium nunquam obtinere poſſet, niſi adjutorio ſolius Dei, qui dominatur in regno hominis & cui vult dat illud.* Philippus verò, qui profuſis largitionibus ſibi ipſi nervos inciderat, *cùm non haberet pecunias, quibus ſalaria, ſive ſolda, præberet militibus, primus cœpit diſtrahere prædia, quæ pater ſuus latè acquiſierat in Alemannia: ita ut cuilibet Baroni, ſive miniſteriali, villas ſeu prædia ruſticana, vel eccleſias ſibi contiguas obligaret. Sicque factum eſt, ut nihil remaneret, præter inane nomen domini terræ, & civitates ſeu villas, in quibus fora habentur & pauca caſtella terræ,* Conradi Urſpergenſis verbis hæc referimus. Sub idem tempus Ottoni novum, cæterisque omnibus pernicioſius malum emerſurum videbatur, tepeſcente erga ipſum favore Pontificis, cujus ſolius ope & auxilio hactenus fulciebatur. Memoriam rei conſervavit Otto de S. Blaſio cap. 48. *Innocentius,* inquit, *Papa Philippo jam antea offenſus, eò quòd in Tuſciâ exiſtens, quoddam patrimonium S. Petri invaſerat, ipſum in Regem eligere non conſenſit, ſed Ottoni favens, ipſum in defenſorem Romanæ eccleſiæ collaudavit. Veruntamen procedente tempore, videns vires Ottonis ablatas & favore principum admodum concidiſſe, Philippum verò, ſubjectis Ottonis fautoribus, prævaluiſſe ipſi, duos Cardinales ex latere ſuo, Hugonem videlicet Oſtienſem & Velletrenſem Epiſcopum, & Leonem tituli S. Crucis in Jeruſalem presbyterum Cardinalem ad eum direxit, ut auctoritate Apoſtolicâ, ad litem terminandam, datâ ab utrisque pace, ad diem & locum condictum Reges convenirent ibique*

mediăn-

debat Pontifex, facile effecturum, ut Otto nihil poſt hoc amplius tentaret. Sed legati non parum offenſi, quod Pontifex tam aperte privata publicis, carnalia ſpiritualibus anteponeret, reſponderunt, ſibi non licere in hac re quicquam agere, nec in mandatis ſuis habere: ſuadere autem, ut Pontifex propter matrimonium hoc legatos ad Imperatorem mittat, ſe autem pro virili curaturos, ut nuptiæ illæ fiant. Nunc autem propter Eccleſiæ & Reipublicæ publicam pacem, & propter evitanda ſcandala Romam miſſos, de his rebus agendum eſſe. Pontifex eandem cavit cautelam, ſi filiam dederit, nihil non facturum eorum quæ petebant, imo longe plura promittebat, quam optare auſus fuiſſet Philippus. Quare Pontifex cum legatis Cæſaris ſuos etiam mittit legatos, illiſque plenam poteſtatem dat, omnia, quæ petiit Philippus, concedendi, modo filia excommunicati principis nubat nepoti Pontificis. Miſit autem legationem, qua dignior nulla mitti potuiſſet. Erant legati Leo titulo S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis & Epiſcopus Vrbevetanenſis. Qui ubi venerunt in Germaniam Auguſtæ Vindelicorum legati honorifice ſuſcepti ſunt à Philippo: ſed Philippus ex ſuis legatis, quos Romam miſerat cognovit, quam ob cauſſam potiſſimum adeſſet, quid ſperarent: quare ſtatuit rem paullulum producere, & ita Pontificios alloqui comiter, ut in ſpem certam vocaret illos filiam nepoti Pontificis deſponſaturum, etſi nihil de illo re adhuc tractatum erat. Legati tamen facile conjicere poterant, omnia per legatos ſuos Imperatori expoſita: neque enim legati quicquam eſſet Romæ decretum poſuerunt, niſi illud de petitione Papæ dicerent: ex Auguſta igitur Philippus Spiram ſecum ducit Pontificis legatos. Spiræ edito edicto publico, convocat omnes Principes ad Comitia in Northuſen, ubi natalem Domini celebrat præſentibus legatis Pontificis. Admirabantur omnes, Romanos Cardinalem & Epiſcopum intereſſe ſacris excommunicati Philippi. Sed Philippus propterea ita ſpe lactabat & ſuſpenderat legatos, ut ſic viderent infirmiores (qui non ſine conſcientia commercium habebant cum Imperatore excommunicato, maxime in ſacris) nec auctores excommunicationum ſemper curare illa fulgura magnopere. In Comitiis igitur illis, ubi legati expoſuerunt Papæ voluntatem de conjugio filiæ Imperatoris & nepotis ſui, ſimulque intelligerent Principes ex ore Legatorum, quæ etiam peteret Pontifex: nam dicebant nomine dotis ea fore ſata, quæ in Italia poſſet Imperatoris nomine concedere, quæ alioqui non eſſent in manibus Philippi. Principes plerique cum Imperatore videbant & admirabantur, qua fronte auderent tam aperte ſua quærere. Quare nihil reſponderunt quod attinebat ad matrimonium illud, ſed dicebant, primum oportere mortalium rebus communibus conſulere, poſtquam illa bene haberent & pacata eſſent, tum ad parvo illa privata deſcendendum. Legati Pontificii, ubi urgere non audebant hæc ſic habere, rubore ſuffuſi, de pace inter Ottonem & Philippum cœperunt tractare, etſi propoſuerant prius ſuam rem agere copulando illos, quos dixi, nempe nepotem Papæ & Philippi filiam. Principes igitur de componenda pace inter Ottonem & Philippum multa excogitarunt &c. Bene ſit æternum manibus tuis, Muti cordatiſſime, qui nec muſſare, nec mutus hic eſſe voluiſti, ſed animo intrepido, voce libera, calamo feraci & ingenuo, poſteritati expoſuiſti omnia. *Quærendus* nunc, Pachymeri, *quærendus*, inquam, tecum *alius terrarum orbis, è quo ſanctos Pontifices petamus.* Carolus Sigonius callide hæc omnia præterit, ratus ſedi Romanæ, cui totum ſe mancipaſſet, iſtiusmodi narrationes, utut veras, parum futuras honorificas, ideoque diſſimulandas. Dum autem verſutus ac verſipellis Pontifex, & Philippus Cæſar, cum vulpe vulpinans, promiſſionibus amplis ſpebusque prolixis, ita ludunt, ſibique mutuo illudunt, Deus optimus maximus, cujus proprium eſt, *Sapientes capere in aſtutia eorum callidiſſime, & conſilium verſutum reddere temerarium,* Jobi 5. pro Ottone, jam ab omnibus deſpreto & deſperato, efficaciter propugnabat. Etenim Philippus *ſive Brunſvigam obſeſſurus,* ut Otto de S. Blaſio cap. 50. *ſive Daniæ Regem VVoldemarum,* ut Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 14. *alioſve per Saxoniam optimates, cum Ottone facientes,* ut Urſpergenſis *debellaturus,* atque hujus rei gratia numeroſum conſcribens exercitum, eumque omnis generis machinis bellicis inſtruens, Bambergæ, ubi uſque dum copiæ confluerent, valetudini operam dabat, regnum pariter & vitam amiſit, cæſus non in acie, ſed cubiculo, non ſtans, ſed cubans. Auctorem occaſionem tam immanis parricidii libet indicare ex Arnoldo Lubecenſi, qui hîc ceteris accuratior. Is igitur lib. 7. cap. 14. *Cum Philippus quietus conſiſteret in Bavenberg, exſpectans coadunationem expeditorum, repente miſerabilis & inopinata commotio inter ipſum & Palatinum Ottonem de Widelingsbach exorta eſt. Quam minimè ſilentio prætereundam putamus. Sanè Philippus Rex filiam ſuam Othoni, utpote nobili viro, deſponſare decreverat. Sed quia idem Otho nimis erat crudelis & inhumanus, mutatâ voluntate propoſitum diſponſationis mutaverat. Quod intelligens Otho Palatinus pro filiâ Henrici Ducis Poloniæ laborabat,*

borabat, dixitque Philippo Regi: Domine, meminiſſe volumus clementiam veſtram, quàm devotus vobis ſemper fuerim, & quanta in ſervitio veſtro in præſenti guerrâ expenderim, & quanto apparatu nunc contra adverſarios veſtros vobiſcum procedere decreverim. Ideo peto, ut nunc in modico pro me ſitis & literas commendatitias Domino Duci Poloniæ dirigatis, ut cœptum bene inchoatum, pactum videlicet deſponſationis, veſtrâ mediante majeſtate, melius conſummatur. Cui Rex: id quàm devotus faciam. Et ille gavisus, obtulit litteras de inſtanti negocio ordinatas. Illo abeunte mutatæ ſunt litteræ in contrarium & ſignatæ bullâ regiâ. Cumq; Palatinus litteras accepiſſet, perſpexit in ſchedulâ maculam quandam exteriorem, ſicque concepit ſuſpicionem, veniensque ad ſuum quendam familiarem, aperi, inquit, mihi litteras, ut earum ſciam tenorem. Qui perſpectis litteris expavit, dicens: Rogo, ut Dei intuitu, litteras me vobis exponere non arctetis: quia nihil aliud niſi mortem mihi imminere video, ſi eas expoſuere. Sicque acceptis litteris Palatinus alteri nimis importunè inſiſtebat & ita tenorem ipſarum cognoſcebat. Vnde graviter efferatus, nihil niſi mortem Regis animo verſabat. Diſſimulatâ tamen irâ ad Philippum quaſi jucundans & congratulans intrabat. Vnâ igitur dierum, Philippo ſecretiùs in cubiculo conſiſtente, quia medianam in utroque brachio inciderat, Palatinus nudo gladio in atrio regali quaſi ludens incedebat. Sicque accedens ad cubiculum Regis, oſtium clanculò pulſabat, & ingreſſus ſimili modo coram Rege ſe gerebat. Cui Rex: Depone, ait, gladium: quia non eſt hic locus modo. Et ille, immo eſt locus, ut tu perfidiam tuam luas. Et ſtatim uno ictu cervicem ejus tetigit, nec ſecundum vulnus appoſuit. Cumque qui aderant, eum impetere vellent, ille aperto oſtio violenter exſiliens, fugam dedit. Philippus tamen non ſine ratione litteras mutaverat: quia puella, quam Otho deſponſare cupiebat, conſanguinitate Philippum ex matre contingebat. Ideoque Regi diſplicebat, ut vir tam crudelis & impius & imprudens tam nobili virgini jungeretur. Idem quoque Palatinus crudelitate nimiâ quendam de melioribus terræ, VVolff nomine, occiderat: unde graviter Philippum offenderat. Ipſius tamen regnum ceſſavit tali factâ conſummatione.
Hactenus Arnoldus Lubecenſis, quem Crancius, ut aſſolet, verbis nonnihil mutatis repræſentat Saxoniæ lib. 7. cap. 28. Chronica Auguſtenſis à CL. Frehero publicata aliam parricidii cauſſam verbis ſequentibus inculcat: *Hic* (Philippus Rex) *cùm adhuc in regio ſolio ſublimatus non fuiſſet, promiſerat ducere matrimonialiter filiam Othonis Palatini Comitis de VVitilinspach, quam poſtmodum repudiavit. Vnde idem Comes commotus acceſſit in Bamberg ad cameram ipſius Regis, tanquam ei ſolus pacificè locuturus, & gladio, quem occultè geſtabat, ipſum Regem ſubito interfecit.* Hactenus Chronica, quam laudavimus. In hanc ſententiam inclinat Caſparus Bruſchius, catalogo Epiſcoporum Babenbergenſium, cap. 15. Epitomes de Germaniæ Epiſcopatibus. Huldricus Mutius lib. 19. ſcribit inventos, qui ſuſpicati fuerint, parricidam homicidium commiſiſſe, ut Ottonis gratiam aucuparetur, beneficiumque ab eo impetraret. Quod omnino falſum putamus, Si enim hoc nomine policeri ſibi aliquod potuit, cur non rectâ in Saxoniam profugit? ſi non ſperatum perpetrati ſceleris præmium, ſaltim ejus impunitatem aut aliquam à pœnâ ſecuritatem inventurus. Quomodo etiam in deſtinatam Philippi cædem conſpirare potuerunt, Ecbertus Bambergenſis Epiſcopus ejusque frater Henricus Hiſtriæ Marchio, quos cum Ottone adverſus Philippum conveniſſe, ejusque partes foviſſe, nemo quiſquam literis prodidit. Verum in ſiniſtram partem ſuſpicio omnia interpretari ſolet. *Sed* non impunè abiit latro immanis, ut audiemus, Abbas Urſpergenſis divinâ ultione Philippo inſperatam indignamque cædem proveniſſe arbitratur, *ut ſub gladio tyranni caderet, qui primus eccleſias in poteſtatem tyrannorum contradidit.* Sunt qui pœnam talionis arbitrentur, quòd Philippus *Epiſcopum Wirceburgenſem Conradum, virum venerabilem, interfici vel juſſerit, vel diſſimulando permiſerit*, Chronicon Belgicum

cum magnum. Multæ verò & magnæ lucebant in Philippo virtutes, quas diſſimulare hoc loco nefas fuerit. Sic igitur de eo Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 14. *Cecidit vir nobilis & potens multis virtutibus. Erat enim vir manſuetus & humilis & admodum affabilis. Et quia litteratus erat, divina devotus valde frequentabat.* Monachus Nuſſienſis in magno Chronico Belgico in hunc modum de eo loquitur: *Philippus licet ætate juvenis, potentiâ tamen clarus & pietate præcellens, militiâ optimus, largitate ſerenus & omnium virtutum inſignibus præcipuus.* Urſpergenſis tali eum exornat elogio: *Erat Philippus animo lenis, mente mitis, erga homines benignus, largus ſatis & diſcretus, debilis quidem, ſed ſatis virilis, in quantum confidere poterat de viribus ſuorum: facie venuſtâ & decorâ, capillo flavo, ſtaturâ magis tenui, quàm groſſâ, &c.* Egregias iſtas ſummoque Principi convenientes animi corporisque dotes, obſcurabat cœca & temeraria regnandi libido, quæ adeo eum dementarat, ut ex Principibus non paucos, vel profuſis largitionibus, vel amplis & ſuperbis promiſſis ad perjuria committenda induceret: in Germaniâ aliquot urbes Regias, Northuſium, Salfeldiam & Mulhuſium ab Imperio abalienaret, in Italiâ idem ſine dubio facturus, niſi mors interveniſſet: filiam generoſiſſimam, tam Romani quam Byzantini Imperii Cæſarum, aliorumque Regum & magnorum Principum ſangvinem, homini novo nullarumque imaginum, Pontificum Romanorum clienti, contra Germanicæ gentis dignitatem moremque, maritare non abnegarit, vel ſaltim facturum ſe ſimularit: denique ærario exhauſto, nervisque rerum gerendarum inciſis, à rapinâ & ſacrilegio vix ſe abſtinuerit. En tibi perpulcros præcipitis ambitionis ærumnoſæque φιλαρχίας fructus! Cædes Philippi parata eſt 10. Kal. Julii, anno 1208. Quâ percrebeſcente, Otto animum oppreſſum erigens ſpem regni firmiorem animo concepit: nullum enim jam amplius metuebat regni æmulum, quòd Fridericus rex Siciliæ impubis regnoque impar: Bertholdus vero Zaringiæ Dux, nuper ad Imperii gubernacula accitus, ſocordis abjectique eſſet animi, nihil minus, quàm faſces cogitans, quos concorditer oblatos auro illice delinitus turpiter admodum alteri reſignaſſet. Et quia in armis adhuc erat Otto, de multiplicibus injuriis, durante civili tumultu acceptis vindicandis, nonnullisque ex Principibus (in quibus teſte Joanne Dubravio, Hiſtor. Boëm. lib. 15. Ottocarus rex Boëmiæ præcipuus erat) caſtigandis cogitabat, verùm Magdeburgenſis archiepiſcopus Albertus, origine comes Hallermundius, & Bernhardus Saxoniæ Dux, intercedentes, prudentiæ & fidelitatis plena conſilia ei ſubminiſtrarunt, nempe, *rem eſſe periculi plenam à ſeveritate & vindictâ Imperium auſpicari: qui id benignitate & manſuetudine temperaviſſent, his candida & læta fuiſſe omnia, etiam hoſtes æquiores, quam aliis cives: non magis iræ quàm famæ ſtudendum: quærendum amorem apud populares, metum apud hoſtes. Iacere adhuc rempublicam ſeditionibus bellicisque tumultibus perturbatam, quæ mala niſi maturè circumſpecteq; ſublata è medio fuerint, ſuſpicionum, ſimultatum offenſionumque, deniq; ex his bellorum civilium cauſſas nunquam defuturas. Exſtirpari autem hæc omnia unâ iſtâ ratione poſſe, ſi omnes Imperii Principes data publicâ fide & ſecuritate ad deliberandum ſtatuendumque de Imperii ſalute ac pace publicâ conveniant. Si quis principum abfuerit, ſuo quemque incommodo damnoque abfuturum.* Geſſit bene monentibus morem Cæſar atque eveſtigio conventum indixit Halberſtadii ad quem convenerunt plærique primores eccleſiaſtici, Principes ac Dynaſtæ per utramque Saxoniam & Thuringiam. Ex peregrinis ſolus aderat Otto deſignatus Wirceburgenſis antiſtes. *Hi omnes ac ſi divinitus inſpirati, pari voto ac unanimi conſenſu, Ottonem in Romanum principem & ſemper Auguſtum crearunt, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, archiepiſcopo, qui primam vocem habere videbatur, incoante, proſequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Miſnenſi & Lantgravio Thuringiæ, & aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur,* verba ſunt Arnoldi Lubecenſ. lib. 7. cap. 15. Proximè & ſecundùm hæc, auctoritate archiepiſcopi Moguntini & Henrici Comitis Palatini, urgente negocium Conrado antiſtite Spirenſi, qui idem regni Cancellarius regalia Imperii in manibus habebat, altera indicta ſunt comitia Francofurti

ad Mœnum. Convenere ibi ex Bojariâ, Sueviâ & Franconiâ Principes & Dynaſtæ, tanto numero, ut jactatum fuerit, *non in pluribus annis, tot nobiles, tot potentes inſimul conveniſſe*, Godefridus monachus. Collector magni Chronici Belgici de hoc conventu ſic diſſerit: *Apud Francfordiam curia celebris habita eſt quinquaginta Principum, à quibus omnibus, Philippo Rege occiſo, Rex Otto, hujus nominis quartus, votivâ concordiâ & unanimi inſpiratione in Regem eſt declaratus, & in Regno feliciter ſublimatus, ſicque divinâ ſibi favente clementiâ totius Regni monarchiam ſolus obtinuit. Ibidem repræſentata ſunt ei Imperialia cum plenitudine poteſtatis & honoris & benevolentiâ favoris*, Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 16. Actum eſt Francofurti de pace & tranquillitate in Imperio reſtituenda ſtabiliendaque: de injuſtis vectigalibus, tempore belli civilis introductis abolendis: denique de inſtitutis legibus & conſuetudinibus, à temporibus Caroli M. in præſens uſque uſurpatis, ſed bellorum tumultibus non parum labefactatis, auctoritate publica revocandis roborandisque. Imperator conceptis verbis prior in iſta capita juravit, quem ſecuti ſunt reliqui Regni ordines, nemine quoquam diſſentiente, nedum contradicente. Sub finem comitiorum ſive ſponte ſua, ſive aliorum inſtinctu, Francofurtum appulit Beatrix Cæſaris Philippi, immaniter trucidati filia, quæ in conſpectum Auguſti ordinumq; admiſſa, per quam lamentabili voce & ejulatu de indigna parentis ſui innocentis cæde, conqueſta, juſtam tam atrocis, tam nefarii facinoris vindictam ſuppliciter efflagitavit. Reſponſum eſt miſeræ publico nomine clementer, reque in deliberationem deducta, decretum eſt, infame parricidium more majorum puniendum, ipſum cædis auctorem Witelsbachium, ejusque complices infandæ necis conſcios, lege Bojarica hoſtes Imperii judicandos proſcribendosque, atque ubi gentium deprehenſi eſſent morte multandos. De Beatrice regia virgine omnibus animi corporisque dotibus admodum conſpicua, opulenta etiam valde, quippe quæ trecentorum & quinquaginta caſtrorum heres eſſet, Ottoni Cæſari copulanda, à quibusdam proceribus verba facta ſunt, ſed nihil concluſum. Urſpergenſis autumat Ottonem huic matrimonio occaſionem dediſſe, ſic enim loquitur: *Timens Otto, quod miniſteriales ſpectantes ad Philippum, non facile ſuo ſubderentur Imperio, ſed ad ſuos nativos dominos redirent, filiam Philippi, tanquam dominam omnium rerum, quæ ad generationem iſtam ſpectabant, accepit uxorem.* Alii aliter ſentiunt. Otto de S. Blaſio cap. 51. his verbis utitur: *Fortuna proſperis ſucceſſibus arridente, ne Principes, qui cum Philippo fuerant, & hi qui Ottoni prius adhærentes demum apoſtataverant, Regem, conſcientia remordente, ſuſpectum haberent, medium quoddam neceſſe fuit interponi; ne occaſione, ut fieri ſolet, alicujus diſcordiæ conflata, in priſtinum rurſus exitium Regnum involveretur. Ad hoc nullum magis idoneum inveniri potuit, quàm ut Otto Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam: quæ connexione inſolubili concordiam inter Regem & Principes ſtabiliret.* Francofurto Cæſar diſceſſit Noribergam, inde Auguſtam Vindelicorum, ubi anno 1209. ineunte 8. Idus Januarii publico conventu de ſententia Principum lege Bojarica Otto Palatinus Comes & Henricus Marchio Andechſius, ille propter perpetratum parricidium, hic quod conſcius fuiſſet, proſcripti, omnibus dignitatibus, beneficiis ac prædiorum ſuorum redditibus, ſine ſpe recuperationis judicialiter privati, dignitateſque eorum in alios translatæ, beneficia aliis conceſſa, ſoli prædiorum reditus hæredibus relicti ſunt, Otto de S. Blaſio c. 51. ibidem animadverſum fuit in quinque pacis violatores, uno decollato quinque in furcam actis. Urſpergenſis ſui ſimilis, hoc eſt, pravis indulgens affectibus, eadem de re ſic loquitur: *Tunc Rex, peragratis partibus Rheni, advenit in Sueviam: cœpit autem facineroſis terrorem incutere & judicia ſuper eos exercere, potius indignans ſuper eos ſuperbiam, quam amans juſtitiam.* Vide, quæſo, & pervide lector, hominis religioſi de alienis negociis præceps & invidioſum judicium. Dicit ibidem Barones & milites ſuo tempore fuiſſe plærumque prædones. Quis vero princeps gladio ultore divinitus obarmatus, ejuſmodi graſſatores, reipublicæ peſtes & buſta, in ſua ferat ditione? quis ad aliena ſcelera connivendo inevitabilis pœnæ ſe participem reddat? Imo qui hoc nolit, ſtatimne audiet ſimulator magis, quam adminiſter juſtitiæ? Ad Comitia Auguſtana venerunt *civitatum Italicarum legati, offerentes ſingularum inſignia cum clavibus aureis & multis aliis donis, ac per hoc ſubjectionem profitentes.* Otto de S. Blaſio cap. 50. In conventu Hagenoënſi tempore Quadrageſimæ (ut Romanus

vocat eccleſia) celebrato, indicta eſt ordinibus Imperii expeditio Italica ſumendæ coronæ cauſſa. Nunciatum ibidem, conſceleratum homicidam Witelsbachium, ſine certa ſede hactenus oberrantem, pertinaci induſtria Henrici Palatini mareſchalli, in Bojaria apud Oberndorfium, haut longe à Ratisbona in ripa Danubii, deprehenſum, multisque vulneribus inflictis obtruncatum, caput humeris avulſum in profluentem abjectum eſſe. Gratum erat principibus audire innocentiſſimi Cæſaris manibus iſto modo parentatum. Venerunt eodem Legati Pontificii, ſupra quoque nominati, Hugo & Leo Cardinales, à Philippo paullo ante obitum Romam amandati, afferentes conſenſum Pontificis ſuper matrimonio Ottonis Cæſaris & Beatricis: quod etſi neque cum divinis legibus, neque Cæſarum ſanctionibus pugnaret, in odioſa tantum & ocioſa Pontificum Romanorum decreta, augendæ potentiæ & lucri faciundo inſervientia, incurreret, conſummari tamen non potuit, niſi collata à Papa indulgentia. Iidem legati Cæſarem, Pontificis nomine officioſe ſalutatum, ut quamprimum in Italiam tranſiret, hortati ſunt. Qui reſpondit; à matrimonio ſe non alienum, quia vero res magni ſit momenti, differendam ejus expeditionem ad Comitia univerſalia ſtatim poſt Pentecoſten indicenda, eò ipſi quoque venirent. Hagenoënſi conventu ſoluto, Cæſar in Saxoniam cogitans, in itinera deflexit Aldenburgum, tum temporis Imperiale ad amnem Pleiſſam opidum, *ubi convenere Miſnenſes & Cisnenſes, Poloni quoque Boemi & Vngari ibique multis negociis determinatis, & pace jurata, quæ in omnibus curiis præcedentibus firmata erat.* Cæſar in patriam remigravit, Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 18. Sacrum Pentecoſtes feſtum in majorum ſuorum hereditario auguſtali Dancwerderoda Brunſuigæ celebravit, *ad quod amicos tantum familiares adeſſe voluit, archiepiſcopum, videlicet, Magdeburgenſem, Halverſtadenſem electum, Hildenſemenſem epiſcopum, Merſeburgenſem epiſcopum, Havelbergenſem epiſcopum, Corbeienſem abbatem. Aderatque totus feſtivus Dux Bernhardus, Lantgravius, Palatinus Comes Rheni, Miſnenſis marchio, Conradus marchio, Wilhelmus Dux Luneburgenſis, qui erat frater Regis Ottonis, Marchio de Brandenborg. Comitum vero non erat numerus, militum plurima multitudo, quibus omnibus honeſtiſſime & abundatiſſime de impenſa regia adminiſtratum eſt,* Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 18. In hac ſolemnitate feſtiva Albertus Magdeburgenſis archiepiſcopus molles aditus & tempora fandi commoda obſervans, Cæſare gaudio elato, occaſionem rapuit, ſibique ſuisque Suffraganeis, quos vocant, impetravit ab onere quodam inveterato liberationem. Diploma alibi ex MSC codice, ſed non integra, â me editum, totum hic ſubjiciam.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Otto quartus, divina favente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Iuſtum eſt & honeſtum, ut bene meritos ſuorum meritorum digna beneficiorum præmia congruo ordine ſubſequantur, unde eſt, quod nos attendentes præclara devotionis obſequia, quæ dilectus princeps noſter Albertus Magdeburgenſis eccleſiæ archiepiſcopus, ab exordio noſtræ promotionis ferventer nobis exhibuit, & Domino etiam concedente impoſterum nobis eſt exhibiturus, non immeritò ad omnia ea exequenda puri animi noſtri movemur intentione, quæ vel honorem perſonæ ſuæ reſpiciunt, vel ad commodum, vel utilitatem eccleſiæ ſuæ principalis & demum ſuffraganearum eccleſiarum ſuarum conducunt. Cum igitur ex antiqua & antiquata conſuetudine omnium Epiſcoporum decedentium, qui de jurisdictione ſunt Imperii, in quibuscunque redditibus reliquiæ Fiſco credere debeant Imperiali, ob ſinceram dilectionem memorati archiepiſcopi, ejusque perſonæ reverentiam, ſucceſſoribus, dummodo à præſenti toga carnis exeunt, & omnium ſuffraganeorum ſuorum ſubceſſoribus, in perpetuum concedimus, ut omnes proventus Epiſcopales, qui defunctis Epiſcopis Imperio cedere conſueverunt, deinceps ad uſus ipſorum colligantur

tur & collecta reſerventur, ſtatuentes, ut ſi decedentes Epiſcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde perſolvantur: per hoc tamen ſpeciale gratiæ noſtræ donum Magdeburgenſem eccleſiam, omneſque ejus ſuffraganeas eccleſias, cum omnibus earum familiis, occaſione memorati Archiepiſcopi volentes eſſe ſpecialius honoratas. Porrò cum Romani Imperatores & Reges anteceſſores noſtri in omnibus civitatibus & opidis eccleſiarum Imperii, durantibus curiis Imperialibus, in illis accipere conſueverint theloneum & monetam, & in ſuos uſus convertere: nos propter ſinceram, dilectionem, quam ad memoratum gerimus archiepiſcopum, eandem conſuetudinem, ejuſque debitum, prorſus abolere decrevimus, & tam Magdeburgenſi civitati, quam univerſis opidis ad ipſam eccleſiam pertinentibus, illius onus obſequii liberaliter in perpetuum relaxamus. In terris quoque ubi ex antiquo Magdeburgenſis numiſmatis percuſſio currere conſueverat, ſtatuimus, nec theloneum, nec monetam, aut per nos, aut unquam per aliquem alium, niſi de voluntate & conſenſu ipſius archiepiſcopi, vel ſucceſſorum ſuorum ponendam. Cæterum, ut tam memoratus archiepiſcopus, quam familia ſua dilecta nobis univerſitas, plenitudinem gratiæ noſtræ per uberiores exhibitiones operum recognoſcat, nos neque per nos, neque per homines noſtros faciemus, vel fieri mandabimus, in civitate Magdeburgenſi, vel in opidis, vel in aliquibus bonis archiepiſcopi & eccleſiæ, aliquam exactionem: nec ſumemus hoſpitia, quæ vulgariter Herbergarie nuncupatur; contra voluntatem Archiepiſcopi, vel alicujus ſui ſucceſſoris, per hanc etiam ſpecialem gratiam noſtram eccleſiam Magdeburgenſem volentes eſſe ſpecialiter honoratam. Ut autem hoc liberalitatis noſtræ donum ſæpe fatæ Magdeburgenſi eccleſiæ & ſuffraganeis ejus omni ævo ratum & inconvulſum permaneat, præſentem exinde paginam conſcribi juſſimus & Majeſtatis noſtræ ſigillo communiri ſtatuentes & regio edicto firmiter præcipientes, ut nulli de cetero perſonæ, altæ vel humili, eccleſiaſticæ ſive ſeculari, hanc noſtræ donationis divalem paginam licitum ſit infringere, vel aliquo ei temeritatis auſu obviare, quod ſi quis facere præſumpſerit, in vindictam tranſgreſſionis auri puriſſimi libras centum apponat, quarum medietas Cameræ noſtræ, reliquum paſſis injuriam perſolvatur. Hujus rei teſtes ſunt Hartbertus Hildenſemenſis Epiſcopus, Tidericus Mersburgenſis epiſcopus, Siboto Havelbergenſis epiſcopus, Henricus Comes Palatinus Reni, Bernhardus Dux Saxoniæ, Hermannus Lantgravius Thuringiæ, Tidericus marchio Miſnenſis, Conradus marchio de Landesberg, Albertus marchio Brandenburgenſis, Comes Fridericus de Brene, Gevehardus Burcgravius Magdeburgenſis, Comes Adolfus de Scovenborg, Comes Burchardus de Mansfelt, Comes Algerus de Hohinſtein, Albertus & Gevehardus de Arnſtein, Cone de Minczinberg, Baſilius de Oſterode, Gunczillinus Dapifer, Tidericus Rabil & alii quam plures.

Signum

Signum Dn. Ottonis quarti Romanorum
Regis invictiſſimi

Ego Conradus Spirenſis epiſcopus, Regalis aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Maguntinenſis archiepiſcopi, totius Germaniæ Archi-Cancellarii, recognovi.

Acta ſunt anno Dominicæ incarnationis 1209. Indictione 12. regnante Dn. Ottone 4. Romanorum Rege glorioſo anno regni ejus duodecimo. Datum apud Brunſuic, per manus Walteri regalis aulæ protonotarii 14. Kal. Iunii.
Qualecunque hoc *Cæſarum Romanorum jus*, ſive potius (ut Imperator Fridericus apud Arnoldum Lubecenſem lib. 3. cap. 17. loquitur) *ſcintillam ejus*, poſt adempta tributa vetera à Francis inſtituta, quæ fuere *foderum, parata & manſionaticum*: poſt alienatas, non ſine aliquanto Reipublicæ diſpendio, tot ſeculis uſurpatas Epiſcoporum inveſtituras, abſolutæ perfectæque libertatis avidi Epiſcopi, Pontifice ſuam operam impertiente, Friderico Barbaroſſa Imperante, evertere conati fuerant, ſed magnanimitate Cæſaris repreſſi, in commodius tempus negocium diſtulerunt. Videatur Arnoldus Lubecenſis loco citato. Factam electoribus ſuis ab Ottone hujus privilegii ſpem, oſtendunt litteræ ſupra ex Baronio allatæ, verum interveniente inſperata Ubiorum archiepiſcopi defectione, ſecutaque belli civilis tempeſtate, nihil fuit immutatum. Feriis Pentecoſtes, de quibus diximus, pio ritu & non ſine hilaritate peractis, Otto ad Comitia Wirceburgi indicta proficiſcitur, quæ qualia fuerint, quidve actum ibi ſit, indicabunt nobis ejus temporis ſcriptores. Otto de S. Blaſio cap. 51.
Curia à principibus apud Herbipolim indicitur in octava Pentecoſtes. Principes igitur ex diverſis regni partibus ad hanc curiam convenerunt, legatiq; civitatum Italiæ ſubjectionem offerentes interfuerunt, Ottonemque Regem regali ambitione coronata civitate, cum maximo tripudio ſuſceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conſcendit, Cardinales habens collaterales, reliquis principibus circumſedentibus. Itaque Hugo Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis primo exorſus, de cauſſa regalis connubii, pro qua convenerant, rationabiliter Latino idiomate allegavit, interpretem habens Wirzburgenſem epiſcopum, Regique Ottoni, ut pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illuſtriſſimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & beati Petri per Apoſtolicam obedientiam, in remiſſionem peccatorum ſuorum, præcepit. Rege igitur ad hoc devoto animo conſentiente, abbas Morimundenſis, Ciſterſienſis ordinis, ſurrexit, omniumque abbatum, aliorumque clauſtralium utriuſque ordinis, Cluniacenſis videlicet & Ciſtercienſis, perſonam aſſumens, dilectum hoc connubio contra conſuetudinem Eccleſiæ, quamvis diſpenſatoriè committendum, monaſtico ordini auctoritate apoſtolica impoſuit: Regi per hoc injungens pœnitentiam, ut monaſteriorum, aliarumque eccleſiarum pro poſſe defenſor exiſteret, viduis & pupillis juſto judicio praeeſſet, monaſteriumque Ciſtercienſis ordinis in fundo proprio ædificaret, ac poſthac eccleſiæ Hieroſolymitanæ in propria perſona ſubveniret. His omnibus Rege obediente, puella jam nubilis à Duce Leopoldo Orientali & Ludovico Duce Bavariæ adducta, tribunali ſiſtitur, ac

de con-

de conſenſu interrogata, verecundata admodum rubore perfuſa, ſe libenti animo conſentire profitetur. Mox à Duce Leopoldo cognato ſuo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Ottoni deſponſatur, à quo amantiſſime amplexata, publici ſigno oſculi, mutuationeque annulorum ſubarratur, tractatiſque diverſis regni negociis, à curia digrediuntur, Reginaque Saxoniam perducta apud Brunſvvich aliquandiu manſura collocatur. Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 18. *Finita autem feſtivitate* (Pentecoſtes) *abiit Rex Goslariam, & ordinatis ibi quibusdam negociis, proceſſit Walkenrede, ubi invenit abbatem de Morimunde, cum aliis quinquaginta duobus abbatibus ſui ordinis, qui eum omnes ſuæ fraternitatis ſocium & orationis fecerunt, & ſic Regem ſecuti ſunt ab ipſo largiter procurati uſque Herbipolim, ubi cum maxima ſolemnitate ſuſceptus eſt Dominica Domine in tua miſericordia, cum hymnis & laudibus Dei. Cantus autem hic erat: Adveniſti deſiderabilis. Aderant ibi legati Dn. Apoſtolici, Hugo Oſtienſis Cardinalis & Epiſcopus, Leo Sabinenſis Cardinalis & Epiſcopus, cum maxima copia Prælatorum & Principum, Sacerdotum & clericorum, inter quos erat archiepiſcopus Maguntinus Siffridus, Colonienſis Thidericus Trevirenſis Johan. Salzeburgenſis, Everhardus, Argentinenſis Henr. Auguſtenſis Siffridus Conſtantienſis Wernerus, de Friſinge Epiſcopus* (Otto.) *Pataviensis Manegoldus, Ratisbonenſis Henricus, Baſileenſis Ludolfus, Hildenſemenſis Hartbertus, Verdenſis Iſo, Halberſtadenſis Fridericus, Sibotho Havelbergenſis: Abbas Cono Elewangenſis, Abbas Vuldenſis, Herſueldenſis, Corbeienſis, Prumienſis, Wirtzburgenſis. Hos ſequuntur nomina Regum ſive Principum: Oddagerus Rex Boemiæ: Marchio de Mereren, Luppoldus Dux Auſtriæ, Dux Saxoniæ Bernhardus, Ludovicus Dux Bavariæ, Dux Bertoldus de Zeringe, Dux de Lutringe, Marchio Miſnenſis, Conradus Marchio de Landesberg, marchio Adelbertus de Brandenburg & alii quam-plures. Ordinatis igitur ibi multis negociis & firmata pace, ſicut in omnibus curiis ſupra dictis, Dominus Rex pro ſpeciali negocio, aſſumptis tantum Cardinalibus, Prælatis, Principibus, ſacerdotibus litteratis & legis-peritis, de legitimanda ei filia Philippi Regis ſic omnibus generaliter exorſus eſt: Rogamus omnes vos in Domino, primo Cardinales, qui de auctoritate ſive conſilio Dn. Apoſtolici adeſtis: ſummos etiam archiepiſcopos, Epiſcopos, abbates & alios, quos eccleſiaſticus ordo diverſis gradibus diſtinguit: excellentiam quoque Regum, Ducum, Principum, ut verba noſtra attendatis. Deus cœli, poſt multas adverſitates, cum beneplacito omnium, Regnum nobis donavit, ita ut non immerito cum gratiarum actione ei dicere poſſimus, lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus eſt nobis in caput anguli. A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quod cum luce clarius conſtet & optio nobis non deſit, de illuſtriſſimis fœminis, quas habet orbis Romanus, quibus ſponſam ſive conjugem eligere poſſimus, tamen*

quia

quia tam celebris conventus pendet de articulo filiæ Philippi Ducis Sueviæ, quam noſtram conſanguineam nemo dubitat, veſtro nos ſubmittimus arbitrio, ſive conſilio, ut juxta ſalutem animarum veſtrarum ſincere deliberetis, omni ſcrupulo poſtpoſito favoris ſive timoris, quid nobis ſuper hoc ſit faciendum. Si enim ſex millibus annorum victuri eſſemus, magis omni tempore cælibem eligeremus ducere vitam, quam cum animæ periculo ſortiri uxorem. Nemo gloriam, generoſitatem, divitias, caſtra, hujus virginis attendat: quæ omnia ſaluti animæ æquiparari non poſſunt. Hæc enim omnia nobiſcum ſunt. Si vero ipſa caſtra CCCL. diſtribuantur ſororibus, quas hæc contingit hæreditas, parum eſt quod reſtat. Nunc igitur, ut dictum eſt, ſuper hoc deliberetis, ut congruum nobis reſponſum reddatis. Omnibus igitur ad colloquium locum dantibus, Rex ait fratri Henrico Palatino, qui à dextris ejus erat: Volumus, ut cedas, ne quem tua præſentia de ulla ſuſpicione terreat. Facta igitur longa deliberatione, tandem ad Dn. Regem reverſi ſunt. Poſuerant autem verba in ore Lippoldi, Ducis Auſtriæ, viri facundiſſimi & litterati, qui ſic coram Rege locutus eſt. Domine Rex, placet ut audiatis reſponſum Cardinalium, Prælatorum & Principum? Ad hæc Rex, audio. Et ille: Noverit ſublimitas veſtra, quod iſte tam celebris conventus Cardinalium, auctoritatem Dn. Papæ præferentium, ſummorum Prælatorum & Principum & omnium litteratorum, omnino vobis decrevit expedire, pro bono pacis & ſtatu Romani orbis, ut virginem, de qua mentio habetur, uxorem ducatis: hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio, duas congregationes monachorum præclaras liberrime conſtituatis. Nos quoque vobis non deerimus facultates & eleemoſynas large erogando: Sacerdotes etiam, ſive alii inferioris ordinis in Miſſis & orationibus ſubveniendo. Ad hæc Rex: nos conſilium ſanum & bonum tantæ auctoritatis non refragantes veſtris acquieſcimus dictis. Igitur vocetur puella. Quæ cum à Pontificibus, ſive Principibus glorioſe adducta fuiſſet, Rex conſurgens de throno ſuo, eam cum inclinatione recepit. Quæ reclinante præferens annulum eam coram omnibus ſubarrhavit, & in oſculo recepit & ipſam inter Cardinales, quorum cathedra è regione coram facie Regis erat, reſidere præcipiens, ſic omnibus ait: Ecce reginam habetis, ipſam ut decet honorate. Ordinatis etiam legatis honeſtiſſime eam cum ſorore uſque Brunſuich deduci præcepit: ipſe vero in terra remanſit, & peragratis illis partibus de conſecratione Imperiali tractare cœpit. Hactenus Arnoldus Lubecenſis, quem ſuo more Crancius exſcribit Saxon. lib. 7. cap. 30. & 31. Ultima ante Italicam profectionem Comitia Otto habuit Auguſtæ Vindelicorum: acta ibi breviter exponit Arnoldus libro prædicto cap. 20. inquiens: *Poſt feſtum beati Joannis Baptiſtæ (Imperator) curiam indixit celebrem in civitate Auguſtâ, ubi convenerunt omnes illius terræ principes, cum quibus habuit myſterium conſilii ſui: ut ipſis cooperantibus honorificè cum gloriâ & honore Theutonicorum Imperialem perciperet benedictionem. Ad quod negocium deputati ſunt plurimi, tàm Prælati, quàm Principes, ſeu omnes, qui regalia tenebant, archiepiſcopus Trevirenſis, Magdeburgenſis, Herbipolenſis, Argentinenſis, Spirenſis, qui & Cancellarius, Wormatienſis, Baſileenſis, Conſtantienſis, Patavien-*

ſis, Epiſcopus de Chnore, de Auguſtâ, de Eiſteth, de Pragâ, de Olm[illegible] *Abbates de Augia, de S. Gallo, de Kempte, de Wiſſenburg, de Selſe, de Prume, de E*[illegible]*terna. Quibus adjuncti ſunt principes, Dux Bavariæ, Dux de Lutringia, Dux de Zerin*[illegible]*, Dux de Carinthia, Dux de Mereren, Marchiones & Comites plurimi. Cæteri q*[illegible] *ſerunt theſauris innumeris in ipſâ profectione Regi ſubſervierunt.* Repetit Cr[illegible] lib. 7. cap. 31. Ex his, quæ hactenus de ind[illegible] [illegible]is [illegible]elixe, [illegible] ſed iſtius, aut proximi ævi, auctorum verbis, in medi[illegible]m p[illegible] [illegible]ſpicuum ac meridianâ luce clariùs exiſtit, quale fuerit Ottonis imperium, [illegible] videlicet, non *per ambitionem affectatum, non injuſtis armis quæſitum extra* [illegible]*nem & ordinem, Pontificum impulſu*. quemadm[illegible]dum ille, cu[illegible] verb[illegible] ſupr[illegible]mus, parum cautè ne quid gravius dicam, ſcribere auſus fuit. Si quid prim[illegible]ctioni, à paucis initio profectæ, ſed plurium ſuffragiis accedentibus ſtabilitæ & [illegible]firmatæ defuiſſe videri poteſt, quod affirmare nolim, id omne compenſ[illegible] [illegible]unde, ordinibus Imperii per univerſam Germaniam, poſtquam oculto Dei armip[illegible]tentis, regna dantis & adimentis judicio, potentatus & honoris æmulus vi[illegible]mul & regnum perdidiſſet, ſine tergiverſatione, fidem, operam & opes offere[illegible] Qualia fuerint primordia Imperii Ottoniani indicat Arnoldus Lubecenſis lib. [illegible] 17. inquiens, *Orta eſt nova lux in orbe Romano, jucunditas pacis & ſecuritas* [illegible] indicat auctor fragmenti hiſtorici apud Chriſtianum Urſtiſium tomo 2. [illegible]rum Germaniæ pag. 88. verbis ſequentibus: *Omni autem tempore Ottonis pe*[illegible] *regnum Alemanniæ ſumma pax & ſecuritas fuit, ita ut omnes mirarentur, quòd e*[illegible] *in abſentiâ ejus, dum eſſet in Siciliâ, tanta pax potuit eſſe in terrâ.* Nec diſſent[illegible] Chronici rithmici, cujus verba ſunt:

Otto dher hohe Keyſer clar
Hilt an ſo grozer ere dhri Jar
Dhe Kronen und daz Riche/
Al dher Werlt ſo vrideliche/
Daz men in mochte nennen ſcene
Des Vridhes Herre unte Sohne.

Verum exigui iſta fuit felicitas temporis novo labefactata incendio, [illegible] inquieti & turbulenti Pontificis Innocentii temeritate infelici Germaniæ [illegible] cujus occaſione plura erunt dicenda, ſic tamen, ut hodœporicon Italic[illegible] [illegible]mus. De eo legimu[illegible] verba ſequenti[illegible], admodum odioſa: *Italiam ma*[illegible]*no cum exercitu ingreſſus, munerum magnificentia magis, quàm armorum terrore aditum* [illegible] *Romam patefecit, auro Italorum voluntatibus expugnatis.* Si[illegible] e[illegible] loq[illegible] & hiſtoricus ſupra rectè indicatus. Quæ ſine auctore dicta temporis [illegible]res conſtanter & concorditer falſitatis arguunt. Godefridus m[illegible]na h[illegible] no 1209. *Otto Rex Italiam cum magno apparatu intravit, ubi principes to*[illegible]*us Lombardiæ, ei occurrentes cum gloriâ ſuſceperunt, infinitam pecuniam vectigalium &* [illegible]*torum à temporibus Henrici* (VI.) *Imp. reſervatam tradiderunt.* Repetit I[illegible] totidem verbis Chronico Hirſaugienſi. Armis Germanor[illegible] territos [illegible] non diſſimulat monachus Paduanus S. Juſtinæ, cujus annales prim[illegible] Chriſtianus Urſtiſius, tomo hiſtoricorum Germanicorum primo. Ver[illegible]ris ſunt: *Circa hæc tempora Otto Dux Saxoniæ, in Regem Alemanniæ electus, de*[illegible]*endit de Alemanniâ & venit in Lombardiam cum exercitu copioſo: in cujus ad*[illegible]*ntu terribili tremuit Italia nimio pavore concuſſa.* Hæc probatæ ſinceræque ant[illegible] [illegible]ſtimonia minimè ſuſpecta evertunt omnes ſubſequentium ſeculorum ſeq[illegible] narrationes. Sed ad iter Ottonis redeundum; quod ut maturaret, hortator [illegible]tifex: ſuberat alia etiam cauſſa: audierat enim haut dubiis nunciis, Italiam po[illegible]is Henrici mortem, ſic, aut ad libertatem alienatam, aut ad dominatum erectam eſſe, ut jura Imperii attrectare non dubitaret. Seri[illegible]m itineris mutuabor ab Arnoldo Lubecenſi & cum eo copulabo Ottonem San-Blaſianum, & Hulde[illegible]icum M[illegible]m. Sic igitur Arnoldus: *Circa aſſumptionem B. Virginis Alpium juga ſ*[illegible]*ndere cœpit, relictaque civitate, quæ ex aquæ nomine naturaliter Insbrucke dicitur proſperè tenuit Brixiam, ubi Athaſis fluvius occurrit, per cujus devexum tendens venit Tarentum* (Tridentum). *Quo relicto venit ad tranſitum arduum, montibus præcluſum, qui Veronenſium Cluſa dicitur,*

citur, ubi caſtrum eſt firmiſſimum, quod ex longâ antiquitate urbs Hildebrandi dicitur. Illuc robur erat fortium propter amplitudinem ipſius caſtri, qui contra Veronenſes guerram diutinam habentes, eos non parum infeſtabant. Adveniente igitur Rege ipſum caſtrum ei offerunt. per quod plurimum toti terræ fuerat dominatus. Veronenſes tamen adhuc ipſos caſtellanos infeſtare non timebant, ſicque offenſam Regis incurrerunt. Poſtea tamen datis multis millibus marcarum in gratiam recepti ſunt. Dominus igitur Rex procedens magnificè receptus eſt à Mantuanis & Cremonenſibus, unde Poëta:

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ!

Verùm poſt tranſitum Padi Parmonenſes & Pontremulenſes Regem cum gaudio ſuſceperunt. Nec defuerunt Mediolanenſes, Genuenſes, Lucenſes cum aliis civitatibus, civitates ſuas tripudiando offerentes & gazis innumeris & muneribus eum honorantes. Ubi cum per tempus ſtetiſſet, & in civitatibus illis multa ordinaſſet, tranſitâ civitate magnâ, quæ linguâ eorum Senis vocatur, ubi per dies aliquot ſteterat, venit ad civitatem, ubi paſſa eſt beata Chriſtina, quæ de nomine ejus Stagnum S. Chriſtinæ vocatur. Unde procedens cum omni comitatu ſuo venit Biternis, ubi cum magnâ ſolemnitate & multo comitatu, tam cleri, quàm populi, occurrit ei Dominus Apoſtolicus Innocentius. Quanto autem gaudio & cordis exultatione ſe mutuo receperint, ex multis complexibus & oſculis, vel etiam profuſis eorum lacrymis, quas habundantia lætitiæ produxerat, præſentis ſcripti depromere nequit inopia. Hæc Arnoldus: brevior Otto Sanblaſianus, cujus verba ſunt: Otto expeditionem movit in Italiam, & per vallem Tridentinam ducens exercitum Veronam pervenit, ibique à civibus, ponte navibus compacto, per Athaſin cum toto exercitu tranſductus, favorabiliter excipitur. Diſpoſitis itaque inibi negociis Imperii, Gardam caſtellum, ab Imperatore Henrico VI. Veronenſibus quondam traditum, ab ipſis recepit, & in eo præſidia Imperii more antiquorum poſuit. Exin Bononiam copias trajiciens generalem inibi curiam cum Principibus Italiæ celebravit, ac inde Mediolanum perveniens, honorificè à civibus ſuſcipitur. Ubi moram faciens negociaq; Reipublicæ diſponens, validum ex omni Italiâ contraxit exercitum. Pyrenæum tranſiens Tuſciam applicuit, nuncios ad Dn. Apoſtolicum Patriarcham Aquileienſem & Epiſcopum Spirenſem Cancellarium ſuum Romam præmiſit. Qui ex perſonâ Regis compoſitione Imperialis conſecrationis cum Apoſtolico factâ, ad Regem regrediuntur, ipſumque cum univerſo exercitu ex parte Dn. Apoſtolici filiali affectu compoſitionem conſecrationis intimantes, ſalutaverunt. Qui mox ad Urbem tendens exercitum caſtra metari ante portas urbis fecit. &c. Non minus brevis eſt Mutius lib. 19. Chronici ſic inquiens: Conſcribitur per Germaniam paſſim exercitus, Auguſtæ conveniunt cum copiis omnes, ut imperatum erat. Per vallem Tridentinam iter facientes Veronam veniunt, ubi excipiuntur pacificè & offeruntur illi omnia, quæ poteſt dominus à ſubjectis ſperare. Poſtea Bononiam usque venit, illic ſtatuit experiri totius Latii principum animos, & omnia priùs tentare verbis, quàm armis. Quare Bononiam convocat omnes Italiæ principes & civitatum magiſtros, cum eis pacem fœderaque facit, imperat quoque ſingulis pro facultatum menſurâ numerum certum equitum & peditum, contractisque Italicis copiis magnificentiſſime pervenit Romam &c. Tribus hiſce Germanis ſcriptoribus ſubjungam quartum Italum Carolum Sigonium, noſtræ nationi ejusque in Italiâ juribus aliàs non ſatis æqvum, hac in re, de quâ agimus, ſincerum & candidum. Is igitur lib. 16. Otto, inquit, ante aſſumptionem Beatæ virginis ad Alpes venit, ac caſtra ad locum Benacum 14. Kal. Septembris fecit, mox trajecto Atheſi Veronam, comiter cùm à cæteris, tum inprimis ab Azone marchione exceptus, acceſſit, ubi de transactâ civium ſeditione admonitus, cives inter ſe oportunè conciliavit, ac Monticulos ex Ateſtino carcere liberatos Veronam reſtituit. Mediolanum inde accedenti populus ac clerus ingenti animorum alacritate apparuit. Præcipuè autem Otto nobilibus puerorum puellarumque choris eſt delectatus, qui in candidâ veſte incedentes ac ramos oleæ præferentes, eximias regis laudes carminibus aptè compoſitis celebrabant. Inde conſtituto die ab Huberto archiepiſcopo in baſilicâ S. Ambroſii ingenti pompa coronâ ferreâ, antiquo regni Italici monumento, ornatus, contrà Mediolanenſibus vetera omnia regum privilegia confirmavit, ac multis præterea non levibus eos muneribus inſignivit. Profectus inde, Huberto archiepiſcopo comitante, Mediolano Bononiam recto Æmiliæ itinere ita adiit, ut ubique caſtris extra urbes locatis ſolennibus ab obviis populis honoribus atque officiis

cultius ſit, quibus ſingulis & ipſe jus mitiſſimè dixit, atque omnes beneficiis, quæ poſtulaverunt, affecit. Inde trajecto Apennino per Etruriam iter ingreſſus omnes ejus regionis civitates claves & dona offerentes obvias habuit. Viterbium autem ut venit, ibi Pontificem ſolito honore complexus, atque ab eo comiter exceptus, Romam ut ad ſolemnia coronæ peragenda prodiret, eſt invitatus. Quàm verò hæc iterum diverſa ab iis, quæ in medium ſuprà allata hîc repetere tædioſum putamus. Perduximus hactenus, cum Deo benejuvante, Ottonem è mediâ Germaniâ trans Alpes in Italiam, perque ejus provincias Romam usque coronandum ab Innocentio Papâ, qui quidem hanc ad rem ſummâ erat voluntate: duas verò interveniſſe difficultates ab uno atque altero proditum eſt: nos eas perquiremus & contemplabimur. Una erat à rege Gallorum Philippo Bornio, altera à populo Romano. De Galli inſulsâ & inurbanâ dicacitate, per ludibrium depoſito etiam pignore affirmare auſi, nunquam regnaturum Ottonem, ſuprà diximus: eam ob cauſſam non potuit non ſuſpectam habere creſcentem Ottonis potentiam. Erat ſecundum hanc alia cauſſa, quæ domum Guelficam perquam inviſam reddiderat Gallo, præreptâ ei ſponsâ ab Henrico Duce Saxoniæ, Henrici Leonis primogenito. Quæ res ita ſe habet. Philippus Bornius, Ludovici Pii filius, primâ conjuge defunctâ, duxit alteram, Woldemari Daniæ Regis filiam, Canuti ſororem, Ingebergam (Rogerus Hovedenus, Hiſtoricus Anglus, annalium parte poſteriore Botildam vocat) verum paullò poſt, incertum quâ de causâ (nam alii alias proferunt) eam repudiavit, additâ etiam cuſtodiæ ignominiâ. Soluto hoc per divortium matrimonio, Gallus animum adjecit ad unicam Conradi Comitis Palatini filiam, patriarum ditionum heredem, quæ quòd conſobrina eſſet Henrici Sexti Imperatoris, ejus in hoc negocio operam ſibi profuturam putavit. Miſſis itaque legatis ad parentes puellæ, eam in matrimonium petiit. Non ignorabat Cæſar in annis infantiæ deſponſatam Henrico Saxoniæ Duci, Leonis primogenito, unicè tamen hoc agebat, ut præterito Saxone Gallus voti fieret compos. Verùm puella induci non potuit, ut regi nuberet, cauſſata ejus infamiam & ſummom probrum ex dedecoroſo innocentis & quidem regiæ ſtirpis conjugis repudio contractum. Sed eâ de re alibi à nobis pluribus actum, quò lectorem remitto. Prop[illegible] in iſto faſtigio repulſam, Ottonis Imperium Gallo inviſum fuiſſe nihilque [illegible] quod coronationem impedire quoquo modo poſſet prætermiſſum, nullum e[illegible] d[illegible]. Sed quid illi cum peregrinâ Reipublicâ negotii, à quâ tot ſeculis majores ejus alienos ſe reddiderant? Veniendum nunc ad cives Romanos, Ottoni coronando obſtrepentes, qui hoc ævo quales fuerint, oſtendit Crancius Saxon. lib. 7. cap. [illegible]. *n[illegible] mirum, ipsâ dudum verâ Romanitate vaneſcente, ex omni colluvie gentium novus populus, pacis hoſtis; quietis impatiens:* quod judicium ſuo ſtabilit ſuffragio [illegible] Meierus annalium Flandr. lib. 11. Haut igitur mirum, ab iſtâ fæce aliquid poſtulatum, quod Cæſar vel dare non poſſet, vel nollet. Quale verò id fuit? quanti [illegible] pretii? certè magni. Rem nobis explicat Helmoldus presbyter Buzovienſis lib. 1 cap. 80. de Friderico Barbaroſsâ agens, cujus verba hæc: *Miſerunt Romani legatos ad Regem in caſtra, qui dicerent ei paratum eſſe Senatum & univerſos cives urbis, ad excipiendum eum cum triumphalibus pompis ſiquidem Imperatorio more ſeſe exhibuiſſet. Quo percunctante modum, quo ſeſe exbibere deberet, illi ajunt, Regem propter Imperiale faſtigium Romam venientem decet venire more ſuo, hoc eſt, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curribus ſuis tyrannos bello ſubactos & divitias gentium. Præterea oportet eum honorare urbem, quæ caput orbis eſt & mater Imperii, & dare Senatui, quæ edictis præfixa ſunt, videlicet, quindecim millium libras argenti, ut per hoc ſuſcitentur animi Senatus ad benevolentiam & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio principum regni creavit Regem, auctoritas Senatus perficiat Cæſarem. Tunc Rex ſubridens, grata, inquit, promiſſio, ſed cara emptio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanitâ camerâ noſtrâ. Puto autem, quia occaſiones quæritis adverſum nos, imponendo non imponenda. Conſultius verò agitis, ſi bis omiſſis, amicitiæ potiùs noſtræ, quàm armorum cœperitis experimentum. At illi pertinacius inſtabant, dicentes: jura civitatis nullatenus irritanda, ſed gerendum morem Senatui: alioqui adventanti clauſtra urbis objicienda.* Pleniùs rem cognoſcere deſiderantes, legant apud Ottonem Friſingenſem lib. 2. cap. 21. de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ, legatorum Senatus

Popu-

Populique Romani arrogantem, ſuperbam juxtà atque ſtolidam ad Cæſarem orationem ejusque maſculum ac Heroici ſpiritus plenum reſponſum. Utriusque [illegible] artificiosè elaboratam, vibrantibusque ſententiis refertam, habet Guntherus Poëta in Ligurino lib. 3. Variant autem tam Friſingenſis, quam Guntherus, ab Helmoldo, quinque tantum marcarum millia à Romanis exacta ſcribentes, quæ pecunia etſi longe minor, quam ea, quam Helmoldus inculcat, ſatis tamen [illegible] eſt. Nam ſi libras auri hic intelligas, erant ſeptingenta millia aureorum Rhe[illegible]um, hoc eſt quaſi ſeptem tonnæ auri. Etenim libra continet duas marcas: marca vero olim 70. florenos Rhenenſes, hodie 75. Conradus Rittershuſius Notis ad Gu[illegible]eri Ligurinum lib. 3. cap. 3. Vero-ſimile eſt, Romanos ſui ſemper ſimiles, hoc [illegible]n minus effrenatos ſibique præfidentes, quam avaros, Ottoni Cæſari eandem [illegible] cantilenam, ratos tot annis cum adverſa fortuna colluctatum, nec dum ab [illegible] ſatis tutum, facile ipſis, ſi non omnia, quæ efflagitarent, ſaltim eorum aliquid [illegible], hærente ipſis in memoria, quibus artibus *Tuſculanenſe caſtellum contra omn[illegible] Romanorum Imperii aſylum*, Otto Sanblaſianus cap. 33. *in quo omne munimen Imperatoris contra ipſos conſtabat*, Godefridus monachus ad annum 1191. Henrico Se[illegible]o Cæſari coronæ accipiendæ cauſſa Romam nimio plus properanti, non ſine [illegible] maculis & deformitate, extorſiſſent. Sed non defuit prudenti cordatoque Principi Ottoni, quod importunæ legationi reponeret. Nauclerus volum 2. generat 41. [illegible] donativum à Romanis ipſo coronationis die efflagitatum: cui aſtipulatur Al[illegible]cus monachus trium-fontium citante collectore magni Chronici Belgici. Sub [illegible] coronationis Pontifex, moro recepto, à Cæſare exegit juramentum, quod quale [illegible]it diligenter inquirendum: nam ab eo multorum malorum occaſio & pri[illegible]. Apud Helmoldum lib. 1. cap. 60. ab Henrico 5. Imp. Paſchalis Papa exigit [illegible]rum, *quatenus in catholicæ fidei obſervantia integer: in Apoſtolicæ ſedis reverentia [illegible]nptus in eccleſiarum defenſione ſollicitus eſſet.* Ottonem Innocentius longe [illegible] jurandum jurare compellit. Capita ex diverſis ſcriptoribus obſervavi [illegible]. I. de juſtitia cuilibet adminiſtranda: ſacris ædibus, viduis, orphanis protegen[illegible] de S. Blaſio. II. De obedientia eccleſiæ Romanæ præſtanda, ejusque ditione ([illegible]um S. Petri vocant) ab aliquibus Imperatoribus injuſte hactenus detenta, [illegible]entium manibus extorquenda, ſedique Romanæ cum omnibus juribus inte[illegible] & libere dimittenda, ac deinceps pro viribus propugnanda, Albericus qui ſupra, [illegible]ler[illegible] volum. 2. generat. 41. Huld. Mutius lib. 19. III. De dignitate Imperii omni[illegible] aſſerenda, ejusque juribus diſpertis revocandis, per vim alienatis recupe[illegible]randisque, Matthæus Paris hiſtor. Anglicus, Chronicon Lauterbergenſe [illegible] De pace cum Philippo Rege Galliarum ex præſcripto Pontificis facienda, [illegible]o diſſidio eccleſia Romana detrimenti quid capiat. V. De Rege Siciliæ Friderico [illegible]re, nuper à matre Romanæ ſedis tutelæ commendato, non oppugnando, ſed [illegible]no conſervando. In his capitibus ſecundum & quintum cumprimis Pontificem [illegible]ciebant, ardentem cupiditate ſuæ potentiæ augendæ & alienæ imminuendæ: cujus conſilii hic commoda occaſio affulgere videbatur, ſi, quod diximus, imaginarium [illegible]loque magis, quam reapſe, Patrimonium, inutili Conſtantinianæ Donationis palea [illegible]tiſcente, tutelari ſuo Divo Petro acquirere, & à vindicatione ſecurum præſtare poſſet. Urſit igitur negocium cum cura, & quidem eo momento, quo, Romanis tumult[illegible]tibus, deliberationem habere conſiliumque conferre Cæſari minime licebat. An[illegible]it quidem Imperator, *ſed ut homo novus & rei neſcius*, utor verbis Godefridi monachi: forte etiam nihil ſiniſtre ſuſpicans de eo, qui in theatro orbis terrarum poſitus, omnibusque ad ſpectaculum propoſitus, ſanctiſſimum Chriſti Vicarium ſalutari ſe pareretur verum aliter informatus ſententiam mutavit, quemadmodum audiemus. Ut autem lectori famoſum hoc & ψευδώνυμον Patrimonium lectori meo amplius innoteſcat, ejus origine primaque auſpice, & quam ſenſit, viciſſitudine, ex probatis ſcriptoribus aliquid in medium producam. Ita autem res ſe habet.

Bonifacius Tetaldi (Aventinus Dietboldum nominat) F. Ottonis N. ab Hermanno Contracto ad annum 1051. *tyrannidis macula notatus*, titulo Marchionis in Italia tenebat Lucam, Parmam, Regio Lepidum, Mantuam & Ferrariam. Carolus Sigonius lib. 8. de regno Italiæ affirmat, tantas habuiſſe opes, ut omnium principum Italicorum

longe fuerit illa tempeſtate clariſſimus, quippe qui Canuſſii Comes, Parmæ, Mantuæ & Ferrariæ Marchio, Dux Tuſciæ. Is moriens ex Beatrice, Conradi Salici Auguſti filia, reliquit filium ſibi cognominem & filiam Mathildam, quæ fratre parentis fatum brevi ſecuto, utriuſque hereditatem adiit. Etſi autem tribus, ut volunt, ordine maritis nubſit. Godefrido Lotharingiæ Duci, cognomento Gibbero, Azoni Marchioni Ateſtino, & Guelfo Bojariæ Duci, nullam tamen enixa eſt prolem. Baronius conjugii oſor, ſuo indulgens ingenio, matrimonium Mathildæ cum Godefrido Lotharingo non quidem inficiatur, ſed conſummatum negat, ſponſæ virginitate illibata. Guelfo cognomento Juniori nubſiſſe dicit in ætate provecta, abſtinuiſſe etiam à mariti amplexibus. Azonis matrimonium, non ad hanc, ſed alterius familiæ, ejuſdem nominis fœminam pertinere affirmat. De Mathildæ natalibus, quos dixi, conſentiunt Itali omnes, Philippus Foreſtus Bergomas, M. Antonius Coccius Sabellicus, Æneas [illegible] Hiſtoriæ Boëmiæ cap. 21. Flavius Blondus decad. 2. lib. 3. Antonius Bonfinius [illegible] 5. lib. 3. Onuphrius Panvinius in vita Gregorii 7. Cæſar Baronius tomo 1[illegible] Eccleſiaſt. Carolus Sigonius lib. 8. de regno Italiæ. Suffragantur ex Germanis Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1077. Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis apologiæ pro Henrico 4. Imp. lib. 2. cap. 36. Otto Friſingens. Chron. lib. 6. cap. [illegible]. Bertoldus Conſtantienſis ad annum 1098. Chronicon Weingartenſe, Hartmannus Schedel, & alii. Godefridus monachus, neſcio per quem ſeductus, Siculam facit, *filiam Rutgeri principis*, ut loquitur, *famoſiſſimus*, uxorem Conradi, filii Henrici 4. [illegible]. Sed hæc aſſertio cum aliorum relaxationibus è diametro pugnat. Conradus iſte Henrici 4. primogenitus, *qui junctus inimicis parentis regnum Italicum invaſit, coronam ſibi impoſuit, jus profanavit & ordinem confudit*, verba ſunt Otberti Epiſcopi Leodi[illegible], duxit quidem Rogerii Siciliæ principis filiam, ſed ea longe diverſa ab hac [illegible]. Æneas Sylvius, loco paullo ante laudato, ex Bohemorum ſanguine natam affi[illegible], quod ipſum quomodo conſtare poſſit non video. Pandulfus Collenutius hiſtoriæ [illegible] polit. lib. 4. nuncupat *Matheldam Salinguerram*. Unde id cognomen, libens i[illegible] me fateor: hoc ſcio, temporibus Ottonis 4. & Friderici 2. Salinguerram Tau[illegible] Ducis tenuiſſe Ferrariam, ſed à vicinis Principibus conjunctis armis op[illegible] ptaque urbe Venetias fuiſſe relegatum, ut monachus Paduanus ab Urſi[illegible] lib. 1. & ex eo Sigonius lib. 18. de regno Italiæ. Meminit Wolffgangus Laz[illegible], de migratione gentium, cum annorum eſſet 80. Albertus Crancius Saxo[illegible] l[illegible]. 5, [illegible] 1[illegible]. & 35. it in omnia contraria, & quidem tanta confidentia, ut *diſſentientes ſommare* [illegible] Scribit Mathildam fuiſſe Germanam, Saxonici ſanguinis, è familia Wi[illegible] gni, Egberti primi, Saxonici Marchionis filiam, poſterioris per fraudem in [illegible] Eiſenbuttelenſi ad Ocrim fl. obtruncati, ſororem: cujus Germana fuer[illegible] Henrici Craſſi Comitis Northemii uxor, Lotharii Cæſaris ſocrus. Hanc [illegible] opinionem repetit lib. 7. cap. 33. inhiens Ottonem quartum Mathildæ patrimonium ſibi vendicaſſe, quod ejus, *amitæ* ſuæ, proximus eſſet heres, & illo jure non e[illegible] an[illegible] acalitis feudi rediret ad Imperium directum dominium. Metrop. lib. 7. cap. 38. & lib. 8. cap. 1. in eadem perſtat ſententia, & quidem primi libri octavi capite, Mathildam Ottonis *contribulem* vocat. Deceptus autem videtur à Chronico Saxonum vernaculo, cujus auctor affirmat, Egberti primi Saxonici Marchionis filiam alteram, cuidam Longobardorum regi in matrimonium traditam. Cum Crancio conſentit Jacobus Spigelius commentario ad nonum librum Ligurini Guntheri Poëtæ: conſentit Georgius Fabricius, Origin. Saxonicar. lib. 3. prolixiuſque eſt in Crancii ſententia [illegible]da, allegato etiam pro ſe Coſma Decano Pragenſi, rerum Boëmicar. ſcri[illegible] [illegible]us tamen Chronicon à Cl. Frehero amico olim noſtro editum, nihil hujusmodi [illegible]et. Errorem conjectura non dubia enatum ſuſpicor & propinqua conſangu[illegible]. Etenim una eademque Mathildæ Italæ & Ecberto Saxoni fuit avia, puta Gisela Auguſta, non illa, ut vulgo creditum fuit, alicujus Henetorum, ſive Herulorum Principis, ſed Hermanni primi, Suevorum Ducis filia. Nubſit hæc tribus ordine maritis, primo Brunoni Saxoniæ Marchioni, cui peperit Ludolfum Ecberti, quem diximus, parentem: Deinde Erneſto Duci Alemaniæ, in venatione ſagitta occiſo: tertio Conrado Salico Auguſto, qui ex ea parens factus Henrici 3. Cæſaris & Beatricis matris Mathildæ, de qua nobis ſermo. Quæ ut manifeſtiora fiant lectori, hoc ſchema addo.

Her-

Hermannus Dux Alemanniæ, ſive Sueviæ.

Gerbirgis filia Conradi Regis Burgundiæ.

[illegible] *marchio — Giſela — Conradus Salicus Imp.*
Saxoniæ.

Ludolfus marchio Saxoniæ. — *Beatrix uxor Thedaldi marchionis Italici* — *Henricus III. Imp.*

[illegible] *Imp.* — *Ecbertus I. marchio Saxoniæ.* — *Mathilda hæres paterni principatus.* — *Henricus IV. Imp.*

Egbertus Junior.

[illegible] la viril[illegible] ni mulier, *majoriſque audaciæ, quam ſexum iſtum dec[illegible]t*, ut Jo[illegible] us de Schiſ[illegible] ate [illegible] rte tertia cap. 7. imo *non diſpar antiquis Amazonibus*, ut [illegible] Malmesburienſis Anglus lib. 3. Pontificum Romanorum adverſus augu[illegible] Imp. H[illegible]ricu[illegible] 4. ejusque fil[illegible]um & ſucceſſorem Henricum 5. cognatio[illegible] ua poſthab[illegible] fidelis & indefeſſa adjutrix ac patrona: pro quibus etiam, [illegible]e, arm[illegible] f[illegible] perare & cum hoſte con[illegible]igere non dubitavit; unde per[illegible] r [illegible] ione U[illegible] *altera Debora* indig[illegible]tatur, ſcilicet *ſi parva li[illegible] recta*. Belligerandi provinciam, ut in ſe reciperet animoſius, impleretque [illegible] imol[illegible]vit e[illegible] fanaticus hierophanta [illegible] brandus, quippe qui, ut Leo[illegible] ſecundum epiſtol[illegible] perſcrib[illegible]t, crudelæ *mulieri in [illegible] peccatorum ſuorum præcepit, ut Henricum Imperatorem debellaret.* O tem[illegible] [illegible] blaſphemia eſt, ſi hæc non blaſphemia? Sed *nec deinceps potuit [illegible] compeſci muliebribus inſtincta furiis, ut pacem quam bellum mallet, & ut re[illegible] [illegible]m ad ultimum pene exterminium diſſipatis, conſulere vellet*, ut Waltramus [illegible] oratus.

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum, Lucretius.

[illegible] *ri Pontificis lateri pene comes individua adhæreret, eique, ubi ejus opera in[illegible] tanquam patri, vel domino, ſedulum exhiberet officium, non potuit evadere ince[illegible] [illegible]u picionem*, referente Lamberto Schafnab. ad annum 1077. cum quo conſentit [illegible] Antiſt[illegible] [illegible]mus, loco ſupra allegato, ubi de Gregorio loquens, *in[illegible]ter frequens cum Mathilda & famil[illegible]are colloquium genera[illegible]it plurimis ſcæva [illegible] ſcandalum.* Encomium Mathildæ, quæ m[illegible] & magn[illegible] brevi dicere vo[illegible] decad. [illegible] lib. 3. ſcribens: *Fuit glorioſiſſima omnium mulierum, quas nedum [illegible] quæcunque in ætatem noſtram ſucceſſerunt tempora tulere.* Vitam ejus teſte Ba[illegible] pſit rudi carmine infelix Poëtaſter Domnizo presbyter, homo obſcurus, [illegible] do quide[illegible] ccep[illegible]t qui[illegible] nedum legendo. D[illegible]atio Mathildæ præ[illegible] ſcr[illegible]ega in[illegible]it in annum 1077. quo, poſtpoſito Henrico 4. Imp. cujus [illegible] ae[illegible] & be[illegible]efici[illegible]ria, omnia ſua bona eccleſiæ Romanæ donavit, ut Baroni[illegible] laudat Leonem O[illegible]ſe[illegible] Epiſcopum, ſcriptorem ἀξιόπιστον, affirm[illegible]tem, [illegible]em factam *metu adventantis in Italiam exercitus Imperatorii*, datamq; ſedem [illegible] Lig[illegible] & [illegible] *indeque inprimis cauſſam ſeminandi inter Pontificem & [illegible] initium feciſſe.* G[illegible]defr[illegible] monachus ingenue ſcribit, *Mathildam decre[illegible] cum ventam a Papa, marchiam Anconitanam, Imperium attinentem, quam rege[illegible] [illegible]atibus & p[illegible]us in[illegible]ci[illegible]s & inconſultis, B. Petro tradidiſſe*, quæ verba re[illegible] Trithemius [illegible] ſaugenſi. De hac *qualicumque* (ut loqu[illegible] [illegible] Metrop. [illegible] 8. capite) *Donatione* ſcribit Aventinus anna[illegible] [illegible]rum lib. 6. *Æneas Sylvius qui eſt pius Pontifex, tradit Mathildam Ro[illegible] Epiſcopo teſtamento legaſſe, id, quod patrimonium Petri nominant, tumq; vox cœli[illegible] u[illegible]ta (uti à graviſſimis accepi Theologis) venenum melle litum fœminam propinaſſe Chriſtianis.* Quæ narratio ſi fidem meretur, videri poteſt alluſiſſe huc Divus Bernhardus ad Eugenium Papam lib. 3. cap. 1. de conſideratione ſcribens: *Nul-*

lus

lum gladium, nullum venenum tibi ita formido, ut libidinem dominandi. [illegible]
patrimonii ſui ſub Gregorio 7. factam, cum depe[illegible]itam Math[illegible]da co[illegible]
novum diploma anno 1102. renovatam, obtul[illegible]t Berna[illegible]do Cardi[illegible]
ſchalis Papæ legato. Flavius Blondus decadis 2. lib. 4. totum negoc[illegible]
vocat. Verba addam: *Mathildam Martinus* (Polonus) *& ipſum ſe*[illegible]*s*
multi, tradunt, Hetruriæ partem hinc à Piſcià agri Senenſis fin[illegible]*um torren*[illegible]
Quiricio dicti agri etiam finium opido, ad inferum mare Tybrimque, quam P[illegible]
S. Petri appellant, Pontificii & Romanæ eccleſiæ donaſſe. Hoſtiar[illegible]*, qui* [illegible]*æ*
apud Pontifices ejus temporis geſta ſunt, interfuit, & ad ſuperfluitatem mu[illegible]*,*
nullo loco meminit. Hæc ille. Verſatur præterea in controverſiâ & co[illegible]ó-
ne maleferiata hæc donatio apud Arnoldum Lubecenſem lib. 3. cap. [illegible]
Friderico Barbaroſſâ patrimonium Sanpetrinum Imperio, Lucio Pap[illegible]
næ vindicante. Verba ſcriptoris ſunt: *Tractabant inter ſe dominus P*[illegible]
rator de patrimonio Mechtildis matronæ nobiliſſimæ, quod Imperator in p[illegible]
bat, dicens, ab eadem Imperio collatum. Et è converſo Dominus Papa ſe[illegible]*cæ*
ab eâ donatum affirmabat. Cumque in argumentum probandi teſtamenti ex[illegible]
te privilegia porrigerentur, nullo fine cauſſa terminata eſt. Hactenus [illegible] quo
conſentit Crancius lib. 6. Saxoniæ cap. 47. his verbis utens: *Inde cœpi*[illegible] *Imperator*
tractare cum Pontifice ſuper patrimonio potentis per Italiam dominæ Math[illegible]*, quæ ſub*
Henricis Imperatoribus, patre & filio, multa faciebat pro eccleſiâ: & jam [illegible]
nis excedens, multa reliquerat eidem eccleſiæ poſſidenda, quæ Imperator a[illegible]
devocabat. Et paulò pòſt: *Diu tum cauſſâ inter Sacerdotium & Re*[illegible]
latâ, nihil concludi potuit, & ſine fine diſceſſere. &c. Apud R[illegible]m
Friſingenſem Canonicum lib. 2. cap. 3. Legati Pontificis terram M[illegible]
ſare Friderico repoſcunt, ſed fruſtra. Quam late patuerit S[illegible]
trimonium exacte definiri vix poterit. Sigonius lib. 9. de regno I[illegible]
Romanæ eccleſiæ à Mathilda donatam ditionem Lombardiæ & [illegible]
Oſtienſis Epiſcopus, à Baronio laudatus, Tuſciæ addit Liguriam, [illegible] 3. c[illegible]
iſta & quidem de alieno liberalitate, Mathilda tantum, ſi Diis plac[illegible]
ſuos conſecuta eſt, ut abſque prævia apotheoſi, ſive canonizatione, *San*[illegible]
Auguſtenſis: præterea *Filia ſancti Petri* nominaretur, videndus Bert[illegible]
ſtantienſis ad annum 1093. & 1097. Felix opido filia! cui divinitus d[illegible]tur
[illegible]ſim pauperrimi piſcatoris, beatos manes, poſt tot ſecula [illegible]
tare, & quidem ea in regione, in qua ille poſt infinitos ærumn[illegible]æ voc[illegible]
moleſtias & perſecutiones, temporibus immaniſſimi matricidæ & ty[illegible],
nemine commiſerante, cruci inverſo corpore, ut caput in [illegible], affixu[illegible]
felix autem legatarii conditio, cujus ſucceſſori & coheredi[illegible]m luculent[illegible] &
liberalis teſtatricis legato ſine contradictione uti frui non [illegible]it. Qu[illegible]
juris Juſtinianæi (ut hoc præteriens add[illegible]) bellorum ci[illegible]lium tempe[illegible]
ſeculis oppreſſi, auſpiciis Mathildæ, opera Werneri cujuſdam Juriſco[illegible]
Urſpergenſi abbate & Aventino lib. 6. referuntur, rectiùs tribuuntur [illegible]
[illegible]oni Auguſto. Is enim veterum Romanorum leges in Apuliâ re[illegible]
nis donavit, easque in Gymnaſio Bononienſi explicari, ac jus [illegible]
perio dici ſancivit, initium faciente Wernero, quem Itali Irnerium a[illegible]
ſilium Lotharii divinitus adjutum gubernatumque eque reipublicæ e[illegible]
iſſe, ſunt qui prædicant. Juſtus Lipſius centur[illegible]iſcell[illegible]ea, e[illegible]
an bono conſilio jus Juſtinianeum in vitam & uſum à Lothario revocatu[illegible]
eo ſeminarium ingeniis ad calumnias fraudeſque pan[illegible]*endas.* [illegible]
Mo[illegible]rum politicor. *Lotharii ſepulcro roſas & [illegible]lia denegat, quod reſtituti*[illegible]
civilis nihil niſi tricas & ſpinas ſeverit: fructum fuiſſe immodicam l[illegible]*tium ſegetem*[illegible]
quam maxima pars in Europâ occupata ſit. Obiit Mathilda 9. Kal. Auguſti [illegible]
ut Baronius: cum, Dominzone teſte, vixiſſet annos *ſexdecies, novem.* [illegible]
[illegible]erat ſeptuaginta ſex. Præſidebat tunc ſedi Romanæ Paſchalis ſecund[illegible]
[illegible]nachus Cluniacenſis, cui an legataria hereditas Mathildæ obvenerit, [illegible]
bitat, nec immeritò. Nam Urſpergenſis de obitu ejus agens, refert [illegible]
liâ nuncios ad defunctæ prædiorum terras ampliſſimas hereditario jure poſſidendas Caſa-

rem

functum cùm ad eccleſiam beati Blaſii deferretur ſepeliendum, requiſitum in exequiis [illegible] frater ejus Henricus, illuſtris Dux Saxoniæ, utrum factum fratris ratum [illegible] reſpondit, quòd omnia, quæ pro ſalute animæ ſuæ ſtatuiſſet, benivolo corde ſemper vellet habere rata & inconvulſa. Nos ergo, audito ejus conſenſu, uni[illegible] ſupra dicta præfatæ eccleſiæ ſub interminatione excommunicationis & Epiſcopa[illegible] ſententiam coram omnibus, qui ſepulturæ interfuerunt, ſolemniter confirm[illegible], ſtrictè præcipientes, ne quis de cetero ſæpe-dictam eccleſiam in eisdem bonis [illegible] moleſtare præſumat. Vnde nimirum hanc chartam in perpetuum robur & [illegible] eccleſiæ ſigillo noſtro communiri fecimus. Priori verò donationi & huic [illegible] monium veritatis interfuerunt, Fridericus abbas in Luttere, Otto Præpoſitus [illegible]nigen, GozVVinus Præpoſitus Novi operis in Halberſtadt, Lambertus P[illegible] R[illegible]dagshuſen, Conradus majoris eccleſiæ in Hildensheim Decanus, Conradus [illegible] Conradus Scholaſticus, Henricus de Joſſen, Magiſter Marſilius, Ambroſius de [illegible]k[illegible]berg. Laici autem, Comes Henricus de VVoldenberg, Luthardus de [illegible]ſen, Bernhardus de Hoſtinar, Gunzelinus Dapifer, Iordanus Dapif[illegible] & [illegible]nus filius ſuus, Bertramus de Veltum, VVillekinus Marſchalcus & [illegible]cus frater ſuus. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ 1218. [illegible] firmationi acceſſit altera Gregorii noni Pontificis Rom[illegible] 1227. qui Papatus primus. Zeverlingeburgum olim Gertrudis Ecber[illegible] xoniæ marchionis filiæ, fuit heredium, eoque ipſa ſe recepit, po[illegible] Imperatore conſobrino, Dancwerderoda per vim ejecta exſ[illegible] patrimonii inter Henrici Leonis filios anno 1203. Padebornæ facta c[illegible] Brunſuiga, in ditionem Ottonis pervenit, qui poſt annos decem ex voto [illegible] opportunitatem cœnobium ibi auſpicari, eique de poſſeſſionibus redit[illegible] abunde proſpicere inſtituit: quod cum propter belli civilis tumultus ex[illegible]tia confieri non poſſet, morti proximus bona ſemel Deo dicata d co[illegible]anum tranſtulit, anno 1213. Vetus nomen Zeverlingeburgi jampridem o[illegible]que eo hodie Vallum indigitatur, notionem ignoro. De anno Otto[illegible]em [illegible]ſentiunt plærique ſcriptores, eo ſcilicet, quem teſtamento appoſitum vid[illegible]e differentia eſt. Karolus Sigonius nominat 5. Kal. Maji, hoc eſt, 27. A[illegible] ſuffragantur Hieronymus Henningeſius, Elias Reuſnerus & Cyriacus Sp[illegible]us. Godefridus monachus habet Idus Maji, diem ſcilicet 15. Rectius Al[illegible]denſis nominat 14. Kal. Junii, qui eſt dies 19. Maji, quod exam[illegible] co[illegible]tiquitatibus San-Blaſianis, in quibus teſtamenti factio collocatur in 18. Ma[illegible]ſtridie mors inſecuta. Sepulcrum accepit Otto Brunſuigæ, in æde, ut [illegible] blaſiana, ubi cum parentibus & conjuge Beatrice commune ei poſitum Epitap[illegible]m aureis litteris tabulæ ligneæ inſcriptum hiſce verſibus:

Hic jacet Henricus quondam Dux, conditor hujus
Eccleſiæ, dignus nobilitate, pius.
Moribus ornata ſibi conjunx eſt ſociata,
Pauperibus larga, ſimplicitate bona;
Inclyta Mechtildis Anglorum filia regis.
Nutriat angelicis hos Deus ipſe cibis.
Adjacet optatus Rex horum ſanguine natus
Otto coronatus, vermibus eſca datus.
Hujus erat ſponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis, ante roſa.
Qui legis hæc metra, memor horum ſis peto. penſa,
Quid caro, quid vita, quid res, niſi mors, cinis, umbra.

Defuncti poſſeſſiones hereditarias, & quicquid poſt am[illegible]um imperium congregaverat, [illegible] Palatinus frater ſibi uſurpavit, Chro[illegible]n magnum Belgicum: nam terti[illegible] filius Wilhelmus ante ſexennium vita ceſſerat, relicto [illegible] filio Ottone impubere, qui fami-

[illegible] propagavit. Atque hæc ſunt, quæ de Ottonis Saxonis prima, eaque in con[illegible] deducta electione, præterea de altera, qua *Rex animoſus* (utor verbis Con[illegible] [illegible]is lib. de caſibus monaſterii San-gallenſis, cap. 8.) JUDICE DEO ELECTUS, [illegible] *quia in* [illegible] *ione prim habuit infirmum, coadunatis in electione Principibus, omnique tergi*[illegible] *actione poſtpoſita univerſaliter eligitur in Regem*: æmulo e medio ſublato, *indubitatus Im*[illegible]*ator*, C[illegible]cius Metrop. lib. 7. cap. 25. denique de injuſtiſſima ab Imperio remotio[illegible] & [illegible] ac tranquillo ex hac vita exceſſu, dicere habui, puram meramque in o[illegible] [illegible]u ſecutus veritatem. In prima electione nullum invenias ambitum, nullam [illegible]nem, nullos [illegible]umarios electores, nulla arma injuſte ſumta: nihil actum Pon[illegible] [illegible] pulſu, nihil extra vocationem & ordinem. In ſecunda omnia jure, more ma[illegible]tque legibus. Primordia regni fuere auſpicata, plena firmæ ſpei ſubſecu[illegible] [illegible]æ in toto Romano Imperio pacis tranquillitatis, omniumque rerum abun[illegible], [illegible] dextrum omen erat, quod aliquot annorum annonam cariſſimam dere[illegible] [illegible] nec opinata conſecuta eſt: reſpondiſſetque ſine dubio eventus, niſi Ate [illegible]rans, Al[illegible]ina, decantata illa Homerica pernicior magiſque oculata, Litis moram faci[illegible]entibus, totum hoc interpellaſſet: quod ipſum vix aliter ſperari potuit, *cum ſevera Im*[illegible] *citas Papali ſemper impugnetur invidia*, ut Fridericus 2. Imperator apud Petrum [illegible]s, lib. 1. cap. 31. Remotio ab Imperio indigniſſima fuit & iniquiſſima: ſpecta[illegible] [illegible]entiæ & tyrannidis Pontificiæ; uſurpantis ſibi indebitum in magiſtratum [illegible] imperium; evertentis pariter divinas ac humanas leges; fixum deſtina[illegible] [illegible]nimo habentis, *læva templum, dextrâ palatium tenere*, ut de Conſtantino Me[illegible] [illegible]eno Nicetas Choniates lib. 2. loquitur. Eſto autem aliqua in re deliquerit [illegible] tamen in modum corripiendus corrigendusque nequaquam fuit. *Ut e*[illegible] [illegible] *non eſt pœnam irrogare, ſed ſanare: ita Pontificem non punire, ſed curare delinquentes* [illegible] merius lib. 8. Quam verò implacabili pertinacique fuerit ingenio Inno[illegible] [illegible]dit Urſpergenſis, apud quem Thraſonice minitatur, *ablaturum ſe Philippo* [illegible] *ut illum ſibi in[illegible] gne Pontificium*. Quæ verba non manſuetum aliquem è ſyna[illegible] [illegible] diſcipulum, ſed ferocul cujusdam gladiatoris gregalem olent. Verum [illegible]us Ottoni, quod in eo ecclaſiaſtici optimates ſua opinione jure odiſſe [illegible] poterant, nimirum, quod eorum luxum, petulantiam, ambitionem & li[illegible] [illegible]renare, vitamque, quam agerent & mores, ad Apoſtolicam integritatem [illegible]e ſanctimoniam revocare: denique opes interdictas, *certiſſima iniquitatis in*[illegible]*nia, ſummique materiam mali*, adimere eis vellet: indubitate ex diſciplina avi ma[illegible] [illegible]rici 2. ſapientiſſimi Anglorum regis apud Guillermum Neubrigenſem re[illegible] Anglicar. lib. 3. cap. 25. dicentis: *Nonne melius eſt, ut pecunia iſta impendantur neceſſa*[illegible] *ne negotiis, quam in Epiſcoporum abſumantur deliciis? Noſtri enim temporis præſules vete*[illegible] *formam minime exprimunt: ſed circa officium remiſſi & languidi toto mundum brachiis* [illegible]*untur &c.* Aut parentis Henrici Leonis, qui ut Crancius Metropol. lib. 7. cap. 1. [illegible]*eus Epiſcopis rerum omnium tam latam ditionem, arbitrabatur adminiſtrationem rerum per provincias deberi Principibus, Epiſcopos autem ſolis curandis ſacris intendere oportere.* Sane de o[illegible]ibus malo auſpicio in eccleſiam illatis graviter hunc in modum diſſerit Joan. Ger[illegible], de concilio generali unius obed. *Bona temporalia reddiderunt Eccleſiam totam brutalem & carnalem, & nihil fere ſapientem de his, quæ Dei ſunt erga ſalutem animarum, non ex ſe quidem ſed abutentium vitio.* Hæc ille, Ottonis conſilium exponitur apud Guillermum Brito[illegible] [illegible]b. 10. Philippidos oratione in conventu Valenciniano apud Hannones habita, [illegible] partem ſubjiciam.

Clerum autem & Monachos, quos ſic exaltat amatque
Protegit & vigili defendit corde Philippus,
Aut occidamus aut deportemus oportet.
Sic tamen, ut pauci maneant, quibus arcta facultas
Sit ſatis, oblata tantummodo qui ſtipe vivant:
Villas & decimas majores miles habeto,
Et quibus eſt curæ Reſpublica, qui populos, qui
Pugnando faciunt in pace quieſcere clerum.

Illo quippe die, quo me diademate primum
Reddidit inſignem Patrum Pater Imperiali,
Hanc promulgavi legem, in ſcriptisque redactam,
Juſſi per totum ſervari firmiter orbem:
Eccleſiæ decimas oblataque munera tantum
Poſſideant, villas nobis & prædia linquant,
Vivat ut hinc populus habeatque ſtipendia miles.
Nunc quia lege mihi Clerus non paret in iſta,
Nonne gravare manum, nunquid non debeo magnas
Cum villis decimas illis auferre licenter?
Nunquid non poſſum legem ſuperaddere legi
Juditæ Karoli villas qui noluit illis
Tollere? ſi decimas ipſis tulit ille, mihi non
Villas cum decimis auferre licebit eiſdem?
Condere qui poſſum leges & jura novare,
Imperium ſolus teneo qui totius orbis.
Nonne licet nobis hac Clerum lege ligare,
Rebus ut oblatis contenti primitiisque
Jam diſcant humiles magis eſſe, minusque ſuperbi?
Quam ſatius, quam commodius, me jura novante,
Impiger hæc tam culta novalia miles habebit,
Et villas tot delitiis opibusque fluentes,
Quam genus hoc pigrum & fruges conſumere natum,
Otia quod ducit, quod tecto marcet & umbra,
Qui fruſtra vivunt, quorum labor omnis in hoc eſt,
Ut Baccho venerique vacent: quibus inflat obeſis
Crapula colla poris oneratque abdomine ventres.
Unde ego quamprimum prædicta in lege rebellis
Papa fuit nobis, Montem-Flaſconis Aquamque
Pendentem, Biteal, Radichofonis ardua ſancti
Quiriaci caſtrum, Biſterbica mœnia, Biccum,
Vicoſque innumeros, caſtellaque plurima, dives
Roma quibus circumvallatur, protinus ipſi
Fortior eripui, multoque potentior armis
Ipſo quæ teneo nolente diuque tenebo,
Quamvis imperium mihi ſupplantare laboret,
Præſumens noſtrum promittere jus Friderico.

Hactenus Oratio Ottonis, qui hujus ſuæ Reformationis [illegible] opulento illo & amplo Epiſcopatu Leodienſi in Belgico, ut collect[illegible] Belgici indicat. Agebat ibi Epiſcopum Hugo, n[illegible] natus proſa[illegible] magnanimus, ſed ſublatis & Arrogantis ingenii. Qu[illegible] cum concilio L[illegible] intereſſet, *prima die Synodi fertur ſedeſſe inter Prælatos habitu laicali, quaſi Comes, [illegible] & tunica de ſcarlaco, capellum viride habens in capite. Secunda vero die tanquam Du[illegible] in cappa manicata viridi, & tertia die tanquam Epiſcopus*, Idem c[illegible]lector, Hujuſcemodi [illegible]eres Epiſcopos, luxuria & laſcivia diffluentes, *paleas ſacri ordinis*, ut Guil. Neubrig[illegible] lib. 2. rerum Anglicar. cap. 16. *libentius prælatantes, quam prædicantes*, ut idem lib. 5. [illegible] 2. cum pii Imperatores Reges & principes, invitis tuerentur oculis, non potuerunt [illegible] miſcere, dolere & indignari, opes eccleſiaſticas, majoribus ſuis per re[illegible]tionem & hypocryſin extortas, tam turpi & ſacrilego abuſu prodigi & dilapidari. Neceſſe

[illegible] habuere, niſi Rempublicam, niſi patriam perditam proditamque vellent, [illegible] malo invaleſcenti adhi[illegible]dus ſeria[illegible] ſuſcipere curam. Qua in re ſuam e[illegible]m fidem & operam Fridericus Ottonis ſucceſſor deſiderari noluit. Sic enim apud [P]etrum d[e] [V]ineis lib. 1. Epiſtola 2. ſcribit: *Semper fuit noſtræ voluntatis, clericos cujuslibet [illegible] ad hoc inducere, & præcipue maximos, ut tales perſeverent in fine, quales fuerunt in ec[clesia pri]mitiva, apoſtolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales [illegible] clerici ſolebant angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare & [illegible] vita, non armis, ſibi reges & principes ſubjugare: at iſti inebriati deliciis Deum poſtponunt, [illegible] ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus ergo ſubtrahere divitias nocentes, [illegible] damnabiliter onerantur, opus eſt caritatis. Ad hoc vos principes una nobiſcum, ut cuncta ſu[perflua d]eponentes modicis rebus contenti ſoli Deo ſerviant, cui ſervimus omnia, omnē quam poteſtis [illegible] diligentiam adhibere &c.* Meminit Monachus Paduanus l. 2. his verbis: *Imperator [illegible] inflammatus proponebat eiſdem* (Pontificibus) *auferre juriſdictionem & poſ[ſeſſionem] [illegible] & caſtrorum, quibus ab Imperio erant ditati, & taliter volebat humiliare ſuper[bia]m [illegible] corum.* Saluberrimum mehercule, eque publicum futuro commodo propo[ſitum, n]iſi ſero nimis ſuſceptum fuiſſet, dominatu Pontificum jam fundato, potentia [illegible]ta: ad quam accedere quam proxime juraque ſplendorem & immunitates [illegible]pare voluerunt reliqui etiam per Germaniam Antiſtites, plærique imperioſis [illegible] amplis nati familiis. Qui omnes poſt Ottonē iniquiſſime diademate ac trabeâ au[illegible]iatum regnoque exſutum, cum Fridericum Siciliæ Regem ad Imperii gu[bernacula] evocaſſent, atque ille, vivo adhuc & valente legitime electo, uncto & conſe[crato] Cæſare Auguſto, extra vocationem atque ordinem, Pontificis impulſu, indebi[tum on]us in humeros recepiſſet inane dic[t]um quantis e[u]m implicarint difficul[tatibus], mactarint infortuniis ac damnis, objecerint vitæ periculis, onerarint probris [illegible]lis: quibus cum ſi conferas perſecutiones, injurias & moleſtias Ottoni con[illegible] multumque dixeris inferiores. Quam primum enim exemplo avi, pa[tris, a]nteceſſoris ſe accinxit ad jura Imperii deperdita recuperanda, labefactata re[illegible] leges & conſuetudines antiquatas revocandas: ad luxum, inſolentiam & [illegible] ſævientis cleri refrenandam: è veſtigio in eum inſurrexit inquietorum [illegible] conjuratorum colluvies. Quanquam autem animus meminiſſe horret, piæ[que] [illegible]s merito blaſphemias mecum abominantur, ne tamen, vel impietati patro[cinari vel] ſilentio veritati injuriam inferre videar, pauca ex multis producam eo fini, [ut cl]am fiat, quam indignam infelix Fridericus Papalis obſequii mercedem abſtule[rit. No]n enim ſatis [illegible] ſynagogæ malignantium, poſt enatas offenſiones, *in dubium [illegible] natales jactitantque impudenter, non genuinum ſed ſuppoſititium, non Cæſaris ſed vi[illegible] (ſive is [illegible] ſive mol[illegible], ſive a[illegible] ariui) filium eſſe,* Albertus Stadenſis [ad an.] 122[illegible]. Crancius Metropol. lib. 7. [c.] 38. A Gregorio 9. *[illegible] & fal[illegible] de cauſis, [illegible] judiciario ordine, d[illegible] devatum,* Urſpergenſis: *publice proclamatum diſcipulum [Mah]ometis,* Chron. Belgicum: *filium Satanæ, canem, præambulum Antichriſti,* Mutius l. 20, *[illegible] proſligata extremaque impietatis, quippe qui Chriſtum Moyſen & Mahametum tres [illegible] Baratores, ſive circulatores: quorum Moyſes Hebræos, Ieſus Chriſtianos, Mahametus [Sa]racenas ſeduxiſſet: quos ſtultos appellarit, quotquot Chriſtum de virgine natum credant,* Gobe[lin]us ætatis 6. c. 62. Chron Auguſtenſe apud Freherum, Compilatio Chronologica ad [an.] 1248. Albericus Monachus trium fontium. In conciliabulo univerſali Lug[duni] Galliæ coacto ab Innocentio papa, *nullo modo auditis admiſſiſque pænitentia, aliis[que] [illegible] quas per legatos offerebat,* Collenutius Hiſtor. Neapol. lib. 4. *non ſine omnium audi[illegible] circumſtantium ſtupore & horrore* (vibrantia ſunt Matthæi Pariſii verba) iterum [illegible] excommunicationis innodatus & abſtentus redditus, principes Imperii à ju[ramento] fidelitatis abſoluti alium Cæſarem eligere juſſi ſunt. Formula excommu[nicationis] ſpurciſſima, [illegible] figmentorum, portentis calumniarum criminationum[que] [illegible]andarum, plenissimum, legitur 6. Decret. lib. 2. tit. 14. mutilum tamen; inte[gram] [illegible] vetuſto quodam libro [illegible] Simon Schardius operi epiſtolarum Petri de [Vineis]. [H]abet idem Eccleſia[illegible] Hiſtoria Magdeburg. centuria 13. cap. 9. de Syno[dis], [illegible] Matthæus Paris [in hiſtoria] majore. *Quo fulmine per orbem Chriſtianum divul[gato], quidam [illegible] reclamarunt, dicentes, ad Papam non pertinere, Impera[torem], vel inſtituere vel deſtituere [illegible] a Principibus coronare,* Alb. Stadenſ. ad an. 1245.

Etſi

Digitized by Google

Etſi autem Innocentius [illegible] in hac Pſeudoſynodo Stentorea voce [illegible] & inauditum Imperatorem, hæreſeos, ſacrilegii perjurii, contumaciæ aliorumque enormium delictorum accuſarit, atque hoc nomine excommunicatum Imperio exuerit, alias tamen violentæ iſtius animadverſionis cauſſ[illegible]s refert Co[illegible] dicto, nempe, *quod Imperator de Pontificiis nimis vera prædicarit, multaq́; in eorum moribus, totaq́; illa apoſtolica vita deſiderarit: aut quod Imperii jura acrius defenderit: aut denique [illegible]uod nimis in Italia potens contra quam voluiſſent, fuerit.* Quem locum tanti fecit Wol[illegible] JCtus, etſi Pontificius, ut nondum exſtante Joan. Nicolai Stupani Rheti verſione, ipſe ex Italico translatum, ſuis in Cuſpinianum annotationibus verbatim inſeruerit. Id [illegible] Collenutius utut cenſuram ſumere ſibi nolit, hoc tamen, quod ſequitur, de Fr[illegible] [illegible]ſtolis pronunciare non dubitat. *Ego ſane,* inquit, *multas Friderici epiſtolas, quæ [illegible] vidi atque legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Chriſtiani orbis Principes, privatas [illegible] etiam perſonas exaratas, ſed nihil in eis deprehendi contra fidei noſtræ regulam, nihil hæ[illegible] nihil denique quod aliquam Eccleſiæ oppreſſionem aut contumaciam ea redoleat. Sunt [illegible] iis multæ querelæ, lamentationes, admonitiones, de avaritia & ambitione ſacerdotum, [illegible] eis pertinacia, qui ſuas excuſationes & Imperii defenſionem audire nolit, deque iis [illegible] [illegible] ſtruerentur.* Hactenus Collenutius, JCtus & eques Ferrarienſis de Friderico I[illegible] [illegible]jus hiſtoria fidem facit regulæ lib. Sapientiæ cap. 11, verſu 15 Δι' ὧν τις ἁμαρτάνει [illegible] καὶ παιδεύεται. *Per quæ quis peccat, per eadem punitur,* Cui reſpondet illud Senecæ:

Quod quiſque fecit patitur: auctorem ſcelus
Repetit: ſuoque premitur exemplo nocens.

Sed priuſquam huic apologiæ faſtigium imponam, dicendum aliquid [illegible] mon[illegible] Ottonis, de quo apud ſcriptores nonnihil diſcrepantiæ, & adverſariis nata [illegible] di cauſſa & occaſio. Duas fuiſſe [illegible] conjuges

* De duabus uxoribus Ottonis, Maria, & Beatrice, neceſſario ali[illegible] dum mihi eſt; unum majoris momenti, de *Maria*, alterum m[illegible]ris, [illegible] *riam* ab *Ottone* domum non ductam, ſuos ſecutus auctores, ſcribit [illegible] Verum tamen apud inſignem antiquitatis Saxonicæ ſcrutatorem *Hoffmannum* [illegible] ab Ottone & uxore ejus, quæ vocatur *Maria Dei gratia Romanorum Imp[illegible] er Auguſta.* Diploma ipſum, quoquo anno datum ſit, non p[illegible] [illegible]rum eximii illius & amiciſſimi viri obitum exhibere, ſigilla t[illegible] ap[illegible] [illegible] & *Maria*, ære expreſſa, hic appono. Neque vero pro[illegible]le videtur, [illegible] norem habitum, & hunc titulum indultum, ſi deſponſata tantum Mari[illegible] mum ducta fuiſſet. De Beatrice aliquid peculiare obſervat *Cæſar* [illegible] nealogia Auſtriaca, ſcilicet, ductam quidem Ottoni unam ex Phi[illegible] lam vero non vocatam fuiſſe Beatricem, Sed Beatricem [illegible]rdinandi [illegible] Regis uxorem factam: *Id verum eſſe,* inquit, *Princeps Hiſtoriographus Hieron[illegible] in Arragonicis Annalibus, tum Iohannes Mariana, poſtremo Conſalvus Illeſcas in [illegible] tificia præſtiterit. Germannos nonnullos, qui aliter ſcripſerunt, hoc in errorem induxit, quod plures Philippo filias fuiſſe neſciverunt.* Neque vero *Otto de S. Blaſio* cap. 5[illegible] *Arnold. Lubecenſ.* lib. 7. cap. 18. dum de hac deſponſatione pluribus agunt, no[illegible] d[illegible]n[illegible]. affirmant omnes: ex his Mariam Ducis Brabantiæ Henrici filiam ſibi d[illegible] 1199. [illegible] diſertim Godefridus monachus, veruntamen domum non du[illegible], q[illegible] curo bello civili impediretur. Minime vero pr[illegible] conſanguinitatẽ [illegible]m [illegible] ut ex Urſpergenſi Cuſpinianus, & ex eo alii. Philippo Cæſare trucidato [illegible] cipum Imperii filiæ ejus Beatrici matrimo[illegible] quod cum fieret, vix illa erat annorum 12. idipſum ſic colligo. Irene [illegible] Byzantini F. Rogerii ultimi ex familia Normandica Siciliæ r[illegible], re-ctius, ſponſa de voluntate Henrici VI. Imper[illegible] 1196. die Pent[illegible], ut expreſſe Otto de S. Blaſio cap. 44. connubio juncta [illegible]ppo Duci S[illegible], cui ſi proxime in ſequenti peperit Beatricem primogen[illegible], erat illa d[illegible] tempore annorum, ut dixi, duodecim, non plurium, jugal[illegible] ig[illegible] torum [illegible] non potuit. Et abſque hoc fuiſſet, præpedimento erat profectio Ita[illegible]a, ob cauſſas [illegible] maturanda. Redux in patriam Otto anno 1214. Northu[illegible] ſplendido apparatu & magnificentia cum Beatrice jam annorum ſed[illegible] puella celebravit nuptias, verum proh dolor! admodum inauſpicatas, nova nupta intra dies *quatuordecim*, ut Chronicon Saxon.

Saxon. vernaculum & aliud rithmis contextum: *quatuor*, ut Godefridus monachus, Trithemius, Mutius & alii, fato functâ, unde malevolis immane quanta calumniandi obvenerit occaſio. Sed audiamus hîc Mutium lib. 19. differentem. *Suſpiciabantur*, inquit, *alii aliam mortis cauſſam fuiſſe: quidam dicebant virginem non inventam: quidam concubinas magis Imperatori placuiſſe: fuerunt, qui putabant, per pellices veneno ſublatam, non conſcio Imperatore. Inimici & Pontificii palam dicebant, per Imperatorem illi venenum datum.* En ſiniſtra judicia proclivesque ad calumniandum animos! Inimici Ottonis, Pontificii ſatellites αὐτολήκυτοι, qui aliter poſſent, aut vellent pronunciare? Spangenbergius hiſtoriæ Saxonicæ cap. 246. ſcribit, fuiſſe quos offenderit tarditas & procraſtinatio nuptiarum. Verba ejus lingua vernacula ſunt hujusmodi: Es hatte ein böſe anſehen/ daß er das Beylager mit einem ſo Edlen und (wie in Hiſtorien gemeldet wird) ſchönen Frewlein/ ſo lange auffgezogen/ und doch gleichwol andere beyſchleſſerin mit ſich geſchleppet. Hæc ille: certum non habeo, an tam vere, quam libere & audacter. *Non eſt judicare ſed calumniari, ſi quis rem ignotam rapit in pejorem partem*, Mutius lib. 19. cauſſas dilati matrimonii bonis & à ſuſpicione vacuis animis ſatisfacturas indicavimus. Unde vero infelici novæ nuptæ tam repentinus, non atramento, ſed lacrymis ſcribendus ex hac vita diſceſſus, *Deus qui profunda mentesque perſcrutatur, earumque calliditates pervidet*, Eccleſ. cap. 42. verſ. 18. *qui cor perſcrutatur & renes explorat.* Jerem. 17. cap. verſ. 10. novit omnium optime. De Ottone ſuſpicari ſiniſtre nihil poſſum, & quam ille tam nefarii facinoris habuiſſet cauſſam? Si abhorrebat ab ea, refugium erat ad divortium, iſto ævo valde frequens & uſitatum, quæſito prætextu, vel à ſterilitate, vel à cognatione nimium propinqua. Exemplo fuiſſet parens Henricus Leo, ejuſque conſobrinus Fridericus Barbaroſſa Auguſtus. Neque aſſequor, quomodo meliori Otto eſſe potuiſſet conditione Beatrice defuncta, quam vivente, reſidua tum adhuc aliqua ſpe Imperii retinendi, quæ à tam ſuſpecto innocentis adoleſcentulæ obitu prorſus concideret atque evaneſceret. Quæ de pellicibus, ſive concubinis ſatis inverecunde odioſeque tam à Mutio, quam Spangenbergio ingeruntur, ceu conficta & ementita, jure meritoque averſor & explodo. Perſancte enim affirmo, cum omnes ævi iſtius cum propinquorum temporum ſcriptores, tam domeſticos, quam exteros, editos & ineditos, diligenter inquiſiverim, attente & curioſe pellegerim, nihil tamen horum de Ottone oblatum mihi fuiſſe. Neque ille ſic notus, ut magnorum indignus avorum, auguſtiſſimos ſacri Imperii faſces, per illuſtre gentis Germanicæ nomen, & continuatam fundatiſſimæ familiæ ſplendorem, tam turpi probro contaminare ſuſtinuerit. Norat *animo per libidines corrupto nihil honeſtum ineſſe. A religioſiſſima ſummæque pietatis & caſti pudoris decus enixe conſervante matre* Mathilda Henrici Angliæ regis filia *exemplo Tobiæ ab infantia. Deum timere edoctus eſt*, ut oculatus pariterque religioſus & integer teſtis Arnoldus, ex monacho Sanct. Ægidiano Brunſuicenſi primus Lubecenſis abbas lib. 2. cap. 2. Adoleſcens pro laudabili iſtius ſeculi conſuetudine traditus eſt in diſciplinam eccleſiaſtici hominibus, in quorum contubernio pietati & bonis litteris operam navavit diligentem: unde factum, quod de eo prædicantem audivimus Sigfridum Hildensheimenſem Epiſcopum ut DEUM SEMPER PRÆ OCULIS HABUERIT. Occaſione exſilii parentum deductus in Gallias vixit apud avunculum Richardum Comitem Pictavienſem, *virum magnæ probitatis*, ut Robertus de Monte. Qui haut multo poſt regno Angliæ potitus tantopere Ottonem dilexit, ut duos potentes & amplos Comitatus, Pictavienſem in Aquitania Galliæ provincia, Eboracenſem apud Brigantes in Anglia, hereditario jure poſſidendos vivus, valensque ei donarit; præterea duas partes theſaurorum ſuorum cum omnibus *exeniis* & *baubellis* (verba ſunt ſcriptoris Anglici) ex vulnere lethaliter decumbens teſtamento legarit: denique vehementer in eo laborarit ut Wilhelmi Scotorum regis filiæ Margaritæ matrimonium ei conciliaret, cum indubitata ſpe conſequendi regni. Cui quidem rei Scotus conſenſerat conditionibus matrimonii in tabulas relatis, verum ex primoribus regni quidam, Patricius nomine, interceſſit, jactitans, ſuperſtitibus adhuc agnatis, per leges patrias extraneum ad regnum admitti non poſſe. Neque multo poſt regina altero partu enixa eſt filium. Sic igitur Otto bene natus, ingenueque & liberaliter educatus, habens etiam cujus *cerneret facta* quemque *primis admiraretur ab annis*, non potuit non εὐφυΐας, inſitam naturæ bonitatem, doctrina exem-

pliſque roborare & promovere, duce etiam & auſpice ſincera erga Deum pietate ab omni immunditia vagiſque libidinibus ſe abſtinere. Eſt igitur hæc nova innocenti principi impoſita contumelia ejuſdem gregis & conditionis cum ſuperioribus, mera videlicet συκοφαντία, ipſiſſima falſimonia, nata in animis ſuſpicioſis, malevolis, ſuo ex ingenio alios æſtimantibus, jure meritoque cum architecto ſuo exſibilanda. Biennio poſt immaturum Beatricis obitum Otto ad primos amores ſe revocavit, ducta Maria Brabantina, quæ, ut ex teſtamento apparet, marito ſuperſtes fuit, acceptoque à Leviro Henrico Saxoniæ Duci & Rheni Palatino, nomine donationis propter nuptias, certa argenti ſummâ legatisque in teſtamento expreſſis, in Belgicum ad ſuos rediit, poſt obitum ſepulturæ tradita Lovanii in æde Sanpetrinâ prope Mauſoleum matris Mathildæ Comitis Bolonienſis, ut Chronicon Belgicum. Nihil liberorum ex hac conjuge tulit Otto, longeque falſus eſt Elias Reuſnerus tribuens ei duas filias, Helenam ſive Mathildam, Uxorem Alberti primi, Ducis Saxoniæ, & Mariam Waldemaro Sleſuicenſium principi maritatam. Contradicunt aperte annales noſtrates antiqui, ex quibus conſtat Alberti Saxoniæ Ducis conjugem, non Ottonis Imperatoris, ſed ejus ex Wilhelmo fratre nepotis, Ottonis pueri, primi Brunſuicenſium Ducis, filiam fuiſſe. Woldemaro Duci Sleſuicenſi, non ſuam, ſed fratris Henrici Comitis Palatini filiam, deſpondit quidem Otto Imp. ſed domũ deducta non fuit: nubſit enim Waldemaro Margarita, nata ex regio Boëmorum ſanguine, qua defuncta duxit Berengariam Flandricam. Crancius omnem tollens dubitationem Saxon. lib. 9. cap. 21. diſertim affirmat Ottonem ſine prole defunctum. Verum antequam recentui canam, ne quid prætermittatur, paucis refellendus venit Joannes Trithemius Chronico Hirſaugienſi ad annum 1214. Ottoni *impingens tenacitatem, quæ cauſſa fuerit, ut multi eum reliquerint*. Indignum eſt, fateor, regibus & principibus hoc vitium: convenit eis magis beneficentia ac liberalitas, nunquam ab hoc faſtigio abjungenda. *Quemadmodum enim ne Sol quidem deſideratur, niſi radios ſuos & terræ & hominibus & omnibus animantibus impertiat, ita nec Princeps vere imperabit, niſi civibus ſuis benefecerit. Qui vero tenax eſt & strictus ad largiendum, ſimulacrum regni tractat, non regnum*, Pachym. lib. 3. Verum liberalitas iſta exercenda ſic erit, ut modus teneatur, qui ſi abſit, facile illa in exitium vertetur, inque perniciem proruet, & liberalitate libertas peribit. Dandum omnino cum modo, ne ſi ærarium exhauſtum fuerit, per ſcelera ſupplendum ſit, alieniſque bonis manus afferendæ, ut ex publico parente fiat βασιλεὺς δημοβόρος. Inceſſerat corruptis & contaminatis Ottonis temporibus mos perquam vitioſus, ſed qui inſequentibus annis magis invaluit, nempe, ut novi Reges, ſive Cæſares, ſuis electoribus gratitudinis ergo honorarium ſe dignum offerre tenerentur. Videndus ea de re ἀνώνυμος ſcriptor hiſtoriæ Slavicæ apud Erpoldum Lindenbrogium, de Richardo Cornubiæ in Anglia principe, deſignato Romanorum Rege, cujus inſanam prodigalitatem, ut & principum Germaniæ avaritiam admodum ſalſe auctor perſtringit. Notus etiam de eodem verſus:

Numus ait pro me nubit Cornubia Romæ.

Fecit Otto, quod neceſſum erat, fortaſſis etiam liberaliter, non tamen ut Imperium mercaretur, id enim ei jam in manibus, ſed ut mori & tempori, quod in ſapientiæ partem numeratur, inſerviret. Teſtimonium rei perhibet Chronicon Halberſtadenſe MSC. verbis ſequentibus: *Otto electus Imperator avunculo ſuo Anglorum Regi pro pecuniâ Comiciâ ſuâ datâ, Electoribus quod ſitierant erogavit.* Rerum Anglicarum ſcriptores venditionis nullam faciunt mentionem: exportatam ex Angliâ in Germaniam ingentem pecuniæ vim non diſſimulant, uti nec noſtrates. Videndi Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 17. Robertus de Monte ad annum 1207. Godefridus Monachus ad annum 1206. Tenacitas Ottonis ab aliis præterita, & à ſolo Trithemio indicata, fidem facit, quicquid hujus eſt accuſationis, ab ordine eccleſiaſtico profluxiſſe. Tanta enim ejus & tam inſatiabilis fuit πλεονεξία & avaritia, ut etiam profusè liberales principes offenderit. Illuſtre notatuque dignum exemplum eſt apud auctorem vitæ Meinwerci Epiſcopi, Paderbornenſis, bonorum Reipublicæ hirudinis, qui cùm ab Henrico Secundo Imperatore, quem Sanctum indigitamus, nonnulla opima diverſis in locis prædia, interceſſorum illuſtrium, more iſtius ſeculi, comitate adjutus, eblandiendo extorſiſſet, neque illis contentus Piſas Weſtvalicas (incolæ diœceſis Paderbornenſis, cujus municipium eſt, patrio ſermone Erwitte vocant)

cant) inverecundè admodum donari ſibi peteret ac impetraret, Cæſar Henricus, quem dixi, homini importuno *cum exprobatione aſſidua in regni detrimentum ſpoliationis*, *averſo vultu* ODIUM DEI ET HOMINUM IMPRECATUS EST, nec injuriâ. Quis enim mortalium ferat? quis non execretur eum, qui amicum ſimulans hoſtem agat? benefactorem improvidum Sinoniis artibus & inobſervatâ fraude ad iniquas, legibusque juxtà divinis & humanis interdictas largitiones inducat; rerum dominos nervis Imperii adminiſtrandi privatos ſuſtinendo oneri publico impares reddat, adeoque in contemtum præcipitet: ſibi verò ipſi impudenti ſacrilegio infamiam & æternum attrahat exitium? Sed quid his immoror? Abſolvit Ottonem à tenacitatis probro priſcus canusque teſtis, ævi nimirum ſimplicis & ab omni ſimulatione alieni, cujus verba initio hujus ſcripti recitavi: abſolvunt cumulatè diplomata admodum multa, à me viſa, lecta, quibus eccleſiaſticis perſonis, puta Canonicorum, cœnobitarum & ſanctimonialium collegiis & ſodalitatibus multa de ſuo largitur: donata ab aliis auctoritate publicâ vel confirmat, vel auget, vel contra iniquorum violentiam communit, ſubinde teſtatum faciens, ſui id eſſe officii, neque aliam ob cauſſam in faſtigium eminentiæ dignitatisque regiæ divinitus collocatum.

Atque hactenus, quæ inſtar apologiæ criminationibus & maledictis, quibus præter meritum innocentem Principem nonnulli onerarunt, opponere viſum fuit. Illuſtriſſimi Herois Hermanni Billingii, imperioſarum aliquot familiarum in Saxoniâ, quà maternum genus, conditoris feliciſſimi, velut in anteceſſum, natales generoſos, rem etiam ante principatum ſatis lautam, contra veterum quorundam ſcriptorum ψευδολογίας, à recentioribus plerisque cœco judicio approbatas, conquiſitis rationibus maſculo animo & cum fide vindicavi, apud eruditos & intelligentes, ut mihi perſuadeo, illique publicè teſtantur, laudem conſecutus ſempiternam. Altera opera tribuenda venit Ottoni Auguſto (cujus proavia Wolffhildis Hermanni Billingii abneptis fuit) & quidem eò libentiùs, cupidius & fuſius, quò atrocioribus ille verberatus injuriis, laceratus & proſciſſus conviciis. Spero autem bonorum calculis inſtituto meo ſatisfactum, calumnias abſterſas, infamiam eliſam, ſuſpicionum nebulas diſſipatas, maledicentium ora obturata, ſtilumque effrenem hebetatum. Orationis affabrè expoliendæ rationem habere non licuit, quòd verbis aliunde petitis, iisque illotis, ſuumque ſeculum redolentibus, utendum eſſet, ſententiæ narrationesque integræ diverſorum auctorum majoris fidei, evidentiæ, firmitatisque cauſſa, non niſi ex promiſſo inſerendæ venirent. Reſtat ſecundùm hæc, ut Henrico Leoni, principum ſui ſeculi principi, ſimilem pro copia mea navem operam, viſurus quid proterva & petulans calumniantium libido in hunc etiam ſibi ſumſerit, quæ probra ingerere, quæ facere convitia non dubitarit. Qui ſi omnes abeſſent, unus fortaſſis ſufficeret Saxo Sialandicus, quo nemo acerbiùs virulentum calamum adverſus Leonem ſtrinxit, ut in eo recognoſcas Timæum Siculum, qui ob nimium reprehendendi inſectandique cacoëthes Ἐπιτιμαῖος nuncupari meruit, ut Suidas. Sed iſti logodædalo nugatori, cum Deo bene juvante, non pro Leone tantum, ſed & Friderico Ænobarbo, Cæſare, quem non minus contumelioſè inſectatus eſt, reſpondebo. Cui verò ille pepercerit, qui Germanos, quibus non tantum Daniâ, ſed totus Septentrio primordia religionis Chriſtianæ omnemque doctrinam & humanitatem merito acceptam refert, *barbaros* vocare, qui *Saxones plærumque temeritate niti, cunctaque promtius, quam prudentius exequi* non verecundatus eſt palàm affirmare? Sed de hiſce ſingulis ſuo loco, nunc coronidis vice Cuſpiniani de Ottone diſticho, ſuprà recitato, reponam noſtrum, ſi non melioris monetæ, ſaltim indubitatæ veritatis. Eſt autem hoc:

Expulit è regno rabies Papalis Ottonem,
Qui patriæ nunquam noluit eſſe pater:
Imperioque datam temerare fidem generoſus
Abnegat, hinc Italâ fraude doloque perit.

Plautus.

Ego verum amo, verum volo mihi dici:
mendacem odi.

LECTOR CANDIDE.

EXcusâ noſtrâ pro Divo Ottone Auguſto Apologiâ, in mentem venit mihi prolixius de te mereri, annexa ad finem geminâ appendice. Prima adfert tibi aliquot Ottonis Diplomata, hiſtoriam ejus haut parum illuſtratum, noſtrasq; aſſertiones firmatum euntia. Altera appendix eſt relectio apologiæ, nonnulla à me, haut tamen volenti animo, præterita poſtliminio adferens. φιλαρχαῖοι *patriarumque antiquitatum cupiditate flagrantes operam meam gratam acceptamque habeant.*

DIPLOMATA

OTTONIS IV. IMP.

AUGUSTI.

I. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus Dei gratiâ Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Ad hoc nos divinitate propitiâ ad faſtigium Regalis dignitatis credimus eſſe promotos, ut eccleſias Dei gladio acceptæ poteſtatis à violentorum oppreſſione defenſando tueamur, eas præſertim, quas ſub patronatu & defenſione piæ memoriæ patris noſtri poſitas arctius & familiarius nobis conſtat eſſe obligatas. Unde nos univerſitati fidelium conſtare volumus, quod nos dilectum cœnobium noſtrum in Riddageshuſen ſub defenſionis noſtræ patrocinium ſuſcipientes, Regali autoritate noſtrâ diſtrictè prohibemus, ne aliquis ejusdè cœnobii terminos, in pratis, paſcuis & ſilvis invadere, imminuere, convellere & immutare præſumat. Quod ſi quis præſumſerit, gratiæ noſtræ offenſam ſe noverit incurſurum, quia omnes terminos, quos idem cœnobium ſub patris noſtri protectione quietè poſſedit, integros ei in perpetuum conſtare decernimus. Porro ut hoc ratum & inconvulſum inpoſterum perſeveret, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri & idoneorum teſtium ſubſcriptione roborari, quorum nomina ſunt hæc: Borchardus Præpoſitus de S. Blaſio, Walterus de Bald[illegible]ſele, Conradus de Hagene, Baldewinus advocatus, Baſilius de Oſterode, Anno de Blanckenborg. Actum ab incarnatione Domini anno MCXCVIII.

II. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratiâ Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, univerſis Chriſti fidelibus. Conſtare volumus univerſit[illegible] veſtræ, quod nos cum conſenſu fratrum noſtrorum, pro remedio animæ noſtræ, contulimus cœnobio noſtro in Riddageshuſen proprietatem octo manſorum in Soltdalem, cum adjacente ſilvâ & omnibus attinentiis ſuis, quos Ludolfus mi[illegible]s noſter à nobis jure beneficii poſſedit. Ut autem hæc noſtra donatio rata & in perpetuum inconvlſa perſeveret, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione & idoneorum teſtium ſubſcriptione roboravimus, diſtrictiſſimè prohibentes ſ[illegible] obtentu gratiæ noſtræ, ne quis hanc donationem noſtram convellere, mutare, aut imminuere aliquatenus præſumat. Teſtes autem hi ſunt: Ludolfus Dapifer de Esbeke & frater ſuus Baldewinus, Ludolfus de Bordfelde, Eilardus de Oberge, Walterus de Baldenſele, Luthardus de Meinerſen, Fridericus Marſchalcus, Herwicus de Scoune, Otto de Luneborg, Olricus de Smedenſtede. Acta autem ſunt hæc ab incarnatione Domini MCCIII. anno autem regni noſtri V.

III. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratiâ Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, univerſis fidelibus ſuis gratiam ſuam & omne bonum. Fidelitati veſtræ conſtare volumus, quod nos ſex manſos in Maſcerot, cum adjacenti ſilvâ,

quæ

quæ dicitur Coloholt, & cum omnibus reliquis pertinentiis ſuis, cum conſenſu duorum fratrum noſtrorum, eccleſiæ in Riddageshuſen pretio ſexaginta ſex marcarum vendidimus. Porro ut hujus noſtræ venditionis contractus ratus & inconvulſus perſeveret in perpetuum, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione communiri fecimus, & idoneorum teſtium ſubſcriptione roboravimus, quorum nomina ſunt hæc: Henricus Dux Saxoniæ & Comes Palatinus Reni, Bernhardus Comes de Wilepe, Luthardus de Meinerſen, Ludolphus de Esbeke, Eckebertus de Wulferbutle, Walter[illegible] de Ganderſem, Godefridus de Summerſenborg, Bertholdus de Bornem. Acta ſunt hæc ab incarnatione Domini MCCIIII. anno regni noſtri VI.

I[illegible] nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Roma- IV. norum Rex & ſemper Auguſtus. Regiæ majeſtatis decet celſitudinem omnium eccl[illegible]m utilitatibus invigilare & earum paupertatem in meliorem ſtatum refor[illegible]. Qua propter notum facimus, tam præſentibus, quàm futuri temporis Chriſti fid[illegible], quod nos de conſenſu fratrum S. Cyriaci in Brunſwick, duos manſos in [illegible] quæ dicitur Tueluen, attinentes jam dicto S. Cyriaco & fratribus, eccleſiæ ad fon[illegible] S. Mariæ, quæ antiquitus dicebatur Mortdal, auctoritate Regali liberaliter & [illegible]ere donavimus. Ut igitur hæc noſtra donatio rata ſtabiliſque omni ævo permaneat, & ne per nos aut ſucceſſores noſtros infringatur, præſentis ſcripti firmamento & ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt: Albertus Abb[illegible]s S. Egidii. Volbertus Præpoſitus S. Cyriaci, Rodolfus Decanus & fratres ſui, H[illegible]ri[illegible] Sacerdos, Conradus Sacerdos, Wernerus Diaconus, Volmarus, Ludolphus, H[illegible]rwicus, Bertramus, Bertoldus, Anno S. Blaſii Canonicus, & alii quam plures. [illegible]ctum anno Dominicæ incarnationis MCCIIII. regni noſtri ſeptimo. Datum per [illegible]m Stephani notarii noſtri, majoris eccleſiæ Mindenſis Canonici, & in inſulâ & S[illegible]ti feliciter.

IN no[illegible]ine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Divina favente clementia Otto quartus V. Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Imperialem decet munificentiam [illegible]m vitam profeſſis, in iis, quæ ad utilitatem eccleſiarum pertinent, ſuum præſtare [illegible]bſidium, ne cujuslibet temeritatis incurſu indebitè patiantur detrimentum. Ea[illegible]opter in propoſito habentes, non ſolū ea, quæ à Divis anteceſſoribus noſtris Imperato[illegible]us pro eccleſiis ſunt utiliter ordinata ſervare, ſed & ſi quid minus actū eſt, prout [illegible]etimus & potuerimus, ſupplere, ob reverentiam intemeratæ Domini genetricis [illegible], venerabile ac dilectum noſtrum monaſterium in Porta ordinis Ciſtertienſis, cum omnibus hominibus & poſſeſſionibus, quas in præſentiarum canonicè poſſidet & in futurum juſtis modis, procurante Domino, poterit adipiſci, in noſtram & Im[illegible]ii protectionem & ſpeciale patrocinium ſuſcipimus, Imperiali auctoritate confir[illegible] eidem monaſterio poſſeſſiones, cum omnibus ſuis pertinentiis, in quibus hæc [illegible] exprimenda duximus vocabulis: Locum ipſum, in quo præfatum monaſte[illegible]m eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis: grangias, ſcilicet, de Cuſne, cum [illegible]tiis ſuis: aliam quæ vocatur Wentzendorff: aliam quæ voca[illegible]kelau: aliam quæ vocatur Borſchendorff: aliam quæ vocatur Sco[illegible]ummelſtede, cum molendino & cum adjacente vinea. Inſuper vineas, quas [illegible] Wentzendorff grandiæ ſupraſcriptæ cum molendino, piſcatione, fruteto & [illegible] Præterea aliam grangiam quæ vocatur Gernſtede cum adjacente vinea & ca[illegible]ratis: prædia in Krenewitz: aliam quæ dicitur Hechendorff cum adjacente [illegible] & cum ſilva & adjacente vinea: Grangiam quæ dicitur Osforte cum piſcatione [illegible] quæ dicitur Unſtruta: aliam quæ dicitur Lepitz cum molendino adjacente & [illegible]ſcatione in aqua, quæ dicitur Luppa: aliam quæ vocatur Mettendorff cum adjacente vinea & carecto & molendino: Unam quæ dicitur Flemingen & paſcua de Catz[illegible]ode cum adjacente area ad molendinum conſtruendum: Grangiam quæ vo[illegible] Vehre cum piſcatione in aqua, quæ vocatur Unſtruta, & carecto & ſalicto: Inſuper v[illegible]lam quæ dicitur Burgowe & aliam quæ dicitur Hirten cum vinea adjacente: Præterea locum [illegible]archia quæ dicitur Luciſt, cui nomen Holtze in confinio urbis & [illegible]ivitatis quæ dicitur Sturkowe, cum manſis centum juxta lacum Culenze, quæ omnia [illegible] & ſemel Conradus marchio de Landsberg, cum favore noſtro Portenſi

 con-

contulit eccleſiæ in Aldenburg, præſentibus Principibus Duce Bernhardo, Hermanno Landgravio, Theodorico marchione de Miſna, & aliis pluribus... Inſuper quæcunque bona ubique locorum in ſilvis, in agris, cultis & incultis, in paſcuis, in aquis & aquarum decurſibus vel piſcationibus poſſidet, omnes libertates & privilegia & donationes ab anteceſſoribus noſtris Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque liberis ſive miniſterialibus Imperii collatas & exemptiones ſecundarum exactionum confirmantes, illibatas præcipimus deinceps obſervari... Præmiſſæ vero conceſſioni, ob remedium animarum noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum Imperatorum vel Regum adjicimus, ut quæcunque deinceps idem monaſterium de bonis Imperii juſtis modis fuerit adeptum, ſive per emptionem, ſive per commutationem, ſive per eleemoſynarum largitionem, vel alio juſto modo, à quacunque perſona libera, ſive miniſteriali Imperii, non requiſito ſuper hoc ſpeciali noſtro conſenſu, licenter recipiat & quiete poſſideat, ita ut nulla lex generalis vel privata hæc valeat impedire. Imperiali ergo auctoritate ſtatuimus, ut nulla perſona ſecularis aut eccleſiaſtica, prædictum monaſterium in rebus aut perſonis, contra tenorem hujus privilegii moleſtare, aut huic conceſſioni audeat contraire; alioquin & noſtram indignationem incurret, & volumus, ut in pœnam temeritatis componat libras auri XL. dimidium Cameræ noſtræ & dimidium eccleſiæ injuriam paſſæ. Et ut hæc noſtra conceſſio omni tempore inviolabilis perſeveret, præſentem paginam ſigillo noſtro fecimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt hi: Volcherus patriarcha Aquilegienſis, Lotharius archiepiſcopus Piſanus, Johannes Cameracenſis Epiſcopus, Henricus Epiſcopus Mantuanus Imperialis aulæ vicarius, Henricus Scholaſticus S. Gereonis, Johannes Bardewicenſis Præpoſitus, Gerhardus Comes Viennenſis, Azo marhio Eſtenſis, Azelinus de Romania, Meinhardus Comes de Friol, Salinguerra de Ferraria, Hartmannus Comes de Wirtenberg, Rodolfus de Keſelowe, Hellemoldus de Pleſſe, Bernhardus de Dorſtadt, Luthardus de Meinerſen, Gunzelinus aulæ Imperialis Dapifer, Henricus de Kalendin Marſchalcus, Cono de Munzenberg Camerarius Walterus de Schipfe Pincerna, Henricus de Ravensburg, Monachus de Villa & Paſſa Guerra Mediolan. & alii quam plures ſeculares & laici. Acta ſunt apud Interamnem in partibus Spoletanis anno incarnationis Dominicæ MCCIX. anno regni noſtri XI. Imperii vero I. VI. Kal. Jan. Indictione XII. Datum per manum Walteri Imperialis aulæ protonotarii.

VI. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Divina favente clementia Otto quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Imperialem decet munificentiam, ut in his facilem præbeat aſſenſum & favorem, quæ ad honorem Dei & eccleſiarum utilitatem pertinent & quietem, & libenter faciat pro amore ipſius pariter ac timore, à quo & per quem omnia habet, in cujus manu cor ejus eſt, & omnium poteſtates, conſiſtunt & jura regnorum. Ea propter in propoſito habentes, divinitate propitia, non ſolum ea, quæ à Divis anteceſſoribus noſtris Imperatoribus pro eccleſiis utiliter ſunt ordinata ſervare, ſed & ſi quid minus factum fuerit, prout intellexerimus & potuerimus, ſupplere ob reverentiam ſanctæ & intemeratæ genetricis Dei & virginis Mariæ, venerabile & dilectum nobis monaſterium in Walkenrith Ciſtercienſis ordinis, & omnes ejuſdem loci fratres clericos & laicos, cum omnibus hominibus & cum poſſeſſionibus, quas nunc habet & futuris temporibus juſtis modis poterit adipiſci, in noſtram & imperii protectionem & ſpeciale patrocinium ſuſcipimus, Imperiali auctoritate nihilominus confirmantes eidem monaſterio poſſeſſiones infra ſcriptas, cum omnibus ſuis pertinentiis: Grangiam quæ vocatur Beringe cum villa Othſtede & villa quæ dicitur Roth, ſive novale: Grangiam quæ vocatur Chaldenhuſen in arundineto inferiori, & aliam quæ vocatur Bervesleben cum alia, quæ dicitur Rithove: Cellarium Thalheim cum vinea ſua; Grangiam Kintheroth cum alia quæ vocatur Guntzeroth & curia Wodenroth: Grangiam Hildevvinesburne, cum alia quæ dicitur Himmeroth: Grangiam Schowen cum ſuis attinentiis: curiam & areas, quas poſſidet monaſterium prædictum in Goslaria, cum univerſo emolumento, quod ibidem habet in monte, & caſas conflatorias, quas habet in nemore: curiam & vineas ipſius in Herbipoli & ejus pertinentiis ſitas: præterea ſilvam præfato monaſterio adjacentem, quæ dicitur Bogenthal, quam ab anteceſſore noſtro, piæ memoriæ Imperatore Friderico, pro reditibus duorum

rum talentorum commutando acquiſivit, cum omni libertate poſſidendam perpetuo donamus, & confirmamus inſuper quæcunque bona ubicunque locorum in ſilvis, in agris, cultis & incultis, in paſcuis, in aquis & aquarum decurſibus vel piſcationibus poſſidet, omnesque libertates & privilegia & donationes ipſi à prædeceſſoribus noſtris Romanis Imperatoribus, vel quibuscunque aliis noſtris ſubditis collatas confirmantes, illibatas præcipimus omni tempore conſervari. De liberalitate verò noſtrâ, ob remedium animæ noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum Imperatorum vel regum, præmiſſis adjicimus, ut quicquid deinceps idem monaſterium de bonis Imperii juſtis modis fuerit adeptum, ſive per emptionem, ſive per commutationem, ſive per eleemoſynarum largitionem, vel alio quocunque juſto modo à quacunque perſonâ, ſive libera fuerit, ſive miniſterialis Imperii, & non requiſito ſuper hoc ſpeciali aſſenſu noſtro, aut exſpectatâ ſententiâ, eadem bona & licenter recipiat, & in omni libertate quietè poſſideat, omni contradictione ceſſante, ita ut nulla lex generalis, vel privata, hoc valeat impedire. Præterea fratres præfatæ eccleſiæ abſolvimus ab omni exactione & collectâ, quæ fit in Northuſen ad qualescunque civitatis neceſſitates, ut nec de areis ſuis ibidem ad aliquam civitatis juſtitiam neque de curribus onera eccleſiæ ferentibus, teloneum ſolvatur, & liberam concedimus facultatem commutandi argentum ſuum apud quemcunque valuerint. Imperiali igitur auctoritate præcipimus, ut nulla perſona ſecularis vel eccleſiaſtica, prænominatum monaſterium in rebus, vel perſonis, aliquatenus contra tenorem hujus privilegii moleſtare, vel huic facto audeat contraire: alioquin & noſtram incurret indignationem, & volumus, ut in pœnam temeritatis ſuæ componat XL. marcas auri Cameræ noſtræ inferendas. Ut hæc noſtra conceſſio omni tempore inviolabilis perſeveret, præſentem paginam ſigillo noſtro juſſimus communiri. Hujus noſtræ conceſſionis teſtes ſunt hi: Volkerus patriarcha Aquilegienſis, Lotharius archiepiſcopus Piſanus, Johannes Cameracenſis Epiſcopus, Henricus Mantuanus Epiſcopus, Henricus Scholaſticus S. Gereonis, Johannes Bardewicenſis Præpoſitus, Gerhardus Comes Viennenſis, Azo Marchio Eſtenſis, Meinardus Comes de Friol, Salinguerra de Ferrariâ, Hermannus Comes de Wirtenberg, Rudolfus de Keſelove, Helmoldus de Pleſſe, Bernhardus de Dorſtadt, Luthardus de Meinerſen, Gunzelinus Imperialis aulæ dapifer, Henricus de Schaladin marſcalcus, Cuno de Minzenberg Camerarius, Waltherus de Scipſe Pincerna, Henricus de Ravensberg, Monachus de villâ & Paſſagwerrâ Mediolanenſis, Albertus Strutio Imperialis aulæ judices, Henricus de Rotenburg, Cuno de Somerowe, Albertus Rindesmuel, Herewicus de Witenſe, Henricus de Reveninge & alii multi honeſti clerici & laici.

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Theodorici Colonienſis archiepiſcopi recognovi. Data per manum Waltheri Imperialis aulæ Protonotarii. Acta ſunt hæc apud Interamnem in partibus Spoletanis; anno incarnationis Dominicæ MCCIX. anno regni noſtri XI. Imperii verò I. IX. Kal. Januarii, Indictione XII.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Dei gratiâ Otto quartus Romanorum VII. Imperator & ſemper Auguſtus. Quoniam Imperialis exigit majeſtas, ut quæ dictante rationis æquitate ſtatuerit, nulla debeat retractare poteſtas, tamen ne quis ſe excuſet de facti ignorantiâ, placuit ſcripto annotari, in quibus ſibi decreverit obtemperari. Ea propter notum ſit univerſis Chriſti fidelibus, quòd piæ recordationis anteceſſor noſter Fridericus Romanorum Imperator, de Imperii utilitate ſolicitus, inferius arundinetum per quendam fratrem de Walkenrith Jordanem nomine, ex aquarum inundatione validâ revocavit ad habitationem hominum & culturam agrorum. Unde ob gratiam impenſi laboris ad proventum emolumenti amplioris eccleſiæ de Walkenrith ibidem contulit aream curiæ, quæ vocatur Kaldenhuſen, & duos manſos, cum omni jure tam cenſuali, quàm decimali, deinceps liberè poſſidendos. Aliam etiam contulit aream ad molendinum conſtruendum, reſervato ſibi privilegio, ut penes decurſum aquæ illius niſi de licentiâ Imperii, nemo præſumeret molam conſtruere. Præterea ex Imperiali munificentiâ contulit eccleſiæ VII. manſos, ſalvo ſibi jure cenſuali, videlicet XXVIII. ſolidis, quos annuatim ſolvebant: ex quibus etiam hujusmodi

modi ſolvitur decima, de omnib9, quæ creſcunt in agro portio rei undecima, de agnis, porcellis, anſeribus quod decimum venerit in numero, de poledro denarium, de vitulo obolum. Ab hac verò lege decimandi excepta ſunt volatilia, quæ nutriuntur in curia, & quæcunq; intra ſepta ejus excoluntur, & quælibet genera holerum, fructus quoque arborum. Imperio autem ad nos canonicè devoluto, ſicut ea, quæ à prædeceſſoribus noſtris Romanis Imperatoribus circa ſtatum eccleſiarum acta noſcuntur, ſive ipſis de Fiſco Imperiali collata, tenemur illibata conſervare: ita ſimplici devotione decrevimus ad relevandas ſervorum Dei neceſſitates aliquid ſupererogare. Unde divinæ retributionis intuitu & conſervando Imperii ſtatu, prædictos VII. manſos in arundineto jacentes, cum ipſo cenſu, ſcilicet viginti octo ſolidos, de favore principum & aſſenſu curiæ noſtræ contulimus Dei genitrici Mariæ & eccleſiæ de Walkenrith & in manu Henrici Abbatis, cum omni jure deinceps liberè poſſidendos, nulla generali, vel privata lege contradicente. Statuimus igitur & Imperiali præcipimus edicto, quatenus impoſterum nullus homo, cujuscunque fuerit conditionis, auſu temerario præſumat contra factum noſtrum venire, & ſupra dictum Cœnobium ſuper poſſeſſione collata & immunitate præſcripta gravare, aut aliquam in eis bonis rerum ſacrarum facere jacturam. Quod ſi quis facere præſumſerit, tremendi judicis ſe ſciat incurriſſe animadverſionem & majeſtatis noſtræ reportare offenſam, in vindictam verò ſui reatus centum libras auri componat, dimidium cameræ noſtræ, reliqvum monaſterio injuriam paſſo. Ut autem hæc noſtra conceſſio omni tempore inviolabilis perſeveret, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione ſignavimus. Hujus rei teſtes ſunt Walkerus Patriarcha Aquilegius, Lotharius Archiepiſcopus Piſanus, Johannes Cameracenſis Epiſcopus, Henricus Scholaſticus Gereonis, Johannes Bardewicenſis Præpoſitus, Azo Marchio Eſtenſis Gerhardus Comes Viennenſis, Meinhardus Comes de Friol, Helmoldus de Pleſſe, Bernhardus de Dorſtad, Luthardus de Meinerſen, Rudolfus de Keſelowe, Guntzelinus Imperialis aulæ Dapifer, Henricus de Schaladin Marſchalcus, Cuno de Mincenberg Camerarius, Waltherus de Scipſe pincerna, Henricus de Ravensberg, Henricus de Rotenburg magiſter coquinæ, Cuno de Somerowe, Albertus Rindesmuel, Herwicus de Witenſe, Henricus de Reveninge, Monachus de Villa & Paſſowerra Mediolanenſis & alii quam plurimi honeſti viri, tam clerici quàm laici.

Signum Domini Ottonis Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi, ſemper Auguſti.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus Imperialis aulæ Cancellarius vice Theodorici Colonienſis archiepiſcopi recognovi. Data per manum Waltheri Imperialis aulæ Protonotarii. Acta ſunt hæc apud Interamenm in partibus Spoletanis, anno incarnationis Dominicæ MCCIX. anno regni noſtri XI. Imperii verò primo IX. Kal. Januarii. Indict. XII.

VIII. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Dei gratiâ Otto quartus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Sancta quidem & Domino placens Ciſtercienſis ordinis religio, fidelium omnium veneratione digna, noſtris tantò devotius eſt curanda ſubſidiis, quantò nobis excelſiorem inter homines contulit divina gratia poteſtatem. Piam igitur circa omnia illius ordinis monaſteria voluntatem habentes, præcipuè circa dilectiſſimam nobis eccleſiam in Riddageshuſen, bonum & ſalubre propoſitum noſtrum cupimus in effectum opere proficiſci, quotiens nobis oportunitatem adeptis competenter eam ſuppetiverit promovere. Itaque Friderico Marſchalco de Volcmerode & filiis ejus reſignantibus in manus noſtras jus pheodi, quod habebant in patrimonio noſtro Scatehorſt & ſylvâ & pratis ei attinentibus, cum ceteris pertinentiis, contulimus & donavimus eccleſiæ in Riddageshuſen idem patrimonium noſtrum integrè cum toto jure ſuo, Henrico illuſtri Comite Palatino conſentiente. Hæc autem facta ſunt atteſtantibus fidelibus noſtris, Guncelino Imperialis aulæ Dapiſero, Wilhelmo Marſchalco, Olrico advocato Goslarienſi, Borchardo de Wolferbutle, Cæſario advocato de Quidlingeborg, Tiderico de Werbene, & Johanne de Bornem. Ut igitur prædicto monaſterio in Riddageshuſen ejusdem prædii poſſeſſio integra & tam ſalva, quam libera ſine omni moleſtiâ permaneat in perpetuum, ſecimus hoc authenticum ſigilli noſtri munimine roborari. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini MCCXV. anno regni noſtri XVIII. Imperii autem XI. Indictione IIII. VII. Idus Martii.

IX. EOdem anno Otto quartus eccleſiæ Magdeburgenſi confirmavit privilegia & donationes ſuorum prædeceſſorum Cæſarum, teſtibus Hartberto Hildensheimenſi, Tiderico Mersburgenſi, Siboto Havelbergenſi, Epiſcopis, Henrico Comite Palatino Rheni, Bernhardo Duce Saxoniæ, Hermanno Landgravio Turingiæ, Tiderico Marchione Miſnenſi, Conrado Marchione de Lansperg, Alberto Marchione Brandenburgenſi, Friderico Comite de Brene, Gevehardo Burggravio Magdeburgenſi, Adolfo Comite de Schovvinburg, Burchardo de Mansfeld, Comite Eligero de Honſtein, Comite Alberto & Gevehardo fratribus de Arnſtein, Cunone de Munzinberg, Baſilio de Oſterrode, Guncelino Dapiſero, Tiderico Rabil. Actum apud Brunſvich.

STEMMA GENTILITIUM
OTTONIS IV.

Martha — Petrus Com. Tre-carum. — Com. Ve-romand.
Emma — Wilhelmus C. Toſo-ſana. — Dux Aqui-tania.
Mathilda — Henricus ex Reg. ſang. Scotico. — I. Rex An-glia.
Wiburgis — Fulco C. Cenoma-norum. — R. Hiero-ſolym.
Gertrudis — Henricus Marchio Saxon. — Craſſo D. Saxon.
Hedvvigis — Gebhardus C. Forem bachia. — C. Querfur-tenſis.
Sophia — Magnus ex Hung. Reg. ſang. — D. Saxo-nia.
Wichanda — Guelfus C. Flan-dria — Fortis D. Bavar.

Adolais Comes Ve-romand. — *Wilhelmus* Dux Aqui-tania.
Mathilda hæres Regni Anglici. — *Gotofredus* C. Andegavenſis & Turonenſ.
Richenſa hæres Ducatu Saxon. — *Lotharius III* Rom. Imp. Aug.
Wulfhildis hæres Ducatus Saxon. — *Henricus* Niger Dux Bavar.

Alienora hæres D. Aquit. & C. Turon. — *Henricus II* Angliæ R.
Gertrudis hæres D. Sax. — *Henricus Sup.* Dux Bavar. & Sax.

Mathilda ex R. Sangv. Angl. — *Henricus Leo* Dux Bav. & Sax.

Otto IV
Rom. Imp.
Aug.

RELECTIO APOLOGIÆ PRO OTTONE IV.

Ad paginam 135.

DIxi de moribus Romanorum, temporibus Ottonis quarti viventium, ab elogio iſto Divus Bernhardus nequaquam diſcedit, verba ejus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium Papam iſta ſunt: *Quid tam notum ſeculis, quam protervia & faſtus Romanorum? Gens inſueta paci, tumultui aſſueta: Gens immitis & intractabilis & uſque huc ſubdi neſcia, niſi cum non valet reſiſtere.* De eorundem avaritia dignus eſt notatu locus Glabri Rudolfi Hiſtoriarum lib. 4. cap. 1. *Licet pro tempore φιλαργυρία mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locavit.*

Ad paginam 136.

Salinguerræ Ferrarienſis, ſive de Ferraria, mentionem facit Otto 4. Imp. diplomatibus duobus uno Portenſi altero Walkenredenſi monaſterio dato. Utrumque impetratum eſt in partibus Spoletanis anno 1209. menſe Decembri Indictone 12. Monachus Paduanus ab Urſtiſio editus, lib. 1. Chronici ſapientiſſimum vocat: addit etiam Ottonem Italiam ingreſſum ejus potiſſimum conſilio uſum.

Ad paginam eand.

Dixi Giſelam Conradi Salici Auguſti conjugem, non principis cujusdam Vandalici, ſive Heruli, ſed Hermanni Ducis Sueviæ fuiſſe filiam. Id primum me docuit Chronicon Hermanni Contracti, poſt Chriſtiani Urſtiſii editionem ab Henrico Caniſio evulgatum. In eo ad annum 1012. iſta reperias verba: *Hermannus Alemanniæ Dux defunctus Erneſtum ſororis ſuæ Giſelæ maritum ſucceſſorem accipit.* Vide hic Giſelam Hermanni junioris Alemanniæ, ſive Sueviæ Ducis ſororem. Parens horum fuit Hermannus ſenior, qui Conrado Sueviæ Duce anno 997. è vivis abeunte, ab Ottone 3. Imp. in locum ejus ſuffectus eſt. Obiit autem anno 1004. relinquens in Ducatu ſucceſſorem filium ὁμώνυμον, qui cum poſt octennium naturæ concederet, ſororius ejus Erneſtus, Henrici cognomento Rebellis, Auſtriæ marchionis F. Giſelæ maritus, ab Henrico Claudo Ducatum promeruit. Sed nec ille dignitate gaudere diu potuit, quippe qui venationi operam dans ab Alberone quodam Comite fortuitò ſagittâ interemtus, filio cognomini dignitatem, viduam Giſelam Conrado Franconiæ Duci, poſtea Imperatori, reliquit. Giſelæ mater fuit Gerbirga, Conradi Burgundiæ Regis (Frodoardus Jurenſem & Galliæ Ciſalpinæ regem appellat) filia cujus frater Rudolfus ab Herm. Contracto ignaviæ infamia notatus, regnum, quod multis annis inutiliter adminiſtrarat, diademate Conrado Cæſari transmiſſo, reſignavit anno 1032. Hanc meam de Giſelæ parentibus ſententiam ſtabilit Wippo, teſtis omni exceptione major, in vita Conradi Salici: ſtabilit Otto Friſingenſis Chron. lib. 6. cap. 28. Commentum de Vandalica ejus origine debemus confarcinatori Chronici Saxonici vernaculi, qui fortaſſis iſtum in errorem deductus eſt à Chronico rithmico, MSC. quod antiquius eſt, deque Brunone 2. marchione Saxoniæ, primo Giſelæ marito, ſequentia habet:

Dhiſſem Brune wart ghegeben
Zwo Wibe vnd ich geſtreben
Ein Vrowe / Giſle was ſe ghenant
Von Werle.

Et paulo poſt:

Von welchem Werle ſe were geboren/
Dhes han ich nicht wol erkoren.
Doch ſolt ich iz uph min beſte ſegen/
Ich wold iz uph das Werle legen/
Davon ſich dhe Wendhe Vurſten ſcriben.

Crancius eundem errorem amplexus, Saxon. lib. 4. cap. 36. ſic ſcribit: *Conradus Rex conjugem duxit Giſlam, filiam principis Wandaliæ de Warle. Qua in re penſandum, cujus tum nominis & ſplendoris fuerunt Wandalici principes, quorum filias dignarentur Imperatores habere conjuges.* Verum hæc ſcribenti venire in mentem debuiſſet Theodorici marchionis Brandenburgii matrimonium inter Miſtoveum Slavorum dynaſtam & Bernhardi Saxoniæ Ducis, ſive filiam, ſive neptem (variant enim ſcriptores) vehementer diſſuadentis, ſcævum & contumelioſum in gentem Heneram, ejusque optimates ſcomma, & convicium, quo ſibi ipſi exſilium & inopiam, patriæ abyſſum malorum attraxit. Hiſtoriam habent Ditmarus Merſeburg. lib. 3. Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 16. ex eo repetit Crancius Wandal. lib. 2. cap. 21. Opinioni Crancii de natalibus Giſelæ ſubſcribit Elias Reuſnerus, vir aliàs in omni genere diligens, quem tamen ab errore potuiſſet revocare auctoritas Ottonis Friſing. loco ſupra laudato ſcribentis. Giſelam de antiquo Carolorum Franciæ Regum ſanguine oriundam fuiſſe, addito ſequenti à Wippone ſumto diſticho:

Quando poſt decimam numeratur linea quarta
De Carolo Magno proceſſit Giſela prudens.

Ad quod reſpiciens Cuſpinianus, non enumerata majorum ſerie, Lotharii 5. Regis Galliarum filiam facit. Prolixior eſſe in hac ſchola volui, tum propter inſignes heroinæ hujus virtutes, quibus domum Saxonicam illuſtriorem reddidit, tum propter [illegible] erga filium Ludolfum, cui à marito, bonitatem ingenii & naturæ in privigno amante, impetravit reſtitutionem bonorum, quæ Otto tertius ejuſque in Imperio ſucceſſor Henricus Claudus, hereditario jure in Saxonia hactenus poſſederant. Nomen G[illegible] obſidem ſignificat, teſtis Her. Contractus ad annum 995. *Giſela Stephano Regi U[illegible]orum, cum ſe ad fidem Chriſti converteret, quaſi verè juxta nomen ſuum fidei obſes, [illegible]ium data.* Et Aventinus lib. 5. inquiens: *Giſela fatale ſortita nomen Stephano tanquam obſes & fidei vinculum nuptum datur. Cujus ope & conſilio Ungri Philoſophiam [illegible] Chriſtianam ſectari cœperunt. Giſelâ autem linguâ Teutonica obſidem valet, crebrum apud Germanos feminarum nomen.*

Ad paginam 142.

De liberis Henrici Leonis Hiſtoricorum expoſitiones minus ſunt accuratæ, nos ut in aliis, ita hac quoque induſtriam noſtram experiemur. Duas ei fuiſſe conjuges certum eſt: ex priore totidem ſuſtulit filias, quod ex Saxone Sialandico liquet, lib. 14. hunc in modum diſſerente: *Rex* (Woldemarus) *Orientalium Slavorum ſibi virium fiduciâ rebellantium defectionem expertus, cum Henrico Saxoniæ Satrapâ belli ſocietate conditâ, quò firmiùs amicitiæ necterentur, filiam ejus ex conjuge poſtmodum repudiatâ ſuſceptam, adhuc incunabulis utentem, filio Kanuto primum ætatis annum agenti, ſponſam [illegible]vit.* Hæc ibi. Paullò poſt de Henrico Leone idem auctor: *Igitur Henricus ut repudiatam regis amicitiam recuperaret, ſine qua Slavos arcere non poſſet, Henricum Razeburgenſem Epiſcopum & Antiſtitem Lubecenſem legatione onerat, filiam ſuam minorem filio ejus in matrimonium offerens. Nam major natuque prius ei deſponſa fuerat, morbo occiderat.* Ex his manifeſtum fit, duas ex priori matrimonio natas filias, quarum poſterior nubſit Friderico Conradi 3. Imp. filio, quem Otto Friſingenſis Chron. lib. 7. cap. ultimo, Fridericum de Winsberg, Otto San Blaſianus ejus continuator, cap. [illegible] 18 [illegible] 21. Fridericum de Rotinburg, Albertus Stadenſis ad annum 1167. Ducem Sueviæ appellat. Quo paullò poſt in expeditione Italicâ defuncto, vidua copulata eſt Canuto Woldemari Daniæ regis F. Helmoldus lib. 2. cap. 10. unicam vocat filiam Leonis. Idem de hoc matrimonio cap. 14. ſic ſcribit: *Rogavit rex Danorum Ducem, ut filiam ſuam viduam Friderici nobiliſſimi principis de Rodenburg daret filio ſuo, qui jam rex deſignatus erat, in uxorem. Interventu itaque magnorum Principum conſenſit Dux & miſit filiam ſuam in regnum Danorum.* Hic prudens lector obiter notet Saxonis Grammatici malevolentiam, affirmantis obtruſam magis, quàm ambitam Leonis filiam. Potior debetur fides Helmoldo, ab affectibus immuni, quibus Saxo ad calumnias usque obnoxius. Feminæ nomen exprimit vetus Chron. Saxon. Richenſam vocans: obitum indicat Ericus Rex Daniæ in hiſtoriâ ſuæ gentis verbis ſequentibus: *Anno 1221. obiit Rikere regina.* Ex alterâ conjuge Mathildâ Anglicanâ procreavit Leo ejuſdem nominis filiam, natam primo conjugii anno, parente in Palæſtinam profecto, [illegible] annis

 ſub-

Digitized by Google

ſubſequentibus filios quatuor, Henricum, Luderum, Ottonem & Wilhelmum, ut diſertim Arnoldus Lubecenſis lib. 2. cap. 2. De Ludero, proavi materni nomen adepto, in litteras relatum eſt, quòd parenti Bardewicum expugnanti in caſtris precìò fuerit: deinde ab eodem *propoſitâ ſpe recuperandi priſtini honoris Regi* (Henrico 6.) *ſatisfactionem exbibente, cum Henrico fratre obſes conſtitutus, ſed in itinere apud Auguſtam defunctus ſit*, verba ſunt Gerhardi Præpoſiti Stederburgenſis, in hiſtoriâ de Henrico Leone. Henrici Palatini, cognomento Longi, & Ottonis Cæſaris resgeſtæ cognotiſſimæ ſunt, & de altero nos in hac apologiâ operæ-pretium fecimus. Duobus hiſce ſine prole maſculâ decedentibus, Wilhelmus (quem Longaſpatham & Wintonienſem cognominatum diximus) familiam conſervavit, ſuperatque ejus poſteritas in Ducibus Brunſuicenſibus & Lunæburgenſibus potentiſſimis. Præter hos Leonis filios duo inculcantur ἀνώνυμοι: prior à Rogerio Hovedeno parte annalium poſteriore, ſcribiturque natus apud Argentonium Normanniæ urbem anno 1183. alter prioris conjugii, à recentioribus, qui infans negligentiâ nutricis de menſâ cadens fractis cervicibus exſpirarit, quam narrationem in medio relinquo. In filiabus poſterioris matrimonii primogenita eſt Richenſa, nata, ut diximus, patre peregrinante anno 1172. Huic Rogerius Hovedenus addit Mathildam: verba ejus ſubjungam: *Richardus rex Angliæ dedit eodem anno 1189. Gaufrido, filio Rotrodi Comitis de Pertico, Mathildam filiam Ducis Saxoniæ neptem ſuam in uxorem.* Habuit Gaufridus iſte perampla, tàm in Galliis, quàm regno Angliæ poſſeſſiones, dignus tam illuſtri matrimonio: occubuit demum in prælio. Mathildæ meminit etiam Trithemius Chronico Bojariæ. Tertia Leonis filia Alienor, memoratur à Gervaſio Tilberienſi, ut ſuprà diximus, titulo Comitiſſæ, nec quidquam de eâ amplius. Cum his copulat Arnoldus Lubecenſis aliam Mathildam, nuptam Borwino, (qui alio nomine Henricus) Henetorum principi, Pribislai F. videatur lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 7. Sed hæc naturalis fuit Leonis filia, ut diſertim Albertus Stadenſis ad annum 1164. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 136. perperam Borwino conjugem aſſignat Richenſam Leonis primogenitam, quemadmodum in eo etiam alucinatur, quòd Canuti regis Daniæ uxorem Mathildam vocat. Atque hæc ſunt, quæ de Leonis liberis commentari libuit. Schema genearchicum tale eſt:

Henricus Leo naſcitur anno 1129. moritur 1195. ætatis 66, uxores ejus,

1. *Clementia Zaringia ducta 1147. repudiata 1162. die Clementis.*

N. filia deſponſata in cunis Canuto, Regis Daniæ F. anniculo, decedit parvula.

Richenſa conjunx Frederici Ducis Sueviæ & eo defuncto, nupta Canuto Regi Daniæ, obiit 1221.

N. filius infans fractis caſu cervicibus exſpiravit.

2. *Mathilda Anglicana, nata anno 1156. nupta Leoni 1167. moritur 1189. ætatis 33.*

Richenſa nata 1183.

Henricus Palatinus moritur 1227.

Luderus defunctus Auguſtæ Vindelicorum anno 1190.

Otto Imperator Auguſtus obiit 1218.

N. filius nat. 1183.

Wilhelmus naſcitur 1184. moritur 1212. ætatis 28.

Mathildis uxor Gaufridi Comitis de Pertico ducta 1189.

A. uxor Comitis [illegible], ut Gervaſius Tilberienſis.

Otto Puer naſcitur 1204. moritur 1252. ætatis 48.

Albertus Magnus naſcitur 1236, moritur 1279. ætatis 43.

Henricus Moroſus natus 1267. moritur 1322. ætatis 55.

Albertus Pinguis, obiit 1318.

W[illegible]lmus moritur 1292.

Ad paginam 45.

Miſerrima humanæ vitæ conditio, cujus omnis ſplendor, omnis potentia.) Valerius Maximus lib. 6. cap. 9. *Caduca nimium hæc & fragilia, puerilibusque conſentanea crepundiis ſunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur; nullo in loco, nullâ in perſonâ ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo flatu for-*

ta fortunæ, hac atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improviſo decurſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaque neque exiſtimari, neque dici debent bona, quæ ut inſlictorum malorum amaritudine deſiderium ſui duplicent; propenſiore favore primò delinitos, majore poſtea malorum cumulo opprimere ſoleant.

Ad paginam 148.

Pro remedio animæ noſtræ) Maturè in eccleſiam Occidentis irrepſit periculoſa opinio, profuſam erga ordinem eccleſiaſticum ejusque ſacras ædes & collegia liberalitatem ac beneficentiam, non tantum vivis conciliare omni in re proſperitatem in hac vitâ, verùm etiam poſt exceſſum ex hoc ergaſtulo animæ in purgatorio periclitanti remedio eſſe. Quod ipſum cùm à clero nunquam non ebuccinaretur, apud imperitos vero nimiumque credulos laicos, quos vocabant, fidem facilè inveniret, uſu venit, ut [illegible] medioximi & infimi, pro re natâ, prodigaliter & prodigialiter bona poſſeſſionesque ſuas, neglectis ad quos jure ſpectabant, eccleſiaſticis dilargirentur perſonis, adeo ut res inconſulta & improvida invidiam habuerit, offenſique ſint, qui ad clavum Re[illegible]blicæ ſedebant. Quantoperè ſui temporis magnatibus munificentiam erga ſacrum ordinem commendarit Meinwercus Paderbornenſis Antiſtes, probat hiſtoria [illegible] ip[illegible]ius, in quâ Henricum Claudum Imp. ſic affatur: *Beatus tu es, Henrice, & bene [illegible]bi erit; cui pro hac oblatione, cœlum patebit, cujus anima cum ſanctis ſempiterna poſ[illegible]bit gaudia. Videte omnes populi, conſiderate fideles univerſi, talis oblatio peccatorum [illegible]o: hoc ſacrificium Deo acceptabile, animabus ſit propitiabile. Hoc quoque fideles pro [illegible] ſuæ facultatis imitari ſtudeant, ut pro temporalibus æterna, pro tranſitoriis man[illegible]nere valeant.* Quo verò ſtomacho & iracundiâ inverecundi nundinatoris [illegible]tiones idem Imperator Henricus excepit, eadem oſtendit hiſtoria, verba libet app[illegible]e. *Epiſcopus gaudio repletus inenarrabili, Rex omnium ſanctorum, exclamat, [illegible]at tibi. Et Imperator, averſo vultu, occultè ſubmurmurans, & tu, inquit, odium Dei omniumq; Sanctorum ejus habeas, qui me bonis conceſſis cum detrimento Regni ſpoliare [illegible]as.* Longè verò ante hæc tempora de eadem clericorum πλεονεξίᾳ conqueſtus [illegible]pericus Francorum rex apud Gregor. Turonenſem lib. 6. cap. ultimo, his verbis uſus: *En pauper remanſit fiſcus noſter: ecce divitiæ noſtræ ad eccleſiam ſunt tranſlatæ. Nulli penitus niſi ſoli Epiſcopi regnant: periit honor noſter & tranſlatus eſt ad Epiſcopos civitatum, ſolis eis defertur honos.* Hæc ille, qui, ſi in Ottonum, Henricorum Fridericorumque ſcæva & infelicia incidiſſet ſecula opesque eccleſiaſticorum per fas & nefas enormiter accumulatas, atque ex illis luxum, petulantiam & libidines, con[illegible]à vero ſummorum Principum ſplendidam egeſtatem, extremumque apud vici[illegible]rbis Chriſtiani Reges contemptum, ſpectaſſet, multò acerbioribus uſus fuiſſet [illegible]lis. Solemnes autem majores noſtri habebant formulas, quibus in publicis pri[illegible]e donationum, ſive traditionum tabulis utebantur, omnes ad eundem ſcopum [illegible]antes. Ex his, omiſſis peregrinis, ex domeſticis noſtratium inſtrumentis non[illegible]re eram, ſic ut donatoris nomen & donationis tempus non prætermittam. *Pro [illegible]cede vitæ permanentis*, Otto M. diplomate anni 937. *Pro ſalute animæ Domini geni[illegible] noſtri Henrici Regis, cæterorumq; nobis junctorum affinitate conſanguinitatis*, idem [illegible] 941. *Pro remedio animæ noſtræ, nec non & patris noſtri ac dilectæ matris noſtræ, nec non aliorum conſanguineorum noſtrorum*, idem anno 973. *Ob ſpem æternæ nobis [illegible]onandæ mercedis & remedium animæ cari genitoris noſtri*, Otto 2. Imp. anno 979. *Pro remedio vitæ perpetuæ cum ſanctis & fidelibus adipiſcendæ*, diploma Henrici 2. Imp. anno 1003. *Pro remedio ſuæ animæ ac utriusque ſui parentis, omniumque ſuorum, tam viventium, quam defunctorum ſalute*, idem Imp. anno 1007. *Ob ſpem & præmium vitæ æternæ: ob remiſſionem omnium peccatorum: ob ſalutem corporum & ſempiternam requiem animarum: ob cotidianam memoriam ſui ſuorumque omnium, Regum quoque & Epiſcoporum, Principum & omnium ejusdem loci ſtatum & honorem diligentium, cunctorum Chriſti fidelium*, diploma Conradi Salici Imp. confirmantis fundationem monaſterii Reinhardsbornenſis, 1086. *Pro remedio animæ noſtræ & tranquillitate populi nobis commiſſi*, Reinhardus Epiſcopus Halberſtadenſis, 1108. *Ob ſpem & precium vitæ æternæ*, diploma Lotharii Imp. anno 1132. *Supernæ remunerationis intuitu*, Bernhardus Epiſcopus Hildeſienſis anno, 1143. *Pro concilianda divina miſeratione & pro ſuſcitanda erga me omnium religioſorum optabili dilectione*, litteræ Ottonis marchionis Branden-

burg. 1177. *Regni æterni præmium & Imperii temporalis incrementum à Rege regum exſpectantes*, diploma Friderici Barbaroſſæ Imp. anno 1181. *Intuitu ſupernæ retributionis*, in litteris Henrici Comitis Gardeleg. 1191. *Remunerationem cæleſtis patriæ exſpectantes*, Gardolfus Epiſcopus Halberſtadenſis, 1197. *Pro expiatione animæ noſtræ*, Conradus Epiſcopus Halberſtadenſis, 1197. *Pro peccatis meis & parentum meorum*, litteræ Sigfridi Comitis Blancoburgenſis, anno 1212. *Propriæ intendentes ſaluti*, Hermannus Haſſiæ Lantgravius, Comes Palatinus Saxoniæ, 1215. *Intuitu noſtræ ſalutis & perpetuæ remunerationis*, Otto 4. Imp. anno eodem. *Divinæ retributionis intuitu & pro reformando Imperii ſtatu*, diploma ejuſdem Ottonis 4 Imp. 1216. *Animæ noſtræ ſaluti proſpicientes*, Conradus Baro Warbergius, an. 1220. *Intuitu divinæ remunerationis, & ob ſalutarem & perpetuam animæ noſtræ memoriam*, Henricus Dux Saxoniæ, Palatinus Rheni an. 1224. *Ob ſpem peccatorum noſtrorum*, ejuſdem Principis litteræ anno eodẽ. *Pro peccatorum noſtrorum redemptione*, idem anno eodem. *Ob amorem retributionis æternæ & noſtrorum in remedium peccatorum*, Adolfus Comes Schavvenburgius, anno 1233. *In remiſſionem peccatorum*, in litteris Agnetis, viduæ Henrici Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini, anno 1243. *Ob Dei omnipotentis, ejusque genetricis reverentiam, & peccatorum noſtrorum & progenitorum noſtrorum indulgentiam*, Ludolfus Comes à Daſſel, 1256. *Ad utriusque vitæ felicitatem nobis prodeſſe confidimus, ſi loca Deo dicata de bonis collatis nobis à Domino promovemus*, Conradus archiepiſcopus Magdeburg. an. 1268. *Pro retributione felicitatis æternæ*, Otto Epiſcopus Hildeſienſis, anno 1270. *Pro expiamine ſuorum peccaminum*, Volradus Epiſcopus Halberſtadenſis, 1281. *Firmiſſime credentes, quod retributor omnium bonorum nobis mercedem retribuet in vita ſempiterna*, Ericus archiep. Magdeburgenſis ad annum 1292. *Ut pro genitoribus noſtris & nobis proficiat ad ſalutem*, Otto Dux Brunſuicenſis, anno 1298. *Ad mitigandam ſeveritatem diſtricti judicis*, in litteris Leopoldi militis de Roddingen, anno 1305. *Pro noſtræ & prædeceſſorum noſtrorum ſalubribus remediis animarum*, Albertus Dux Brunſuicenſis, 1311. *Ob ſpem ſalutis æternæ*, idem. 1317. *Ob animæ noſtræ ſalutem*, idem, 1318. *Ob ſalutem & refrigerium animarum matris ſuæ & conjugis*, in litteris Ottonis Ducis Brunſuicenſis, eodem anno. *Intuitu divinæ remunerationis noſtrorum remiſſionem peccatorum*, Otto Hildeſienſis Epiſcopus, anno 1320. *Ad animarum ſuarum medicamentum*, litteræ Bartoldi Præpoſiti monaſterii Fontis S. Mariæ, anno 1336. Prolixior eſſe nolo, coronidis tantùm loco ſubjungam ritum oblationis tempore Caroli M. uſitatum, quemadmodum deſcribitur in ſupplicatione Wormatienſi eidem Imperatori exhibitâ. *Quisquis noſtrum ſuas res eccleſiæ tradit, Domino Deo illas offert atq; dedicat, & non aliter, dicendo talia & agendo ita facit: Scripturam coram altari, aut ſupra, tenet in manu, dicens ejusdem loci ſacerdotibus atq; cuſtodibus: offero Deo atque dedico omnes res, quæ in hac cartula tenentur inſerta, pro remiſſione peccatorum meorum ac parentum ac filiorum, aut pro quibuscunque illas libare voluerit, ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumq; ſolemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis & cæteris divinis cultibus atque hujus eccleſiæ facultatibus. Si quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abſtulerit, ſub pœna ſacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes.* Sed de his arreptâ occaſione ſatis dictum eſto.

Ad paginam 156.

De Richarda Cornubia in Angliâ principe.) Fragmentum hiſtoricum incerti auctoris apud Chriſtianum Urſtiſium, tomo ſecundo hiſtoricorum Germaniæ, pag. 92. *Poſt hæc Wilhelmus Rex Romanorum à Friſonibus occiſus eſt. Hæc audiens Epiſcopus Colonienſis, ad Angliam pervexit, & inde duxit Richardum, Ducem Cornubiæ, quem ipſe & Epiſcopus Moguntinenſis elegerunt in Regem; quibus dedit multam pecuniam & cæteris Epiſcopis Alemanniæ & Nobilibus terræ. Et cùm adhuc opulentus eſſet in divitiis, vehebatur per Principes Alemanniæ ad ſingulas civitates & opida Imperii ſuper flumen Rheni: & ab omnibus civitatibus, ob reverentiam principum, qui cum eo aderant, honorificè eſt receptus. Cum autem Richardus Rex perveniſſet uſque ad civitatem Baſileam, defecit ei ſubſtantia: tunc reliquerunt eum Principes Alemanniæ ſolum: dicentes: quòd eum non dilexerunt propter perſonam, ſed ratione ſubſtantiæ, & dederunt ei libellum repudii, & per aliam viam reverſus eſt in regionem ſuam. cujus Regis memoria cum ſonitu periit.*

DISSERTATIO
DE JURE
INVESTITURÆ
EPISCOPALIS, IMPERATORIBUS ROMANIS A PONTIFICIBUS

per vim ademto,

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

Ex

Ex quo Epiſcopi in eccleſia eſſe cœperunt, electio eorum ad clerum & populum pertinuit, jam ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Romani autem Imperatores, poſtquam abjectâ & ejuratâ religione Ethnicâ, filio Dei Jeſu Chriſto fidem dederunt, ſui ſe admonentes officii, nimirum, quòd à ſupremo Monarchâ nutricii eccleſiæ, ac primæ & ſecundæ legis divinæ cuſtodes conſtituti eſſent, eccleſias ſuperiorum ante ſe ſeculorum continuis iisque horrendis perſecutionibus diſturbatas diſſipatasque rurſus conſtituerunt, piosque & idoneos doctores paſſim in urbibus, opidis & vicis ordinarunt: certamina etiam & diſſenſiones ab inquietis hominibus excitatas, legitimis remediis, puta ſynodis, tolli & componi curarunt. Diſertè hoc ſcribit Socrates ſcriptor eccleſiaſticus, cujus in proœmio libri 5. hæc ſunt verba: *Ex illo tempore, quo Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negocia ex illorum nutu pendere viſa ſunt, atque adeo maxima Concilia de eorundem ſententiâ & convocata fuere, & adhuc convocantur.* Et Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini M. meminit ſe audiviſſe Conſtantinum Imp. ad Epiſcopos in convivio dicere; *Vos quidem eorum, quæ intus ſunt in Eccleſiâ agenda, ego verò eorum, quæ extra hanc ſunt, Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus.* Quibus verbis innuit: non eſſe ſibi poteſtatem aliquid mutandi vel innovandi in doctrinâ cœleſti & ritibus uſitatis, de reliquis verò rite & legitimè ordinandis conſtituendisque divinitus habere curam demandatam. Conſtituerunt igitur Imperatores tam Patriarchas ſive Metropolitanos, quam reliquos Epiſcopos, quoties libebat: rurſusque ab officio removebant, quos tam arduo munere indignos cenſebant. De Patriarchâ Conſtantinopolitano expreſſe id teſtatur Pachymeres lib. 4. verbis iſtis: *In Patriarchâ deſignando in conſilium adhibenda voluntas Imperatoris: & is unus huic muneri obeundo idoneus cenſendus, qui illi acceptus fuerit.* Patiebantur quidem interdum Imperatores eligi Epiſcopos tam à clero, quàm populo: confirmatio tamen erat penes Imperatores: cujus rei teſtis Nicephorus Gregoras lib. 3. cap. 2. Ubi ſic de Arſenio Patriarchâ Conſtantinopolitano loquitur: *Sacerdotio igitur hic potitur & Patriarcha creatur communi Pontificum ſententiâ & ſuffragio, Imperatore maximè approbante, & Pontificium illud ſuffragium (ut moris eſt) confirmante.* Quod ſi fortè plures uno eligebantur, electorum nomina mittebantur Imperatori, ut quem ille approbaret, reliquis præferretur. Sic apud Sozomenum lib. 7. cap. 7. Theodoſio Imperatori id volenti exhibetur catalogus Epiſcoporum, qui ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam vacantem per diverſa ſuffragia erant deſtinati, ex quibus prætеritis aliis Cæſar Nectarium delegit. Repetit hæc Nicephorus lib. 12. cap. 12. additque Epiſcopos nonnullos contra niſos, quod Nectarius ἀμύητος adhuc eſſet nec initiatus, fruſtra tamen, permanente in ſuâ ſententiâ Theodoſio. Exempla poſſemus coacervare multa, ſed non cenſemus operæ precium, uno atque altero ſimus contenti. Theodoſius Imp. Gregorium Nazianzenum transferre voluit ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, ſed renuit hic. Sozomenus lib. 7. cap. 6. Nicephorus lib. 12. cap. 10. Valentinianus Imp. jubet Ambroſium ordinari Epiſcopum Mediolanenſem, Hiſtoria tripartita lib. 7. cap. 8. Deficiente autem Romani Imperii auctoritate & potentiâ, cum diverſæ barbaræ gentes occidentis provincias invaderent, & ex regibus nonnulli Chriſtianam religionem amplecterentur, idem jus conſtituendi ac promovendi Epiſcopos hi ſibi vendicarunt. De Merovingiis in Galliis Francorum regibus ſatis conſtat, Epiſcopatus ab iis per multos annos concedi ſolitos ſolâ manuum impoſitione & presbyterorum ordinatione epiſcopis cæteris relictâ. Exempla ex Gregorio Turonenſi quædam proferemus. Theodoricus rex Arvernis juſſit conſtitui Epiſcopum S. Quintianum & omnem ei poteſtatem tradi eccleſiæ, Hiſtor. lib. 3. cap. 2. Juſſu Chlodomeris regis Ommatius apud Turonos Epiſcopus ordinatur: quod defuncto Theodorus & Proculus ordinante Chrotilde reginâ tribus annis eccleſiam rexerunt Turonicam, lib. 3. cap. 17. Clotharius Domnolum Cœnomanis epiſcopum præficit, lib. 6. cap. 9. Sulpitius in urbe Biturigum rege Gunther anno favente eligitur Epiſcopus, lib. 6. cap. 39. Promotus ordinante rege Sigeberto Epiſcopus inſtituitur Dunenſis, lib. 7. cap. 17. Videatur etiam lib. 8. cap. 22. Ubi Rex jurejurando policitus, ſe nunquam ex laicis epiſcopum ordinaturum, Deſiderium tamen promovet. Karolus rex Galliæ in libello proclamatorio, qui exſtat in tomo rerum Francicar. dicit ſe juxta conſvetudinem

præ-

prædeceſſorum ſuorum regum contuliſſe Weniloni capellano Metropolin Senonenſem tunc vacantem, Pithœus in ſcriptoribus Francicis pag. 491. Pari modo reliqui per univerſam Europam, Hiſpaniæ, Britanniæ, & Pannoniæ reges jus conſtituendi Epiſcopos per dominia ſua ſine cujuſquam contradictione uſurparunt. Affirmat id Leopoldus à Babenburg, Epiſcopus Bambergenſis lib. de zelo veterum principum Germanorum cap. 8. & ſuffragatur omnis hiſtoria. Verba Leopoldi primum producam. *Reges*, inquit, *& Imperatores non tam virtute dicti privilegii* (Papalis ſcilicet) *quàm ex hoc quòd erant ut plurimùm patroni, ſeu dotatores eccleſiarum cathedralium & majorum monaſteriorum Germaniæ, inveſtituras Epiſcopatuum & abbatiarum in ipſis Germaniæ partibus uſque ad tempora Henrici 5. (ut apparet in hiſtoriâ Francorum & ex aliis Chronicis,) facere conſueverunt. Nec erat hoc novum apud ipſos tantum: nam & Reges Hungariæ uſque ad tempora Paſchalis 2. (ut refert Chronica Martini) & Reges Burgundiæ (ut refert hiſtoria Francorum ſub geſtis Henrici 2.) ac etiam Reges Angliæ (prout Dominus Eduardus Rex Angliæ aſſerit in epiſtolâ ſuâ Domino Papæ Clementi. 6. ſub annum 1343. directâ) idipſum in ſuis regnis facere conſueverunt. Reges quoque Hiſpaniæ olim Epiſcopos eccleſiarum Hiſpaniæ de Epiſcoporum conſilio eligebant, ut patet in can. 63. cum longè. Reges etiam Angliæ tempore vacationis eccleſiarum cathedralium & majorum eccleſiarum Angliæ & Normanniæ, præbendas ipſarum in quibusdam ex eis conferre ſolebant: quia Rex Angliæ eſt patronus earum & habent ab eo magna feuda: unde ratione juris patronatus, vel ratione feudorum, vel regalium eas confert.* Hucusque Leopoldus. De regibus Angliæ ſuffragatur Sigebertus Gemblacenſis, cujus ad annum 1097. hæc ſunt verba: *Reges Angliæ hanc injuſtam legem tamdiu tenuerant, ut electos eccleſiæ præſules ipſi per virgam paſtoralem inveſtirent.* Et in Hiſpania patres Toletani concilii 12. tempore Agathonis Papæ in 7. canone electionem Epiſcoporum ad Reges Hiſpaniæ pertinuiſſe dixerunt. Regibus Aquilonis (Sveciæ & Daniæ) idem jus ſibi aſſerentibus, ut reſtiterit Adelbertus Archiepiſcopus Hamburgenſis (in quem Pontifex jus ſuum omne tranſtulerat) ac *per totum Aquilonem, in quibus oportunum videbatur locis, invitis etiam regibus, Epiſcopatus conſtituerit. ordinaritque Epiſcopos ex capella ſua, quos vellet, electos*, narrat Adamus Bremenſis cap. 207. Nos pluribus iſta deducere nunc non intendimus, de Imperatoribus tantum Romano Germanicis viſuri, quomodo & olim illi inveſtituram jure ſuo ſibi uſurparint, & quomodo à Pontificibus per tyrannidem eo fuerint privati. Rem autem ab ovo, quod dicunt, arceſſemus.

Quum Adrianus ejus nominis primus Pontifex max. à Deſiderio Longobardorum rege plurimum infeſtaretur, neque à Græculis Imperatoribus auxilii quicquam ſperare poſſet, Karolum Francorum regem, principem præpotentem & Chriſtianiſſimum, qui poſtea primus ex Germanis Auguſtus ſalutatus eſt, miſſis legatis ex Gallia evocavit, ut Italiam univerſam, & cumprimis urbem Romam, in extremo diſcrimine conſtitutam, contra tyrannidem impotentis Barbari defenderet. Qua in re cum præclaram operam toti Italiæ Carolus navaſſet, viciſſim à Papa Adriano, & Concilio centum ac quinquaginta trium patrum eccleſiaſticorum, tum forte ejus rei gratiâ coacto, accepit jus conſtituendi ſedis Romanæ epiſcopos, & ordinandi Antiſtites per univerſa ſua regna & dominia. Sed addam verba Decreti Diſt. 63. cap. Adrianus. *Adrianus autem Papa, cum univerſa Synodo tradiderunt Karolo, & ſucceſſoribus ejus, Poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam ſedem. Dignitatem quoque patriciatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere aſſuevit: ut niſi à rege laudetur & inveſtiatur, Epiſcopus, à nemine conſecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & niſi reſipiſceret, bona ejus publicari præcepit.* Hoc ipſum jus poſt octennium Karolo magis confirmatum eſt, cum titulum & nomen Auguſti (nam ditiones Imperii nonnullas jam antea poſſidebat) non à Pontifice Romano, cui tanquam privato, imo ſervo ſervorum cum rebus imperioſis nihil erat negotii, ſed per liberam electionem populi Romani, quam poſtea tranſactio cum Byzantino Cæſare excepit, conſecutus eſſet. (Syneſius Epiſcopus Cyrenenſis Epiſtola ad Anaſtaſium: *Poſtquam vita noſtra diviſa eſt in ſacerdotalem & civilem, illis procerbus negociorum adminiſtratio & juriſdictio mandata eſt.* Bernardus de conſid. ad Eugenium: *Forma apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur: indicitur miniſtratio.* Cum autem,

poſteris Karoli M. res Italicas ſegnius adminiſtrantibus, pontificum Romanorum inſtinctu Berengarius aliique pſeudoreges regnum Italiæ invaſiſſent fœdeque dilaceraſſent, tandem Otto Magnus, Berengario ultimo devicto, atque in Bavariam relegato, Italiam pacavit. Aſſeruit ille tum temporis & redintegravit ſibi ſuiſque ſucceſſoribus denuo jus ordinandi ſedem Romanam, cui occulte inſidiari cœperat Adrianus Pontifex, ejus nominis tertius. Exſtat ſuper hac re Decretum Diſtinct. 63. cap. In Synodo, cujus verba hæc ſunt: *Ad exemplum B. Adriani, apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui Domino Karolo, victorioſiſſimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apoſtolicæ ſedis & inveſtituram conceſſit: ego quoque Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cum toto clero, ac Romano populo, conſtituimus & confirmamus & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni primo, Regi Teutonicorum, ejusque ſucceſſoribus, hujus regni Italiæ, in perpetuum, facultatem eligendi atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per archiepiſcopos, ſeu epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem unde debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus & archiepiſcopis conceſſit: & ut nemo deinceps, cujuscunque dignitatis, vel religioſitatis, eligendi vel patricium, vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunque epiſcopum ordinandi habeat facultatem, absque conſenſu ipſius Imperatoris, (quod tamen fiat absque omni peccunia) & ut ipſe ſit patricius & Rex. Quod ſi à clero & populo quis eligatur epiſcopus, niſi à ſupra dicto rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc regulam & Apoſtolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi ſubjacere decernimus, & niſi reſipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis ſuppliciis affici.* Hactenus Decretum. Factum eſt inde, ut defuncto Præſule quopiam, ſacerdotes *lituum* Præſulis & *annulum* ad aulam Impp. Germanorum mitterent: quæ Princeps ſolenni ritu illi tradebat, quem volebat eſſe Epiſcopum. Etenim Epiſcoporum iſta inſtitutio, ſive inveſtitura perficiebatur per porrectionem *annuli & pedi* Epiſcopalis. Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætate 6. cap. 52. meminit etiam *chiroteca*. *Pedum* illud Ditmarus lib. 1. & 6. *baculum paſtoralem*: Adamus Bremenſis pag. 32. *ferulam paſtoralem*; pag. 53. *virgam Epiſcopalem*; pag. 71. *cambuccam paſtoralem* appellant. Poſteriorem hanc vocem *cambocam* ſcribit Ekkehardus junior lib. de caſibus monaſterii Sangallenſis cap. 3. Doctiſſimus Heiminsfeldius putat legendum *cambotam*, ut ſit à Græco καμπτύης vel καμψότης, quam ab orientalibus monachis acceperint Latini. Germanis Krumbeſtab. Sacerdoti autem, ſive Epiſcopo, dum conſecratur, baculis iſte datur, ut ejus indicio ſubditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat: annulus in ſignum pontificalis honoris, vel pro ſignaculo ſecretorum, ut vult Synodus Aquisgranenſis can. 9. Unde fallitur Crancius, qui Metropol. lib. 6. cap. 15. per ferulam paſtoralem intelligit inveſtituram temporalis dominii, quod falſum. Nam hujus traditio fiebat per ſceptrum, ut infra patebit. Quomodo vero tum baculus iſte paſtoralis, tum annulus ſolenni ritu conſecrari ſoleant, exponit Rudolfus Hoſpinianus de origine monachatus, lib. 6. c. 73. Regio iſto inveſtituræ privilegio uſos eſſe, ſibique id ſolis vendicaſſe Imperatores noſtros usque ad Henricum IV. univerſa loquitur hiſtoria, neque probatione admodum indiget, ut tamen res teſtatior ſit, exempla quædam ex fide dignis ſcriptoribus ſubjungemus. Ditmarus lib. 2. *Imperator* (Otto Magnus) *Domino Brunoni, mortuo Agrippinæ ſedis proviſore Wigfrido, epiſcopatum dedit.* Et paullo poſt: *Gero frater Ditmari marchionis à clero & ab omni populo Colonienſi electus eſt, & hoc Imperatori adnunciatur. Hic quia fratri ſuo ob multas cauſſarum ſpecies iratus fuit, dare huic epiſcopatum noluit.* Lib. 2. *Cum primus eccleſiæ pater noſtræ* (Magdeburgenſis) *exſpiraſſet, interceſſione Annonis epiſcopi Wormatienſis Imperator Giſelero, moribus & natura nobili, Epiſcopatum dedit.* Lib. 3. *Mortuo Roberto Moguntinæ ſedis archipræſule, Imperator Cancellarium ſuimet VVilligiſum, multis hoc ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit eccleſiæ.* Lib. 5. *Rex* (Henricus 2.) *baculo Arnulfi Præſulis clerum & populum Tagenoni venerando patri cum reddituræ ſummo judici rationi commiſit, eundemque in cathedram Epiſcopalem conſtituit aſtantibus univerſis.* Lib. 6. *Eberhardo* (primo Papebergenſis eccleſiæ Antiſtiti) *tunc Cancellario, cura paſtoralis à Rege committitur.* Henricus Imp. 2. Meningando Præpoſito Moguntino dat Epiſcopatum Trevirenſem Chron. Belg. 95. eo mortuo idem Cæſar Popponem creat antiſtitem, ibidem. Adamus Bremenſis pag. 32. *Adalgarius archiepiſcopus Hamburgenſis ferulam paſtoralem accepit ab Arnulfo rege: pallium à Papa Stephano.* pag. 34. *Hogerus archiepiſcopus pallium ſu-*

dii vel ſcepto

ſcepit à Sergio Papa; ferulam à rege Ludowico. pag. 36. *Rex Conradus divino, ut creditur, aſflatu ſpiritu, contempta Leidradi ſpecie, parvulo Unni, quem vatro conſpexerat, virgam obtulit paſtoralem.* pag. 39. *Adaldagus ferulam paſtoralem à Magno Ottone accepit; pallium archiepiſcopale ſumſit à ſeptimo Leone.* pag. 53. *Libentius pallium ſuſcepit à Papa Ioanne 15. virgam Epiſcopalem meruit ab Ottone 3.* pag. 16. *Umrauus archiepiſcopus ferulam ſuſcepit ab Henrico Imp. pallium à majore Benedicto.* pag. 69. *Libentius ſecundus ferulam ſuſcepit à Cæſare Conrado.* pag. 71. *Hermannus cambuccam paſtoralem à Cæſare Conrado meruit: pallium à Papa minore Benedicto, &c.*

Ex his liquet, quomodo Imperatores ordine, per Germaniam archiepiſcopos & Epiſcopos nemine quoquam prohibente paſſim inſtituerint. Quia vero per Imperatores Germanicos non minus pios, quam prudentes, optimi quique nulla habita originis ratione, modo vitæ ſanctimonia & doctrinæ eruditione commendarentur, ad dignitates eccleſiaſticas promovebantur, factum eſt, ut iſtis ſeculis paſſim in Epiſcopatibus eſſent Antiſtites religioſiſſimi ac doctiſſimi, quibus Imperatores, reges & principes liberos ſuos in diſciplinam tradere non dubitabant. Felicitatem iſtorum temporum prædicat Theodoricus Niemius ſcholio ad librum de juribus & privilegiis Imperii: ubi hæc verba inveniuntur: *Unde legitur, quod tempore illius Ottonis I. quaſi omnes etiam in Alemannia epiſcopi fuerunt ſancti viri: ut ſunt S. Godehardus, S. Adelbertus, S. Cunradus, S. Bruno, S. Barwardus, & multi alii, qui non per pecunias, aut preces adepti fuerunt epiſcopatus &c.* Meminit etiam Fridericus Barbaroſſa cum Philippo Agrippinenſi epiſcopo aqud Arnoldum Lubecenſem diſceptans, lib. 3. cap. 17. his verbis: *Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam invenuſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos Canonice fieri dicitis. Scitis tamen, quia dum pro voluntate imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti inveniebantur ſacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem intronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum ſacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem, non ſecundum Deum, ſed ſecundum favorem eliguntur.* Quæ refert Crancius Saxon. lib. 6. cap. 51. Tulere autem Pontifices Romani utcunque per aliquot ſecula inveſtituras iſtas, neque ex Imperatoribus cuiquam litem moverunt, donec Gregorius VI. Papatum iniret. Is immemor vocis, qua Auguſtus quondam, Catonis pervicaciam inceſſentem, retudit: *Vir bonus eſt, qui præſentem Reip. ſtatum non vult mutari*: de perturbanda non modo Repub. verum etiam Eccleſia, conſilium iniit. Prætendit autem non raro ab Imperatoribus & regibus Epiſcopatus, aliaſque Prælaturas, commendari illis, qui vel ob ruditatem & inſcitiam, vel ætatem tanto oneri impares eſſent, juri inveſtituræ Imperatorio inſidiatus eſt. Acceſſere fortaſſis etiam flabella quorundam Epiſcoporum, politico magiſtratui amplius detrectantium ſubeſſe. Exemplo eſſe poteſt Otto Bambergenſis Epiſcopus, cujus in Chronico Bambergenſi extat epiſtola ad Paſchalem 2. ubi inter cetera ſic ſcribit: *In obſequio Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens & gratiam in oculis inveniens, ſuſpectam habens de manu principis inveſtituram, ſemel & iterum cum dare vellet, renui Epiſcopatum. Nunc autem verò jam tertio in Bambergenſem Epiſcopatum me ordinavit: in quo tamen minimè permanebo, niſi veſtræ complaceat ſanctitati per vos me inveſtire & conſecrare.* Centuria 12. Magd. pag. 902. Quoties obtenderetur, adverſari conatus ejus antiquiſſimis Cæſarum privilegiis, ipſe conabatur, ut diceret, multa ſæpe multis, ut juſta & æqua concedi, quæ aliis denegentur. Exempli gratia: Cædes in bellis fieri juſtè, nullamque mereri pœnam: quæ ſi in pace committantur, injuſtas eſſe, dicique homicidia. Simili modo concludere volebat: Inveſtituras ſuperiorum Imperatorum, ut juſtas quidem toleratas & approbatas, quamdiu δωροφαγίας abfuerit ſuſpicio: jam verò è principum manibus extorquendas, poſtquam in aulis omnia ſint venalia. Quod ij ſunt rectius forte in Romanos regeri potuiſſe, ne de recentiorum querelis & ſtomachis quid dicam, vel ex uno Dithmaro manifeſtum eſt. Hujus verba ſunt libro 4. *Giſlerus corruptis pecunia primatibus, maximèque Romanis, quibus cuncta ſemper ſunt venalia, judicibus qualiter ad archiepiſcopatum* (Magdeburgenſem) *aliqua ratione veniret, primum ſecretò revolvit, moxque palàm Domini Papæ Benedicti obnixè petit auxilium, &c.* Sed ſextus hic Gregorius tanquam Simoniacus, quod malis artibus, nimirum interventu pecuniæ, Papatum accepiſſet, ab Imperatore Henrico 4. exauctoratus eſt. Quod igitur ſextus obtinere non potuit, id Gregorius ſeptimus

prioris diſcipulus & aſſecla in actum perducere conatus eſt. Hic ante Papatum Hildebrandus dictus fuit, noſtrates explorata perverſa turbulenti hominis natura *Hellebrandum*, id eſt titionem infernalem, dixere. Potitus ſede Pontificia tantum in Imperio turbarum excitavit, ut totum penè illud everterit. Singula ut repetamus huc non facit: de inveſtitura nobis ſermo eſt. Hanc, immemor fulminis Papalis, quod anteceſſores ipſius in omnes, qui privilegio iſto Imperatores exuere conarentur, evibrarant, coacto conciliabulo Cæſaribus eripuit. Exſtat decretum ejus 16.q. 7. ſi quis deinceps, quod integrum adjiciam. *Si quis deinceps epiſcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos habeatur: nec ulla ei, ut epiſcopo, ſeu abbati, audientia concedatur. Inſuper ei & gratiam Beati Petri, & introitum eccleſiæ interdicimus, quousque locum, quem ſub crimine, tam ambitionis, quam inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus.* Item cap. 2. *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſecularium poteſtatum, aut perſonarum, inveſtituram epiſcopatuum vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumſerit, ejusdem ſententiæ vinculo ſe eſſe ſciat obſtrictum.* Hactenus Hellebrandus, jam non amplius Cluniacenſis monachus (cui generi hominum fas audere, quæ nec ipſe Pluto ſibi ſumat) ſed αὐτοκράτωρ, abſolutæ potentiæ & dignitatis. Qui hunc ſecutus eſt Victor 3. itidem cucullatus, eandem ſaltavit fabulam in Synodo Beneventana, ubi in hæc verba diſſeruit: *Conſtituimus etiam, ut ſi quis deinceps epiſcopatum, vel abbatiam, de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus epiſcopus vel abbas habeatur: neque ulla ei ut epiſcopo vel abbati adhibeatur reverentia.* Et paullo poſt *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cujusvis poteſtatis ſecularis epiſcopatum, vel quamvis aliam eccleſiaſticam dignitatem, dare præſumſerit, ejusdem ſententiæ vinculo ſe adſtrictum noverit.* Sed nec hoc modo prævalere, ſuamque hierarchiam ſtabilire potuere Romani Pontifices. Etenim Henricus 5. parente ſuo principe felice & victorioſo, ſed contra jus & fas à ſuis oppreſſo, miſerabiliter defuncto, cùm ſerò nimis cogitaret, quanto ſcelere ſe obligaſſet, quod à furioſis tam eccleſiæ, quàm reipublicæ perturbatoribus, turpiter ſeductus, parentem, libertatis Germanicæ vindicem acerrimum, non tantum oppugnaſſet, ſed regno & vita etiam exuiſſet; animadverteret etiam, qua fide iidem alaſtores ſecum agerent, qui nihil aliud, quàm politici magiſtratus oppreſſionem, & ex ea ſibi intolerabilem quærerent dominatum, rebus ſuis maturè conſulendum, ac tyrannidi gliſcenti ob[illegible] putavit. Contemtis igitur, quarum meminimus, Pontificum ſanctionibus brutisque fulminibus, Epiſcopatus aliasque Prælaturas vacantes liberè conceſſit [illegible] quos maximè dignos cenſuit. Hic verò exarſit ira & indignatione Paſchalis. [illegible] enim tribus iſtis anteceſſoribus ſuis impar vel diſſimilis videri, qui omnes, quantum in ipſis fuerat, Imperatorum jura conculcarant. Primam igitur Synodum coegit Trecæ in Galliis, quòd Germania excluderetur: ibi inveſtitura Imperatoribus, per collectitium iſtum Gallicorum Præſulum ſenatum denuo abjudicata eſt. Mo[illegible] Imperator per legatos ſuperbum ſacrificulum, moderatius ageret, neque cum [illegible] ſodalitio in alieno regno ſtatueret, quod in præjudicium Romani Imperii q[illegible]quomodo vergeret. Vix unius anni inducias impetrare potuit rerum dominus a raſa iſta cohorte. Scribit Gobelinus Coſmodromii ætate 6. cap. 58. *In hoc co[illegible]abulo decretum eſſe, quòd nemo inveſtituram beneficii vel eccleſiaſticæ dignitatis à lai[illegible] manu ſuſciperet, quoadusque hæc quæſtio inter Papam & Regem ſynodaliter determinaretur.* Quæ totidem verbis repetit Crancius metrop. lib. 5. cap. 33. nec diſſimulat Tr[illegible]mius in Chronicô Hirſaugienſi. In Synodo Beneventana anno 1108. & Romana anno 1110. eadem egit, additis in poſteriore etiam minis atrocibus [illegible]*i quis contra facere auderet, eum anathemate feriendum.* Optimus Imperator ſeditioſi os furioſi hominis conatus intelligens, patrisque infeliciſſimi fato meticuloſior redditus, contra dignitatem obnixè petebat, ne contra privilegia majoribus ſuis ultrò donata, injuria adficeretur: redditurum ſe, vel in Synodo legitima, vel publicis Comitiis Imperii, rationem eorum, quæ egerit: tantum petere, ut in Germania negocium cognoſcatur. Pontifex magis irritatus in Germaniam ut veniret prorſus recuſavit, vixque impetrari abs ſe paſſus eſt, ut fulmen Tarpeium, quod jam vibraturus videbatur,

tur, tandiu reconderet, donec Imperator, qui jam in procinctu erat, ad coronam Imperii, more majorum accipiendam in Italiam demigraret. Qui Cæſari bene cupiebant, auctores ei erant, maturaret iter, publicæque conſuleret tranquillitati: ambitionem & φιλαρχίαν Pontificum intolerabilem eſſe, iras implacabiles: Italorum verò animos mobiles, neque fortaſsè domi defuturos, qui rebus novis ſtuderent. Ut ventum eſt in Italiam, Pontificique nunciatum, eſſe cum exercitu Cæſarem in propinquo, ibi de inveſtiturâ, quæ rei erat caput & materia litis, iterum actum. Privatim publiceque teſtabatur Paſchalis nullo ſe modo admiſſurum, ut inveſtituras retinerent Imperatores. Tot jam annis ab anteceſſoribus ſuis pro iſtis vindicandis depugnatum, ſe tandem, cum Deo bene juvante, litem iſtam terminaturum. Quòd tamen potentem adverſarium metueret, ad fraudes decurrit, homo vafer. Etenim in baſilicâ Vaticanâ Divo Petro ſacra, rege Henrico 5. præſente pronunciavit decretum, ſeque illud complere velle cum juſtitia & auctoritate confirmavit, *ſcilicet ut eccleſiæ decimis & oblationibus contentæ eſſent, Marchionatus, Comitatus, & advocatias, dudum à Karolo ejusque ſucceſſoribus Chriſtianis Imperatoribus eccleſiæ collatas, reciperet, eâ conditione, ne Pontifices regali manu, anulo & virgâ inveſtirentur, quæ ſancto Spiritui auctoritatique canonum contraria viderentur.* Hæc ſunt verba Dodechini appendice ad Marianum Scotum ad annum 1110. Accipiebat conditionem Imperator, tum quòd policitationes, de quibus tamen ſubdubitabat, immenſæ eſſent, tum quòd pacis ab omnibus deſideratæ, ipſe etiam eſſet percupidus. Sed addam Epiſtolam Henrici 5. Cæſaris, quæ apud Dodechinum abbatem exſtat, totius hujus negocii ſeriem exponens. *Henricus D. G. Romanorum Imperator Auguſtus, omnibus Chriſti fidelibus in eccleſiâ. Notum eſſe volumus dilectioni & diſcretioni veſtræ, ea quæ inter nos & dominum illum Paſchalem erant, quomodo incepta, tractata ſint: ſcilicet de conventione inter me & ipſum, de traditione Romanorum in me & meos, ut audita intelligatis, intellecta examinetis, examinata dijudicetis. Igitur dum in eo totus eſſem, ut me ad eccleſiæ utilitatem & ipſius votum, ſi juſtum eſſet, componerem, cœpit exaltationem regni ſuper omnes anteceſſores meos promittere. Studebat tamen ſubdolè, quomodo Regnum & Eccleſiam à ſtatu ſuo diſcinderet, tractare, quod ſic facere aggreſſus eſt. Regno quidem jam à Karolo 400.* (rectiùs 300.) *& ampliùs annis, & ſub 63. apoſtolicis inveſtituras Epiſcopatuum, eorundem auctoritate & privilegiorum firmitate tenenti, absque omni audientiâ auferre volebat. Et cum per nuncios noſtros ab eo quæreremus, quid de nobis fieret? in quo regnum noſtrum conſtat, quomodo ferè omnia anteceſſores noſtri eccleſiis contulerunt, & tradiderunt? Subjunxit: Fratres, eccleſiæ decimis & oblationibus contentæ ſint: Rex verò prædia & regalia, quæ à Karolo & Ludovico & Ottone & Henrico eccleſiis collatæ ſunt, ſibi & ſucceſſoribus ſuis recipiat, & detineat. Ad hoc cum noſtri reſponderent: nos quidem nolle violentiam eccleſiis inferre, nec iſta ſubtrahendo tot ſacrilegia incurrere, fiducialiter promiſit & ſacramento pro eo firmavit Dominicâ Eſto mihi, ſe omnia hæc cum juſtitiâ & auctoritate eccleſiis auferre, nobisque & regno cum juſtitia & auctoritate reddere: noſtris itidem firmantibus, ſi hoc (ut præmiſſum eſt) ita compleſſet, quod tamen nullo modo fieri poſſe ſciebat; me quoque, uti quærebat, inveſtituras eccleſiarum reſignaturum ſicut in charta conventionis pleniùs poteris videre.* Hæc eſt charta conventionis ad me. *Dominus Papa præcipiet Epiſcopis præſentibus in die coronationis regis, ut dimittant regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Karoli, Henrici & aliorum prædeceſſorum ejus, & ſcripto firmabit ſub anathemate, ne quis eorum, vel præſentium, vel abſentium, vel ſucceſſorum eorum, intromittant ſe ullo modo, vel invadant eadem regalia, id eſt, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias, omnia jura centurionum, id eſt, villicorum, turres & villas, quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis ſuis, militiam & caſtra.*

Digitized by Google

Nec ipſe regem & regnum ſuper his ulteriùs inquietabit, ſed privilegio ſuo ſub anathemate firmabit ne poſteri ſui inquietare præſumant: regem benignè & honorificè ſuſcipiet, & more prædeceſſorum ſuorum catbolicorum ſcienter non ſubtractè coronabit, & ad tenendum regnum cum his omnibus officii ſui auxilio adjuvabit. Si Dominus Papa hæc regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro, quod totâ pot ntia meâ tenebo ad Dominum regem. Obſides autem niſi effugerunt, reddemus altera die poſt coronationem regis. Si per Papam remanſerint, ut non coronetur, ſimiliter reddemus Dominico die, cum rex ad proceſſionem venerit. Obſides dabo Gratianum filium meum, & filium Vironis filii, & filium ſororis meæ, ſi eum habere potero. Hæc ſunt ſacramenta ex parte Domini Papæ. *Ego Petrus Leonis juro vobis, quia Dominus Papa proxima die Dominica adimplebit Regi quod in charta conventionis ſcriptum eſt.* Hæc ſunt ſacramenta ex parte Regis: *Ego Comes Hermannus: Ego Comes Gotfridus: Ego Volmarus: Ego Adelbertus: Iuro vobis, quia Dominus Papa proximâ quartâ vel quintâ feriâ ita principes jurare faciet & obſides dabit, ſicut in charta conventionis ſcriptum eſt. Ego verò, ut oſtenderem, nullam eccleſiarum Dei diſturbationem ex velle noſtro procedere, in cunctarum oculis aſtantium & auribus, hoc decretum promulgavi: Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus affirmando & beato Petro omnibus Epiſcopis & Abbatibus & omnibus eccl ſiis omnia, quæ anteceſſores mei Reges, vel etiam Imperatores eis conceſſerunt, vel tradiderunt, & quæ illi pro ſpe æternæ retributionis obtulerunt, do. Ego peccator pro timore terribilis judicii ullo modo ſubtrahere recuſo. Hoc decreto à me le… & ſubſcripto, petii ab eo, ut ſicut in chartâ conventionis ejus ſcriptum eſt, mihi adimpleret. Cum ergo ſupradictæ poſtulationi inſiſterem, ſcilicet, ut cum juſtitiâ & auctoritate, promiſſa mihi conventione, firmiter univerſis in faciem ejus reſiſtentibus, & Decreto palàm hæreſin inclamantibus, ſcilicet, Epiſcopis, Abbatibus, tàm ſuis, quàm noſtris, & omnibus eccleſiæ filiis, hoc, ſi ſalvâ pace eccleſiæ dici potuiſſet, privilegium pra… rre voluit.* Paſchalis Papæ Decretum: *Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum D…, dilecto filio Henrico Regi, & ejus ſucceſſoribus Imperatoribus &c. Divinæ legis in…tutionibus ſancitum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne ſacerdotes curis ſecularibus occupentur, nè ve ad Comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atque pro al… qui injuriam patiuntur, accedant. Unde & Apoſtolus Paulus inquit: Iudicia ſi… ritis, contemtibiles qui ſunt in eccleſiâ, illos conſtituite ad judicandum. In veſtri a… tem regni partibus, Epiſcopi vel Abbates, adeo curiis ſecularibus occupantur, ut Comitatum aſſiduè frequentare, & militiam exercere cogantur: quæ nimirum aut v…, aut nullo modo ſine rapinis, ſacrilegiis, incendiis aut homicidiis exhibetur. Miniſtri … à …, miniſtri curiæ facti ſunt; quia civitates, Ducatus, marchionatus, monetas, … es, & cætera ad regni ſervitium pertinentia, à regibus acceperunt. Unde etiam n… s eccleſiæ intolerabilis inolevit, ut electi Epiſcopi nulla modo conſecrationem acc… rent, niſi priùs per manum regiam inveſtirentur. Aliquando etiam v… vis Epiſc… ti ſunt. His & aliis plurimis malis, quæ per inveſtituram plerumque co… ant, prædeceſſores noſtri Gregorius octavus & Urbanus ſecundus, fel… m… e Pontifices excitati, collectis frequenter Epiſcopalibus conciliis, inveſtituras … manus Laicæ damnaverunt; & ſi qui clericorum per eam tenuiſſent eccleſias, deponen… o… d… tes quoque communione privandos, percenſuerunt, juxta illud Apoſtolicorum cano… capitulum quod ita ſe habet: Si quis epiſcopus ſeculi poteſtatibus uſus eccleſiam per ip… obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Quorum veſt… ia ſubſequentes, & nos eorum ſententiam Epiſcopali concilio confirmamus. Tibi itaque, fili*

fili cariſſime, Henrice Rex, & nunc per officium noſtrum Romanorum Imperatori, & Regno, regalia illa dimittenda præcepimus, quæ ad regnum manifeſtè pertinebant tempore Karoli, Ludovici, Ottonis & cæterorum prædeceſſorum tuorum. Interdicimus etiam, & ſub anathematis diſtrictione prohibemus, ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum, præſentium vel futurorum, eadem regalia invadant, id eſt, civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, teloneum, mercatum, Advocatias, jura Centurionum, & turres, quæ regni erant, cum pertinentiis ſuis, militiam & caſtra: & ne ſe deinceps, niſi per gratiam Regis, de ipſis Regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, qui poſt nos in Apoſtolicâ ſede ſucceſſuri erunt, aut Te, aut Regnum, ſuper hoc inquietare negocio. Porro eccleſias cum oblationibus & hereditariis poſſesſionibus, quæ ad regnum manifeſtè pertinebant, liberas manere decrevimus, ſicut in die conſecrationis tuæ omnipotenti Domino in conſpectu totius eccleſiæ promiſiſti. Oportet enim Epiſcopos curis ſecularibus expeditos, curam ſuorum agere populorum, nec eccleſiis abeſſe diutius. Ipſi enim juxta Paullum apoſtolum pervigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri. De traditione verò in nos, vel in noſtros, ſic ſe ſe res habet. Vix portas civitatis ingresſi ſumus, cùm noſtris infra muri mœnia ſecurè vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes verò ſpoliati & rapti ſunt: ego verò quaſi pro levi cauſſâ non motus, bonâ & tranquillâ mente, uſque ad eccleſiæ beati Petri januas cum procesſione perveni. Quod ſic geſtum fuiſſe, rei veritas multorum aſtipulata teſtimoniis qui interfuere, proteſtatur. Hactenus relatio Imperatoris Henrici, quam ſolus Dodechinus nobis conſervavit integram. Habet eam etiam, ſed interpolatam, Chronicon Belgicum magnum, pag. 137. tribuiturque ibi Sigeberto Gemblacenſi, quod puto μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sugecius monachus in vita Ludov. Groſſi Regis Franciæ, eadem tangit ſed obſcure explicat. Ex proceribus eccleſiaſticis, qui Pontifici regalia ipſis abjudicanti, ferociter & furenter in faciem reſtiterunt, princeps & anteſignanus fuit Conradus Baro Abensbergius, archiepiſcopus Saliſburgenſis. Is compoſito Stentorea voce reliquorum nomine clamabat, nullum jus ſpoliandorum Epiſcoporum templorumque opes eccleſiaſticas Deo dicatas in homines profanos transferendi, Paſchali eſſe: neque ſe vectigalia, portoria, opida, regiones, à majoribus ſuis ſibi relicta, hactenuſque poſſeſſa, ullo modo alteri ceſſuros. Immaniter debacchantem non tulit amplius Bavarus quidam, cui nomen Henricus Caput, ortus Kaufringo ejus regionis caſtello, ſtrictoque enſe niſi principibus Romanis morem gerat, mortem minatur præſentem. Quo nihil motus Epiſcopus. *Feri,* inquit, *ſi lubet devotum caput.* Cæſar pertinacem hominis animum admirans, Henrico mandavit, ut à vi abſtineret, nondum tempus vindictæ comparuiſſe. Fruſtra igitur laboratum, dieſque illa Dominica, quæ tum erat media Quadrageſima, diſceptationibus & rixis protracta eſt in noctem. Verum illam admodum fecere Romani funeſtam, impetu in Cæſarianos facto, cumque in armis eſſent omnes, furenterque cædibus debaccharentur, Cæſar rupta muri parte, urbe exceſſis, Paſchalem ſecum abducens. Honorifice ille ab omnibus habitus, tandem traditus eſt aſſervandus Ulrico Aquilegienſium Patriarchæ. Inter Principes Italicos potentia & auctoritate tum temporis eminebat Guelfus, maritus Mathildæ Bonifacii marchionis filiæ, fœminæ opulentiſſimæ. Is controverſiam demum compoſuit hac lege, ut Cæſar poſthac perpetuo abſque ambitu & ſine precio epiſcopos & abbates aſſumeret, ſicut hactenus anteceſſores ejus feciſſent; Sacerdotes, epiſcopi, regia beneficia, ſalica prædia, quæ poſſiderent, retinerent, Pontifexq; harum conditionum auctor fieret. Sed audiamus Chronicon Belgicum magnum rem totam acurate perſequens. *In reconciliatione, quæ facta eſt inter Papam & Imperatorem, qui ipſum Papam cum Epiſcopis & Cardinalibus ceperat, hoc fuit juramentum Regis: Ego Henricus Rex quarta vel quinta feria proxima liberos dimittam, Dominum Papam & Epiſcopos & Cardinales, & omnes captivos & obſides, & Papæ & fidelibus ejus Romanis pacem & ſecuritatem ſervabo, tam per ſe quam per meos, & in perſonis & in rebus ei obediam, ſalvo honore Regni & Imperii.*

Iſtud

Iſtud juramentum juraverunt etiam Epiſcopi & Principes circiter 14. Juramentum vero ex parte Papæ hoc fuit : Dominus Paſchalis Papa non turbabit Dominum Regem ac Regnum ejus de inveſtitura Epiſcopatuum vel Abbatiarum, neque de injuria ſibi & ſuis illata in perſonis & bonis, nec aliquod malum reddit Regi vel alicui perſonæ pro hac cauſſa: & penitus in perſonam Henrici nunquam anathema mittet, nec impediet Dominus Papa, quin coronet eum, & Regnum & Imperium auxilio officii ſui pro poſſe ſuo adjuvet. Et iſta implebit Papa ſine fraude & malo ingenio. Juramentum illud Papæ confirmaverunt jurejurando Epiſcopi Cardinales 15. Item Henrico Regi in Imperatorem coronato poſt lectum Evangelium, tradidit Papa ante altare Apoſtolorum Petri & Pauli in oculis omnium principum, privilegium bullatum de inveſtitura Epiſcopatuum & Abbatiarum, tam per annulum, quam per virgam, cujus tenorē compendii cauſſa ſcribere omiſi. In fine bulla habetur confirmatio pacis inter Apoſtolicum & Imperatorem, quæ dum in celebratione Miſſæ corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti Cæſari porrigeret, facta eſt in hunc modum : Domine Imperator hoc corpus natum ex Maria virgine, paſſum in cruce pro nobis, ſicut ſancta & catholica tenet eccleſia, damus tibi in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter me & te. Et ſicut iſta pars vivifici corporis diviſa eſt, (nam hoſtia fracta ipſe partem ſumſit, alteram Henrico dedit) ita diviſus ſit à regno Chriſti & Domini, qui pactum iſtud rumpere ac violare tentarit. Hoc anathemate pronunciato omnes ſubjunxere. Amen. Per hanc transactionem videbatur bellum illud eccleſiaſticum finitum, paxque reducta, verum longe aliter res cecidit. Etenim reverſo in Germaniam Imperatore rediit ad ingenium etiam Paſchalis: Coacto enim Concilio in Laterano revocavit omnia, quæ tam ſancte promiſerat, prætendens ſe imminente diſcrimine coactum hoc feciſſe. Referre omnia prolixum foret nimis, forte & tædioſum. Ad ſummam, *privilegium* Cæſari datum appellatum fuit *privilegium*, eſtque ab omnibus, qui præſentes erant, damnatum, eam cumprimis ob cauſſam, quod in eo contineatur, electum Epiſcopum non conſecrari canonice, niſi prius à rege inveſtiatur : hoc enim facere contra Spiritum ſanctum & canonicam ſanctionem &c. Neque iſta perfidia contentus fuit Papa, verum etiam ipſum Cæſarem, cui tam religioſe fidem jurarat, per ſummam injuriam contumelioſe abſtentum reddidit. Priusquam vero hanc petulantiam debito modo ulciſceretur Imperator, Paſchalis abiit ad plures. Excepit illum Calixtus ejus nominis ſecundus, cum quo denuo Henrico Cæſari pro inveſtitura depugnandum fuit. Scribit Otto Friſingenſis Chron. lib. 7. cap. 15. Albertum Moguntinum, Fridericum Colonienſem, & Conradum Salisburgenſem, pacis quæ paucorum fuerat annorum pertæſos, Gelaſium Papam inſtigaſſe, ut Cæſarem (cujus tamen conſanguineus haberi volebat) excommunicaret, quod facile ab illo impetratum. Videns igitur Imperator Pontificum tyrannidem fruſtra oppugnari, prævalere ubique : clam palamque fieri conjurationes: ruere principes in perniciem Reipublicæ, parumque ſe ab infelicis parentis fortuna abeſſe, ceſſit demum adverſariis, & inveſtituras totis trecentis & amplius annis legitime uſurpatas, intraque annos non ita multos copioſo ſanguine Germanico acriter defenſas, Pontificis legato Lamperto Oſtienſi, qui poſtea Paparum adeptus Honorii nomen habuit, miſerandum in modum reſignavit. Factum hoc eſt Wormatiæ in frequentibus Comitiis. De quibus ſic Urſpergenſis : *Facto univerſali conventu apud urbem Vangionum, quæ nunc Wormatia dicitur, ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quam prudenti, quam inſtanti quamque per omnia ſolicito cunctorum procerum conſilio, pro pace & concordia per unam vel amplius hebdomodam certatum ſit, donec ipſe, in cujus manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti ſub Apoſtolicæ reverentiæ obedientiam cauſſa matris eccleſiæ, etiam ultra ſpem plurimorum, inflexit. Mox tamen ab Apoſtolicæ ſedis Apocriſariis in communionem receptus, tam ipſe Imperator, quam univerſus ſibi ſubjectus exercitus, imo generali abſolutione cunctis hoc ſchiſmate pollutis, per auctoritatem Apoſtolicam facta, qualiter eccleſiaſticas inveſtituras, cæteraque ſpiritualia negocia, quæ tanto tempore Reges Teutonici adminiſtraverant, quæque ipſe, ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto coram multitudine maxima abnegaverit, & in manus Domini Epiſcopi Oſtienſis, ac per ipſum Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſuæque in perpetuum jus eccleſiæ dimiſerit, rurſumque qualia ſibi ob honorem Regni obſervandum auctoritas Apoſtolica conceſſerit, utriusque partis melius edocebunt ſubter annotata ſcripta.* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

ſtitatis. *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis ejus Apoſtolis, Petro & Paulo, ſanctæque eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus eccleſiis, quæ vel in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ, uſque ad hodiernam diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo eidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter juvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum & principum & omnium aliorum tam laicorum, quam clericorum, quæ in guerra iſta amiſſæ ſunt, conſilio principum vel juſtitia quæ habeo, fideliter ut reddantur curabo. Et do veram pacem Caliſto, ſanctæ Romanæ eccleſiæ & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana eccleſia auxilium poſtulaverit fideliter juvabo: & de quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi faciam juſtitiam.*

* Tabulas has Imperatoris Henrici pleniores cum nominibus teſtium edidit *Arnoldus Buchelius in Notis ad Wihelm. Hedam.* pag. 154.

Ego Caliſtus ſervus ſervorum Dei tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, absque ſimonia, & absque ulla violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & provincialium conſilio & judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur: & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii, conſecratus infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt temporibus hujus diſcordiæ. Data anno milleſimo, centeſimo, viceſimo ſecundo, non N. Kalendas Octobris. *Hujusmodi ſcripta atque reſcripta propter infinitæ multitudinis conventum, loco campeſtri juxta Rhenum lecta ſunt, data & accepta poſtquam multimodas laudes rerum gubernatori redditas, celebratis à Domino Oſtienſi divinis Sacramentis, inter quæ Dominum Imperatorem cum pacis oſculo ſanctaque communione pleniſſime reconciliavit, diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita.* Hactenus Conradus Urſbergenſis, quem tamen in nonnullis locis correximus ope doctiſſimi Heiminsfeldii, ex Wilhelmo Malmesburienſe Anglo. Qui idem nomina Principum, quorum conſilio iſta omnia facta ſunt, recenſet. Hi ſunt: Adelbertus archiepiſcopus Moguntiæ, Fridericus Colonienſis archiepiſcopus, Ratisbonenſis archiepiſcopus, Babenburgenſis Epiſcopus, Bruno Spirenſis Epiſcopus, Auguſtenſis Epiſcopus, Trajectenſis Epiſcopus, Conſtantienſis Epiſcopus, Abbas Foldenſis, Heremannus Dux, Fridericus Dux, Bonifacius marchio, Theobaldus marchio, Ernulfus Comes Palatinus, Othbertus Comes Palatinus, Berengarius Comes. Hoc modo magna ſapientia & quodam quaſi præſagio ingentium malorum, quæ ambitio & ſuperbia Pontificum Rom. non tantum eccleſiæ, verum etiam reipublicæ conflatura eſſet, niſi mature & per vim coërceretur. Hoc modo, inquam, conſtituta ſancitaque à Karolo Magno jura Imperatorum, & ultra annos 300. contra turbones Italicos conſervata atque defenſa, infelix Reipublicæ fatum uno pene momento eliſit. Qui Henrico 5. ſucceſſit Lotharius (noſtrates hiſtorici *Luderum* & interdum *Lutgerum* appellant) animadvertens, quantum Reſpublica ex inveſtiturarum reſignatione damni accepiſſet, conatus eſt vulnus hoc ſanare, & jure vindiciarum amiſſa repetere. Occaſio iſta fuit: Innocentius ejus nominis 2. Papa canonice electus ab Antipapa Petro Petri Leonis F. Roma ejiciebatur. Extorris itaque & exſul penetravit in Germaniam ad Cæſarem, quem Leodii invenit. Confluebat illuc magna turba principum, & cumprimis procerum eccleſiaſticorum. Chronicon Belgicum ex Anſelmo affirmat præſentes ibi fuiſſe 32. epiſcopos: abbates 73. Quomodo res acta ſit audiamus ex Urſpergenſi. *Eo quoque tempore ipſe Papa adiit Imperatorem Lotharium apud Leodium, petens ab ipſo favorem & auxilium, contra prædictum Petrum, & ſuos fautores. Sane Imperator uſus conſilio ſuper hujusmodi reſponſo, cœpit à Papa repetere inveſtituras Epiſcoporum, quas multo tempore Imperatores ante ſe habuerunt, ideoque Apoſtolicus non modicum eſt turbatus, & de adventu ſuo eſt contriſtatus, de reditu quoque anxius effectus: nam petitionem principis exaudire non poterat ſuper tali articulo, pro quo eccleſia tot mala ſuſtinuerat. Interveniente tamen conſi-*

ſilio, & orationibus beati Bernhardi, ſecurus receſſit ab Imperatore. Otto Friſingenſis „ addit: *Imperatorem expoſuiſſe, modeſte in quantum regnum amore eccleſiarum attenua-* „ *tum! inveſtituram eorum quanto diſpendio remiſerit: promiſiſſe tamen auxilium.* Luculentius omnia exponuntur in vita Divi Bernhardi lib. 2. cap. 1. verbis ſequentibus: *Soluto Concilio* (Claromontenſi.) *Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit. Et honorifice quidem ſuſceptus eſt, ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importune Rex reſtitit, tempus habere ſe reputans oportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ejus prædeceſſore Henrico per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod verbum expavere & expalluere Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quam declinaverant Romæ. Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit ſanctus Abbas* (Bernhardus.) *Audacter enim reſiſtens Regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.* Hæc ibi. Carolus Sigonius, quaſi actui interfuiſſet, orationis à Bernhardo habitæ ſummam nobis exhibere non dubitavit. Sic autem lib. 11. de Regno Italiæ ſcribit: *Bernhardus, qui ab Innocentii latere nunquam diſceſſit, petitionem ejus* (Imperatoris) *iniquam atque alienam docere: neque ipſum petiiſſe, ſed extorſiſſe tempore iniquioris fortunæ captato, judicaturos homines eſſe. Oportere eum, ut genere, ſic ſtudio à Gibellinis differre, qui pravum exemplum, ut vendendorum Sacerdotiorum, ſic oppugnandæ Eccleſiæ induxiſſent, eundem omne diſſidium inter Imperium & Eccleſiam tollere debere, ne diuturna concertandi conſuetudo Chriſtianorum in duas factiones ſtudia diſtrahat. Quod ſi quando eveniat, profecto non ſine ingenti pernicie omnium eventurum. Hæc ipſa non aliter, atque ſi ex oraculo edita eſſent, facile prudentem piumque Regem de ſententia deturbarunt.* Hactenus Sigonius. Ex Lotharii vero petitione colligitur inveſtituram Epiſcoporum Reipublicæ fructuoſam fuiſſe, fiſcumque regium ditaſſe. Onuphrius Panvinius in vita Gregorii ſeptimi, ait Imperatores Romanos amiſſis Prælatorum inveſtituris *majorem Imperii ſui, meliorem fortioremque partem deperdidiſſe, & maximarum calamitatum ſeminarium feciſſe.* Ex petitione porro Lotharii animadvertitur ejus prudentia, qui *modeſte*, ut loquitur Friſingenſis Papam convenit. Viderat Princeps optimus intemperiem, imo rabiem Pontificum in aſſerendo jure, quod ſemel animo ſibi deſponderant. Quod ſi oppugnare voluiſſet, neceſſe habuiſſet de ſua etiam dignitate periclitari. Maluit igitur tyrannidi cedere, quam fruſtra cum ea luctari, contentus Pontificem ſaltem admonitum, ſacrilegii & raptus eum excuſari nequaquam poſſe. Marſilius Patavinus in Defenſore pacis, parte 2. cap. 26. teſtatur Ottonem 4. & Fridericum 2. idem ſenſiſſe cum Lothario, ſed infelici exitu tentaſſe. Verba ejus addam. *Has*, inquit, *conceſſiones & privilegia ex cauſſa fortaſſe legitima revocare volentes, aut revocantes ſimpliciter, aut in parte, Otto quartus & Fridericus ſecundus Romanorum Imperatores Epiſcoporum & cleri Romani plurimas inſidias, perſecutiones & impedimenta ſunt paſſi, & eorum prædeceſſores aliqui minus adjuti: per populos ſubditos, propter ipſorum aut ſuorum Officialium & miniſtrorum regimen quandoque fortaſſis tyrannidem ſapuiſſe.* Meminit etiam Crancius in Metropoli lib. 2. cap. 29. utriusque Friderici Auguſtorum de inveſtitura cum Pontificibus contendentium. Verba ejus hæc ſunt: *Ne mireris lector ab Imperatore conſtitutum Epiſcopum. Ferebant hoc illa tempora, quando etiam Summorum Pontificum conſtituendorum deſtituendorumq; habebant arbitrium: quod temporum neceſſitas ferebat. Non erat capitulis ut nunc, electio libera: non erat confirmatio Apoſtolica neceſſaria: quem princeps delegerat, is erat Pontifex, conſecrandus à vicinis Epiſcopis. Erat longa ſuper hoc jure concertatio inter Sacerdotium & Regnum. Hoc duo Henrici pater & filius: hoc item duo Friderici, avus & nepos, diu defendere ac tueri quærebant: ſed vicit gladius eccleſiæ perficitque ut jus ſuum Eccleſiis relinquerent Imperatores, &c.* Quem vero gladium eccleſiæ dicis, Cranci, mera fuit tyrannis, armata perfidia & perjuriis, immane quantum debacchans in optimos Imperatores, totumque terrarum orbem civili ſanguine inundans. Illa demum perficit acerbis fatis Eccleſiam & Rempublicam agentibus. Quantum vero mali iſta inveſtiturarum conceſſio orbi terrarum invexerit, quantum damni Trimalciones Romani indebita potentia, & tyrannide effreni armati paſſim dederint: quomodo non tantum omnia impudenter tentare & aggredi auſi ſunt, verum etiam cogitata ad effectum perducere potuerint, quomodo denique Imperatorum auctoritatem pedibus quaſi inculcarint, funeſtisque cladi-

bus &

bus & bellis univerſam Germaniam impleverint, id ſenſere ſuperiora ſecula, & hiſtoriæ loqvuntur. Sub hoc prætextu, Pontifices eccleſiæ legitimum clavium uſum ademerunt, ſeque jactarunt ſupremos moderatores & judices, qui non tantum Epiſcopis, aliisque eccleſiæ doctoribus, verum etiam magiſtratibus politicis tam ſummis, quam medioximis & infimis, leges darent, à nullis acciperent. Niſi igitur à Pontificibus penderent Epiſcopi, ſuamque auctoritatem & exiſtimationem ab illis quaſi mutuarentur, nullius erant dignationis, atque inefficax, quo ſe venditabant, miniſterium. Per iniquam clavium uſurpationem arrogarunt ſibi poteſtatem fingendi & ſtabiliendi novos in Eccleſia cultus & ceremonias, quibus ſine diſcrimine omnes ita obligabant, ut ſi quis vel obloqui, non dicam obluctari vellet, is ſtatim diceretur proclamareturque hæreticus, apoſtata, κάθαρμα, putridum & propudioſum eccleſiæ membrum, ac perpetuis inferni ſuppliciis immiſericorditer addiceretur. Omnium autem miſerrime hominum conſcientias excarnificarunt, iſto formidabili excommunicationis fulmine, à quo nec Auguſtiſſimi Imperatores, nec potentiſſimi reges ſatis erant tuti, quibus quoties libebat, dominatum eripiebat violenter, aliosque, quos volebant, ſurrogabant. Ex his omnibus evenit id ipſum, quod ante oculos interque manus noſtras verſatur, adeoque neminem quenquam fugit, nempe, quod Germania terrarum victrix, regio, ſi quæ alia, olim florentiſſima, unaque digna ſuperis viſa quæ Græciæ dormitanti & Italiæ bellis civilibus infandum indulgenti, utrique inquam Romani Imperii ἀξίωμα maſcule ereptum ſuſtineret cum laude, ornamenta dignitatis & præſidia ſtabilitatis amiſit. Succeſſit autem perquam ignominioſa, planeque infamis ſervitus gente ab omnibus ſeculis libera, maxime indigna. Qua obruta ad nutum flagitioſorum immaniumque alaſtorum nunquam non bella plusquam civilia, inteſtinos motus & horrenda ſenſit diſſidia, nervis bellicis in uſum fœdiſſimum alienæ tantum libidinis explendæ, luxuſque portentoſi alendi, cum ſummo dedecore profuſis. Parumque abfuit, quin Imperatoribus Germanicis tanquam vilibus abjectisque uterentur mancipiis. Niſi enim, quoties illi vellent, promti paratique eſſent, incredibile dictu, quanto ſtrepitu fibrata ſint fulmina, iteratæ diræ, inſtigati ad rebellionem ſubditi, juramenta relaxata, cuncta denique fœde mixta, turbata. Omnibus iſtis malis, quæ ſane triſtiſſima fuere, acceſſit novum & inſolens, reliquis omnibus funeſtius. Etenim religio, doctrina & ceremoniis à Deo averſa, & ad horrendam blaſphemamque ſuperſtitionem prolapſa, Pontificum ambitioni, ſuperbiæ, avaritiæ & tyrannidi, quaſi vendita & mancipata ſerviebat ſervitutem triſtiſſimam, quod oſtendunt inde uſque ab Henrici 4. temporibus canones, dogmata, Idolatrici anteaque inauditi & ignoti cultus, fœdæ indulgentiarum nundinationes & aucupia, denique totum chaos errorum abuſuumque abominabile. Tantam vim habet ſuperſtitio, quando ſemel animos hominum invaſit, ſibique devinxit, dementavit & excœcavit.

LECTORI SALVTEM HENRICVS MEIBOMIUS JUNIOR.

PRæcedentem Avi mei, pro Imperatorum Germanicorum certo, ſed per vim erepto, jure, ſcriptam Diſſertationem, citat *A.O. in not. ad vitam Meinvverci.* p.332. his verbis: *Rem hanc tractat Meibomius in Opuſculis, ſed odio Romanorum Pontificum, ceu furiis agitatus Oreſtes.* Nolo reponere, quæ debeam: furere enim deſiit, non ita pridem mortuus. Judicium autem penes Lectorem erit, annon vera ſint, quæ diſſeruit, & annon decuerit Hiſtoricum, veri amantem, iſta ex priori ævo repetere, & Impp. jura aſſerere. Ego certè hîc alteram quoque Diſſertationem adjiciam, argumenti nobilis, quod noſtro etiam ſeculo turbas dedit: ex quo patet, quomodo, Regibus Galliæque id jus exercentibus, nihilominus Imperatoribus Romanis fuerit extortum.

HENRICI MEIBOMII
DISSERTATIO,
Super quodam antiquo & antiquato Cæſarum Germanicorum jure in decedentium majorum Prælatorum relictis poſſeſſionibus.

NICO-

NICOLAUS HENELIUS
Sileſiographiæ cap. VI. pag. LXVI.

DEfungentium Antiſtitum bona non Ecclesiis, neq; cognatis, ſed fiſco regio, ſive Cameræ cedunt: quæ ob id mortuo Abbate, vel Abbatiſſa, quamprimum à fiſco obſignantur, & præſente fiſci advocato in Inventarium rediguntur. Idem olim jus Imperatores in Epiſcoporum & Abbatum mortuorum bonis mobilibus & ſe moventibus, quorum omnium fiſcus heres erat, vel Cameræ Imperialis, uſurpaverunt: ut pluribus docet Henricus Meibomius in peculiari ſuper eo jure diſſertatione. Idq; inde à Carolo M. usque ad Ottonem IV. qui incertum ſponte, an importunis Electorum Principum precibus, verborumq; lenociniis victus, in maximum ſuccedentium præjudicium, parum conſulte id abrogavit, ut apparet ex Principum Imperii ſcripto ad Innocentium III. Pontif. Rom. & poſt illud Friderici II. Imp. aurea bulla, §. IV. Quorum tamen conſtitutiones per omnia apud nos minime recepta.

DISSER-

DISSERTATIO DE JURE QVODAM ANTIQVO IMPERATORUM GERMANICORUM.

KArolus M. Imperii Romani verſus occidentem inſtaurator fortiſſimus, feliciſſimus, ejusque ſucceſſores Cæſares Germanici, cùm majoribus Prælatis, hoc eſt, archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus eminentioribus, prædia ac fundos, unde clerici divino ſervitio mancipati liberaliter & honeſtè alerentur, munificè aſſignaſſent, præter tallias, ſive collectas regales, fodrum, paratas, & manſionaticum, (quæ regibus adventantibus & quamdiu ibi moram traherent exhibenda erant) hoc juris ſibi ac Imperio retinuerunt, ut ex hac vitâ decedentium majorum Prælatorum, quos dixi, relicta bona, ſive res mobiles, puta aurum, argentum, pecunia, clenodia &c. ac ſe moventes, videlicet equi, pecudes, animalia domeſtica, feræ: eccleſiarum denique vacantium reditus, quamdiu vacarent, cederent fiſco ſeu Cameræ Imperiali. Iſto jure & privilegio gaviſi ſunt Imperatores Germanici omnes usque ad Fridericum Suevum, cognomento Barbaroſſam, cui Urbanus tertius hoc nomine primus litem movit, quemadmodum in ſequentibus audiemus.

Scriptores rerum Germanicarum, ut in aliis rebus, ita in hoc etiam Auguſtorum jure & conſuetudine explicandâ valde negligentes fuere. Exſtant tamē apud nonnullos veſtigia quædam obſcura, quæ diligenter indagata in lucem producemus. Ekkehardus monachus Sangallenſis in caſibus ſui monaſterii cap. 1. de Hattone archiepiſcopo Moguntino, qui Ludovici IV. & Conradi I. Augg. σύγχρονος fuit, ſic ſcribit: *Parvo poſt tempore confectus Italicâ febre cruce non exactâ diem obiit. Egit tamen ille* (Salomon Conſtantienſis Epiſcopus) *pro animâ ejus precibus & opibus, quantumcumque potuit: SCRINIA EJUS (Hattonis) PALATIO ADDICTA SIBI NON PRODERANT.*

Adamus Bremenſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ pag. 122. Hiſtoria archiepiſcoporum Bremenſium edita ab Erpoldo Lindenbruch pag. 46. Albertus abbas Stadenſis, Albertus Crancius in metropoli lib. 5. cap. 11. penè iisdem verbis de Adelberto archiepiſcopo Hamburgenſe hæc habent: *Obiit clariſſimus noſter metropolitanus Adelbertus 17. Kal. Aprilis, Indictione 10. Hic eſt annus Domini noſtri Jeſu Chriſti 1072. Alexandri Papæ II. Henrici quarti 17. Præter libros ſanctorumq; reliquias & veſtimenta ſacra ferè nihil inventum eſt in theſauris ejusdem viri, quæ tamen OMNIA REX ACCIPIENS, una cum præceptis eccleſiæ tulit etiam manum S. Jacobi Apoſtoli, quam dono Vitalis Venetorum Epiſcopi ab Italiâ rediens quondam ſecum deportaverat.*

Chronicon Laurisheimenſe editum operâ Marquardi Freheri JCti & conſiliarii archipalatini, in hiſtoria Henrici ejus loci abbatis quadrageſimi hæc refert: *Frumentum & vinum, quod eo anno abundatiſſimè provenerat, cum his, quæ ab anno præterito more ſuo copioſè conſervarat, partim ab ipſo diſtributum, partim temerè diſtractum, partim IMPERIALI MUNIFICENTIA ſucceſſori ſuo* (Sigehardo) *donatum.*

Hæc apud iſtos ſcriptores, quæ etſi obſcura, aliqua tamen monſtrant juris hujus Imperatorii veſtigia. Diſertiùs & explicatiùs rem indicat continuator Helmoldi Buzovienſis, Arnoldus ex monacho Santægidiano Brunſvicenſi primus abbas Lubecenſis, lib. 3. cap. 16. Ubi de Urbano III. Papa, cum Friderico Barbaroſſa Romæ diſceptante, ſic ſcribit: *Affirmabat etiam* (Urbanus Papa) *quòd* (Imperator) *Epiſcoporum exuvias injuſtè acciperet, quæ dum ipſis mortuis de eccleſiis rapiantur, eccleſiæ quaſi corroſæ & exſpoliatæ ab Epiſcopis ſubintrantibus inveniuntur; ita ut ex neceſſitate quadam raptores injuſti inveniantur, dum ablatis ſtipendiis, quæ injuſta ſunt, de novo reſarcire cogantur.* Et ibidem cap. 17. Philippus Archiepiſcopus Colonienſis, quem cumprimis hoc privilegium Cæſareum

Obli-

Obliqua invidia ſtimuliſque agitabat amaris,
eundem Fridericum Aug. ita alloquitur: *Unde etiam videtur Domino Apoſtolico* (Urbano Papæ) *quod juſtam contra vos cauſſam proponat, quod mortuis Epiſcopis confiſcantur eccleſiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & ſtipendiis præſentis anni, Epiſcopus ſubintrans omnia exinanita inveniat.* Hæc Arnoldus Lubecenſis & ex eo Albertus Crancius Saxon. lib. 6. cap. 50. & 51.

Verum Imperator ſapiens & cordatus inſatiabili Pontificum avaritia, Epiſcoporumque πλεονεξίᾳ animadverſa, ſui ſe officii, (quod Romani Imperii reditus & vectigalia nequaquam imminui, ſed conſervari & pro viribus meliora reddi poſtular) admonens, Colonienſi Archiepiſcopo, ejusque complicibus maſculè reſpondet his verbis: *In veritate compertum habemus, quod prædeceſſores noſtri antiqui Imperatores, hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis inveſtituram Pontificalem ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrimè locaverint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc vero minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus.* Hactenus Imp. vere Germanus.

Eccleſiarum vero vacantium reditus, quam diu vacarunt, fiſco Cæſareo ceſſiſſe, ex eo patet, quód huic juri renunciare neceſſum habuerint Fridericus II. & Rodulphus I. Impp. illius bullam auream edidit Baronius lib. ſingulari de Monarchia Sicil. pag. 65. & 69. edit. Paris. *Illum quoque*, ait, *dimittimus abuſum & refutamus, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt Anteceſſores committere, pro motu propriæ voluntatis.* Rodulfo totidem verbis in ſua confirmatione à Gregorio X. Pontifice ea renunciatio dictata, & ab ipſo præſtita eſt Lauſannæ anno MCCLXXV. Quanquam idem Fridericus juri ſuo adeo non reſignavit in alio diplomate, dato Cremonæ anno MCCXXXIIX. inter alia ita ſcribit: *Quod in curia noſtra, dictante ſententia Principum, & de ſpeciali petitione conquirentium ſit obtentum, quod quilibet Imperator in indicta curia percipere debet integraliter, & vacantibus eccleſiis omnia, uſque ad concordem electionem habere, donec electus ab eo regalia ſuſcipiat.*

Non deſtiterunt tamẽ Archiepiſcopi & Epiſcopi Imperio Romano ſubjecti, hoc ſaxum volvere, & Imperatoribus quiritando moleſti eſſe, donec voti redderentur compotes, quod demum factum eſt tempore Henrici VI. Friderici Barbaroſſæ filii; qui cum unice hoc ageret, ut Imperium ſuæ familiæ hæreditarium faceret, neque quicquam Principibus, ut quod volebat ab iis extorqueret, denegaret, huic avito juri renunciavit. Cum vero Saxones induci non poſſent, ut Cæſari in tam inſolenti negociogratificarentur, nihil in Imperio immutatum eſt, manſitque Cæſaribus jus ſuum integrum, uſque ad obitum Henrici VI. Videatur Chronicon Belgicum Magnum ad annum MCXC. Tunc vero Principes majores, penes quos tum temporis poteſtas fuit deſignandi novum Cæſarem, de electione diſcordarunt, quibusdam Philippum Suevum, aliis Ottonem Saxonem, Henrici Leonis filium, eligentibus. Hi duo de honore & dignitate ſemel oblata retinenda ſoliciti, vel inviti cogebantur gratificari ſuis fautoribus. Qui etiam per hanc occaſionem, (cum jam non amplius lis eſſet de paupere regno, neque exuviæ Epiſcoporum, ut nuper, tenues & non magni eſſent momenti, ſed dignæ, pro quibus vindicandis laborarent) ex illa exactionis, quam vocabant, moleſtia atque onere ſeſe eximere atque in abſolutam vindicare libertatem maximopere ſatagebant. Manifeſta hæc & plana ex literis, quas principes, quorum ſuffragiis Otto quartus electus eſt, Romam ad Innocentium 4. Papam miſerunt. Extant apud Cæſarem Baronium, hiſtoriæ eccleſiaſticæ tomo 10. Nos pauca inde transſcribemus, quæ ita ſe habent. *Nos autem principes, qui jam dictum Dominum* (Ottonem) *in regem elegimus, feuda noſtra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipſius recipientes, hominium ſibi fecimus, & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus, excellentiſſimus princeps, divinæ potius gratiæ, quam ſuis meritis adſcribens, primitias hujus honoris adferens Domino, propria voluntate juramento firmavit, inprimis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, deinde omnia eccleſiarum jura, bona fide ſervare & manutenere, & ſubjectos Imperii, exheredatos maxime, & à ſuis poſſeſſionibus violenter ejectos, in ſua juſtitia pro poſſe juvare & conſervare. Pravam illam conſuetudinem inſuper, quam Imperatores anteceſſores ſui, in occupandis rebus mobilibus, & ſe moventibus, decedentium Epiſcoporum, vel Abbatum Principum, hucuſque ſervaverunt, penitus exſtirpans, nos eccleſi-*

aſticos

Digitized by Google

[illegible] principes ex hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimiſit, & decedentium [illegible] ſuccessoribus ſervanda liberaliter ſtatuit. Hæc [illegible]i apud Cardinalem Baronium.

N[illegible]m vero optimus Imperator, cu[illegible] tota eju[illegible] oſt[illegible]dit hiſt[illegible]ria, regni ju[illegible]ra ſarta [illegible]ervare [illegible]mprimis curæ fuit, ultro, vel an non potius importunis electorum [illegible]um precibus, verborumque lenocinus victus, in maximum ſuccedentium præ[illegible], parum conſulte iſta admiſerit, lectori judicandum relinquimus. Hoc cer[illegible]ivis locorum morem illum invaluiſſe, neque omnes Prælatos in Germa[illegible] ſtam libertatem ad[illegible]ptos. Colligitur ex diplomate Cæſareo Ottonis 4. præ[illegible] d[illegible]m no[illegible] re[illegible], de q[illegible]a hic agimus, illuſtret, ex codice manuſcripto [illegible]um apponemus. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus divina [illegible]ementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Iuſtum eſt & honeſtum, ut bene meritos [illegible]ritorum digna beneficiorum præmia congruo ordine ſubſequantur. Unde eſt, quod nos [illegible]tes præclara devotionis obſequia, quæ dilectus princeps noſter Albertus eccleſiæ Magdebur[illegible] archiepiſcopus, ab exordio noſtræ promotionis ferventer nobis exhibuit, & Domino etiam con[illegible]e impoſterum nobis eſt exhibiturus, non immerito ad omnia ea exequenda pura animi noſtr[illegible]ur intentione, quæ vel honorem perſonæ ſuæ reſpiciunt, vel ad commodum, vel utilitatem [illegible] ſuæ principalis, & demum ſuffraganearum eccleſiarum ſuarum conducunt. Cum igitur [illegible]na & antiquata conſuetudine omnium Epiſcoporum decedentium, qui de Iuriſdictione ſun[illegible], in quibuscunque redditibus, reliquiæ fiſco credere debeant Imperiali, ob ſinceram dilectio[illegible] memorati archiepiſcopi, ejusque perſonæ reverentiam ſucceſſoribus, dummodo à præſenti rega[illegible] [illegible]xeunt, & omnium Suffraganeorum ſuorum ſucceſſoribus, in perpetuum concedimus, ut omnes [illegible]piſcopales, qui defunctis Epiſcopis Imperio cedere conſueverunt, deinceps ad uſu[illegible] ipſorum [illegible]antur, & collecta reſerventur. Statuentes, ut ſi decedentes Epiſcopi aliquibus debitis fue[illegible]odati, ea exinde perſolvantur, per hoc tamen ſpeciale gratia noſtræ donum N. eccleſiam, [illegible]e ejus Suffraganeas eccleſias, cum omnibus earum familiis occaſione memorati archiepiſcopi [illegible]es[illegible]e ſpecialius honoratas, &c.* Datum Brunſuigæ anno 1208. 13. Kal. Junii. Ha[illegible]ma Ottonianum, ex quo illud, cujus memini[illegible]mus, liquido a[illegible]p[illegible]et: ne[illegible]m omnibus in I[illegible]perio eccleſiis majoribus uno eodemque tempore immuni[illegible]am indultam: ſed vel hunc Albertum archiantiſtitem, vel alios, per occa[illegible] [illegible]atiæ, qua apud Auguſtos valebant, hujus alienationis initium feciſſe. Gu[illegible]em dulcedine boli iſtius, Imperiali Cameræ prærepti, non deſtiterunt reliqu[illegible] [illegible]æ[illegible]ti omnem movere lapidem, donec optatis fortuna reſponderet. Ad quod [illegible] int[illegible] Pap[illegible]m & Cæſarem diſſidium, quod eum habuit exitum, ut fulmen [illegible]ſc[illegible]lerate & inique in Imperatorem Ottonem vibraretur. Cui à Principibus [illegible]x[illegible]uctorato, cum Fridericus ſecundus ſucceſſor deſig[illegible]etur, non potuit [illegible] audere dig[illegible]te nova, ni[illegible] jure à majoribus ſuis [illegible]e injuria uſurpato, & qui[illegible]r ab avo Friderico Barbaroſſa contra vulturium iſtum transAlpinum Urb[illegible]am maſculo animo defenſo, in magnum Imperii Romani, a[illegible]s per i[illegible]veſtitu[illegible]copalium alienationem plus ſatis enervati, detrimentum, inconſulte ſe ab[illegible]beo Imperatoris hujus diploma datum Herbipoli an. 1216. 5. Idus Maji, ex [illegible]a adſcribam. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Frideri[illegible]us Dei [illegible]omanorum Rex, ſemper Auguſtus & Rex Siciliæ. Illud privilegium, quod [illegible]um, & Dominus dominantium, in memoriam eccleſ[illegible]ſticæ libertatis precio[illegible]o[illegible]anguine ſcripſit, ita regio decet cuſtodire favore, ut nunquam in eo quidquam [illegible], quod illius gratiæ videatur obtenebrare decorem, quæ a tanto procedit au[illegible] [illegible]rgo poſt [illegible]rreni regni faſtigia ſecurius exſpectare poſſimus ab ipſo æternæ feli[illegible]oronam, cum noſtræ devotionis miniſterio permanſerit in ſuæ integritatis glo[illegible] Chriſti, grata[illegible]us ſtatus debet à nobis percipere potius incrementa, quam ipſius [illegible]uadam ſpecie ſervitutis pro poſſe ſinamus indumenta diſcerpi: ideoque vete[illegible]m conſuetudinem deteſtantes, quam anteceſſores noſtri Romanorum Imp[illegible]ato[illegible]es in Cathedrales exercuerunt eccleſias & Abbatias, quæ manu Regia porri[illegible], quod videlicet decedentibus Epiſcopis & Prælatis earum, non tam reliquias re[illegible] mobi[illegible]um eorundem conſuerant occupare, & convertere in uſus proprios occup[illegible]tas,*

FRIDERICUS II. ejus nominis Imperator, pacato utroque regno quod in Italia poſſidebat, tam Siculo, quam Neapolitano, cum intelligeret Henricum filium, facto cum Longobardis fœdere, novis rebus ſtudere, cùm Legato Pontificio multisque aliis per Picenum iter faciens Ariminum uſque pervenit, & dimiſſis illic aliis, conſcenſaque navi onerariâ magna in Forum Julii contendit, ac per id in Germaniam tranſiit. Jus in ea tum dicebat loco parentis Henricus jam dictus, Friderici ex Conſtantia Arragonia primogenitus, deſignatus Cæſar, & ab Engelberto Ubiorum Archiantiſtite Aquisgrani pro more redimitus: ſed quod minorennis eſſet, ab Imperii Principibus negligebatur. Publicæ igitur pacis & tranquillitatis cuſtode remoto, paſſim in Germania erant inter Magnates, tam eccleſiaſticos quam ſeculares, ſimultates, odia, & bella: quæ ſanguinis effuſio, rapinæ, & depopulationes frequenter comitabantur. Metuens igitur ſuæ ſaluti, patriæque mature conſultum volens Fridericus Imperator Comitia Imperii indixit Moguntiæ, veteri & perquam ſplendida Germaniæ urbe. Acceſſere ad conventum hunc publicum Proceres Imperii cupidiſſime, quod ſperarent finem aliquando futurum ingentium malorum, quæ ab Imp. Friderici Barbaroſſæ infelici extra patriam obitu continuo Remp. afflixerant. Erat tempus illud propemodum annorum quadraginta quinque: in quibus neque Henrici ejus nominis Sexti felix gubernatio fuit, neque poſtmodum unquam à bellis civilibus propter diſſidentes de electione Principes pax conſtitui potuit. *Elwagenſe Chronicon* à CL. *Marquardo Frebero* editum memorat Moguntiæ præſentes in Comitiis fuiſſe Principes LXXV. *Johannes Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi ſcribit conveniſſe ex omni Germania longe maximam Principum, Epiſcoporum, Comitum ac Nobilium multitudinem, adeoque plus quam duodecim millia hominum nobilium ac militum. Per nobiles autem Principes hic intelliguntur, Comites & Barones: per milites vero equites torquati, quod alibi pluribus docuimus. Initium Comitiorum factum eſt circa medium Auguſti anni MCCXXXV. Imperator ipſe non ſemel trabea indutus coronaque redimitus in publicum proceſſit. Acta in celeberrimo hoc conventu ea qua fieri par erat diligentia conſignata non ſunt: ſummatim de illis ſic ſcribit Godefridus Monachus: *Curia celeberrima iu adſumptione B. Mariæ apud Maguntiam indicitur, ubi fere omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus pax juratur, vetera jura ſtabiliuntur, nova ſtatuuntur & Teutonico ſermone in membranis ſcripta omnibus publicantur &c.* Extat autem Reformatio iſta Imperii excuſa Baſileæ ſermone Germanico, repetita à CL. Goldaſto in Conſtit. Imperialibus. Principum atque aliorum procerum nomina, etſi multo minus quam acta conventus annotata ſunt, ex diverſis tamen diplomatis & annalibus aliquem texemus catalogum eorum qui præſentes adfuere, ſuntque hi ſequentes: Sigfridus, ejus nominis tertius, Baro Eppenſteinius Moguntinus, Henricus de Molenarck Agrippinenſis, Theodoricus Comes à Weida Treverenſis, N. Biſuntinus, Wilbrandus Comes Hallermundius electus Magdeburgenſis, Eberhardus Saltzburgenſis, Archiepiſcopi. Egbertus Dux Meraniæ Bambergenſis, Sigfridus Ratisponenſis, Henricus nobilis in Than ſive Thanec Conſtantienſis, Sigebodo Baro à Gundelfingen Auguſtanus, Bertholdus Princeps Teccenſis Argentoratenſis, Henricus Comes à Thun Baſileenſis, Conradus nobilis à Riſenberg Hildeſienſis, Joannes de Oppia Leodienſis, Georgius Cameracenſis, Ludolfus Metenſis, N. Tullenſis, Godſchalcus Monaſterienſis, Engelhardus Naumburgenſis, Otto Comes Lippiacus Trajectenſis, C. Oſnaburgenſis, N. Pataviensis, Henricus nobilis regulus à Raſpenberg Aichſtetenſis, Conradus nobilis à Than Spirenſis, Engelhardus Mersburgenſis, Georgius Verdunenſis, Conradus Friſingenſis, Epiſcopi. Hermannus à Salza Dominus hoſpitalis S. Mariæ in Jeruſalem magiſter, Conradus à Mükos Fuldenſis, N. Murbacenſis, N. Werdinenſis, N. Corbeienſis, Abbates. Otto Dux Bajoariæ Comes Palatinus

Rheni, Henricus Dux Brabantiæ, Adelbertus Dux Saxoniæ, Burchardus Dux Carinthiæ, Matthæus Dux Lotharingiæ. Henricus Landgravius Thuringiæ, Comes Palatinus Saxoniæ, Henricus ejus nominis ſecundus Marchio Miſniæ, Hermannus Marchio Badenſis, Joannes & Otto, Alberti filii, Marchiones Brandenburgenſes, Henricus Seinenſis, Henricus Barenſis, Didericus ejus nominis ſextus Clivenſis, Henricus Anhaldinus, Bertholdus de Catzenellenbogen, Sigiſmundus Sarbruccenſis, Poppo Hennenbergius cum duobus filiis, Henrico & Hermanno, Adolfus Schawenburgius, Hermannus de Lechsgemunde, Ludovicus Stolbergenſis, Bernhardus Lippienſis, Otto Teclenburgius, Otto Ravensburgius, Walramus Naſſovius, Ludovicus Oetingenſis, Emicho Leiningenſis, Comites. Ex his non pauci adducuntur teſtes in diplomate Auguſtali Imperatoris Friderici, quod mox ſubjiciemus. Præter iſtos quos recenſuimus Principes ac Dynaſtas, Comitia hæc Maguntina inviſit etiam OTTO, Henrici Leonis ex filio Wilhelmo nepos, reliquiarum, quas ex avi poſſeſſionibus in agro Luneburgico reſtabant, unicus hæres; cujus negotia ut propius inſpiciantur, rem ab ovo, quod dicitur, repetemus, quæ ita habet.

Henrico Leoni Principi potentiſſimo iratus Imperator, inſtigatusque ab æmulis eripuit non tantum beneficia quæ ab Imperio & vicinis Archiepiſcopis Epiſcopis & Abbatibus tenebat, verum etiam allodialia bona admodum multa, quod diſertim & expreſſe indicat Auctor Chronici Rhithmici, cujus verba citavimus in Notis ad Gerhardi Præpoſiti Stederburgii Hiſtoriam de Henrico Leone. Fuere autem iſta, quæ innuo, allodialia bona in veteri Saxonia, ultra Viſurgim, Haſſiam & Rhenum verſus, & ad ripam illius utramque. Eas à majoribus Leonis poſſeſſas nemo inficiatur. Qui Princeps, ut gratiam Henrici Sexti impetraret, neceſſe habuit exuvias iſtas hoſtibus relinquere, & patrimonio reliquo, terra videlicet Brunſuicenſi & Luneburgenſi, quæque ad eas pertinebant, contentus eſſe. Hoc patrimonium ab obitu Leonis, filii ejus, Henricus Comes Palatinus Rheni, Otto quartus Romanorum Rex, & Wilhelmus unanimi primum conſenſu & conſilio indiviſum gubernarunt. Ex intervallo vero, diviſione inter ipſos facta, Stada & quæ Bremam verſus ſita erant, Henrico Palatino ceſſere: Ottoni Cæſari Brunſuiga, Wilhelmo Luneburgum cum territoriis eorundem obvenere. Henricus Palatinus, quum diem ſuum obiiſſet Otto Cæſar improlis, etiam Brunſuiceuſem ditionem gubernandam accepit. Eam poſtquam per annos novem rexiſſet, filiumque, quem unicum habebat, ſepeliiſſet, obiit Brunſuigæ anno MCCXXVII. relictis ex priore conjuge Agneta, Conradi Comitis Palatini filia, duabus filiabus, quarum natu major Agnes nupſerat Ottoni Duci Bajoariæ, Gertrudis data erat in matrimonium Henrico Marchioni Badenſi. Hi duo Principes, Henrici Palatini generi, jus ſuum omne, quod in territorium Brunſuicenſe habere ſe putabant, Friderico ſecundo, jamdudum Saxoniæ inhianti, pro certa neque admodum magna pecuniæ ſumma vendiderunt. Trithemius quidem, loco adducto, affirmat Bavarum ab Henrico Palatino loco dotis accepiſſe Palatinatum Rhenenſem; Badenſi ceſſiſſe in dotem quicquid in Saxonia ſocer habuerat: & ab hoc Brunſuigam Cæſari divenditam. Verum hanc ſententiam, cum nullos aſſertores alios habeat, præterea diplomati Cæſario adverſetur, in quo nulla dotium, aut terrarum per dotem receptionis fit mentio, merito repudiamus. Erant autem Brunſuiga, & Luneburgum, Cellæ aliæque urbes, opida & arces, quas Henricus Leo poſt indignam ſuperiorum annorum calamitatem ad poſteros transmiſit, bona allodialia, ſive ut Crancius loquitur peculium, quod ad fœminas etiam tranſire poterat. Otto autem Wilhelmi filius, Leonis nepos, territorii Luneburgenſis Dynaſta, Henrici Palatini ex fratre nepos, cum de jam dicta venditione edoctus eſſet, ſe ſuaque familia indignum putavit, ſi progenitorum ſuorum bona, optimo jure ad ſe devoluta, ab exteris pateretur occupari detinerique. Habito itaque conſilio cum Principibus conſanguineis & affinibus, inter quos primum locum tenebant Joannes & Otto, Alberti filii, Marchiones Brandenburgici, (nam horum ſoror germana Mechtildis in matrimonio Ottonis vivebat,) de urbe recuperanda deque Præſidio à Cæſare impoſito excludendo, ſerio cogitabat. Inviti autem parebant cives extraneis, quorum & faſtum intolerabilem & mores peregrinos ut averſabantur, ita veris heredibus ex animo ſtudebant. Coëgerat Otto circiter *bis mille* equites & peditum cohortes aliquot, quibus ſtipatus acceſſit ad urbem, *poſitis*-

que

que caſtris ad Riddageshuſium, religioſorum hominum domicilium, per internuncios cum civibus egit, ne, ſi quid per vim tentaretur, ipſi arma ſumerent : venire ſe patriæ pacificum, hoſtem ſaltim, quem ibi amplius ferre non poſſit, è peculio ſuo profligaturum. Non ignorabant cives urbem ab Ottonis majoribus conditam, auctam, munitam, ſacrorum hominum collegiis ornatam : cujus aviti beneficii ſi hoc tempore immemores reperirentur, apud omnem poſteritatem ipſis ingratitudinem illam opprobrio & dedecori futuram ſecum prudenter reputabant. Quieſcentes igitur ab armis Principem cum ſuis muros tranſcendentem, portisque vi apertis, impune & libere per totam urbem vagari paſſi ſunt. Cæſariani milites hoſtem quidem repellere conati, ſed quod à civibus ſe deſeri animadverterent, partique adverſæ longe eſſent impares, pluribus interfectis, ſuperſtites fuga ſalutem ſibi quæſiverunt. Sic arx Tanquarderoda, una cum urbe Brunſuiga, totoque territorio, vero & legitimo hæredi reſtituta fuit. Ab eo tempore liberalitate Ottonis cœpit urbs multis privilegiis, nondum tamen libertate gaudere, qua caruit uſque ad tempora Ottonis Strenui, Joannis Ducis Luneburgenſis F. qui primum anno MCCCXIV. cives à ſervitute, quæ tum temporis in hiſce regionibus nondum obſoleverat, emancipatos liberos ſcripſit. Imperator interim Fridericus, qui Brunſuigam, ut diximus, precio ſibi compararat, ut urbe plene potiretur, filium primogenitum Henricum nuper Cæſarem deſignatum, in Saxoniam amandavit, ut poſſeſſionem urbis & territorii apprehenderet. Eum deducebat Otto Bavarus, ſuo & Henrici Badenſis nomine urbem traditurus. Sed cum de ſtratagemate Saxonis inaudiviſſent, neque contra quid moliri auderent, inglorii domum redierunt. Acta hæc ſunt Anno MCCXXVII. ut plerique ſcriptorum conſentiunt : eratque tum Otto annorum circiter viginti trium. Ab occupata Brunſuiga Otto nominavit ſe *Dominum Brunſuigæ*, quo nomine etiam appellatur ab Alberto Stadenſi : cum antea ſemper dictus fuiſſet *Otto de Luneburg*. Cæterum hanc felicitatem excepit ingens infortunium, quod pene Ottonem patrimonio recuperato everiſſet. Gerebat ſub iſtud tempus bellum Waldemarus ſecundus ejus nominis, Daniæ Rex, contra Gerhardum Archiepiſcopum Bremenſem, Albertum Ducem Saxoniæ, Adolfum Schawenburgium & Henricum Suerinenſem Comites, cum quibus faciebant Dynaſtæ vicini Slavorum, & Lubeca atque Hamburgum urbes maritimæ. Regi Daniæ avunculo opem ferebat Otto Brunſuigius, potentior nunc multo quam nuper. Prælium eſt eodem quem dixi anno, menſe Julio, die Mariæ Magdalenæ: qui poſt adeptam victoriam Lubecenſibus deinceps ſacer eſſe cœpit. Rex mature fuga ſibi conſuluit : Otto cum diu fortiter pugnaſſet, equo excuſſus, ab Henrico Comite Suerinenſi interceptus eſt. Quam diu egerit in cuſtodia, non conſtat. Chronicon Saxonicum rithmis conſcriptum meminit per triennium fuiſſe detentum: à quo ita recedit Albertus Stadenſis, ut proximo à captivitate anno dicat dimiſſum, ſed non niſi iniquis conditionibus. Nam Alberto Saxoniæ Duci cedere coactus eſt arcem Hiddeſaker. De loco iſto & unde appellatio, nempe ab Hiddone Friſio, videatur Cornelius Kempius Hiſtor. Friſ. lib. III. cap. VI. Agente in cuſtodia Ottone, adverſarii ejus novis molitionibus ipſum aggreſſi ſunt. Etenim Miniſteriales, ſive Equeſtrem ordinem, agrum Brunſuicenſem inhabitantem, neſcio quibus promiſſionibus vel ſpebus impletos, ad rebellionem impulerunt. Architecti fuerunt Albertus Magdeburgicus & Fridericus Halberſtadenſis Antiſtites : inſtigati ad hoc, ut omnibus perſuaſum erat, ab Imperatoris Friderici filio Henrico, quem diximus. Plurimum infeſtabant maleferiati iſti vicini cives Brunſuicenſes, adeo ut importationem annonæ prohiberent, commerciorumque uſum plane ipſis adimerent. Præclare tum meriti ſunt de Ottone Joannes & Otto Marchiones Brandenburgici. Nam contracta ex ſuis equitum peditumque manu non contemnenda, urbem ingreſſi, eamque contra hoſtes fortiter & ſolerter tutati ſunt : donec ex vinculis Otto redauſpicaretur, & ſalvus incolumisque ad ſuos rediret. Qui rebelles iſtos ſtatim agreſſus, injuriam acceptam probe ultus eſt, quibusdã vita, plurimis poſſeſſionibus exutis. Neque deſtiterunt fratres Marchiones infeſtare Epiſcopos, quos dixi, injurias etiam ſuas vindicantes. Ab hoc vero tempore uſque ad annum MCCXXXV. tenuit Otto quiete & pacifice omnem paternam hereditatem, litem ſubinde movens Antiſtiti Bremenſi de territorio Stadenſi, quod acquirere tamen non valuit. Etiamſi autem interea temporis tàm Pontifex Romanus Gregorius,

rius, Imperatori infenſiſſimus, per Cardinalem Ottonem de Carcere Tulliano, quàm Henricus Cæſar deſignatus patri rebellis, non deſiſterent inſtigare & impellere Ottonem, ut aliquid contra Imperatorem moliretur, adduci tamen non potuit, ut quicquam ſe indignum animo conciperet. Accidit autem jam dicto anno, ut Imperator ex Apulia tranſiret in Germaniam & Comitia, de quibus ab initio dicere cœpimus, indiceret Maguntiam, ſub medium Auguſti celebranda: eoque vocaret ſingulos & univerſos, tàm Eccleſiaſticos quam Politicos Principes, Comites, Barones ac milites, quotquot Imperium Romanum id temporis adhuc agnoſcebant, quorum catalogum quendam jam contexuimus. Inter Principes hos permulti erant, qui Ottoni Brunſuicenſi bene cuperent, quique fomites diſcordiarum inter Principes Saxonicos plane ſublatos vellent. Neque abhorrebat à pace Imperator, quem tam Pontificis Romani furiæ, quam filii inobedientis molitiones ſolicitum habebant. Admonitus itaque tempeſtive Otto, ad Comitia acceſſit, ibique ad genua Imperatoris procumbens, & ſi quam imprudenter incurriſſet offenſam, modeſte & humiliter deprecatus, omnes poſſeſſiones ſuas hereditarias & allodiales Cæſari & Imperio reſignavit. Placuit ſubmiſſio permovitque Ordines ut conjunctim apud Cæſarem intercederent. Summa conſilii fuit, ut Cæſar generoſiſſimi ſanguinis Principem ſatis ſuperque hactenus ſiniſtra fortuna uſum tranquillitati tandem & quieti redderet, illuſtrique aliquo beneficio affectum ſibi totique Imperio arctius obligaret. Non diſſenſit Cæſar, morem potius bene monentibus geſſit, deque ſuo jure decedens, omnia quæ iſto tempore poſſidebat Otto, in unum coagmentata, novo Ducatus titulo inſignivit, ipſumque Ottonem, poſtquam fidelitatem Cæſari & Imperio juraſſet, in ſubſellia Principum collocatum, Ducem Brunſuicenſem deinceps appellari mandavit. Accidit id die XXI. Auguſti, in veſpera D. Timothei, qvum Otto annorum eſſet triginta unius. Subſeqvutus mox eſt applauſus omnium qui inveſtituræ huic interfuere, & acclamatum feliciter, litteræque feudales, quas vocant, deſuper confectæ, omniaque in acta publica ſunt relata. Literas eas, quas nactus ſum, bona fide ad verbum in rei geſtæ memoriam hic apponam.

LITERÆ EEUDALES

Seu

INVESTITURÆ

FRIDERICI SECUNDI

Roman. Imper.

datæ

OTTONI DE LUNEBURG,

Super erectione Ducatus


Brunſuicenſis.

C. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.* FRIDERICUS SECUNDUS, *divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Jeruſalem & Siciliæ Rex. Glorioſus in Majeſtate ſua Dominantium Dominus, qui regna conſtituit, & firmavit Imperium: de cujus clementia vivimus, de cujus munere eſt, quod feliciter imperamus: adhoc nos ſupra reges & regna præpoſuit, & in Imperiali ſolio ſublimavit, ut nobis factori noſtro gratitudine devota ſubjectis pacem & juſtitiam moderamina noſtra contineant, & qui ſumus præ filiis hominum ab eo, qui præminet orbi terræ, ſublimius exaltati, viros dignos honoribus & non immeritos ad ſolicitudinis partem admitti liberaliter ad decus & decorem Imperii nominis & honoris titulo decoremus. Hinc eſt ergo, quod per præſens ſcriptum noverit præſens ætas, & futura poſteritas, quod cum propoſiti noſtri foret, ut dilectum conſangvineum noſtrum* Ottonem de Luneborch *ad fidem imperii & devotionem noſtram efficeremus arctius obligatum, nec loci vel temporis opportunitas affuiſſet, quo conceptam erga eum intentionem noſtram proſequi nos deceret. Contingente cauſſa noſtri felicis adven-*

tus

tus in Alamanniam & pro reformatione totius terræ ſtatus indicta Maguntiæ curia generali, dictus Otto ad eandem curiam vocatus acceſſit, in qua dum aſſidentibus nobis Principibus noſtra Serenitas reſideret, de reformando terræ ſtatu diſponens, nominatus Otto de Luneburg, flexis genibus coram nobis, omni odio & rancore poſtpoſitis, quæ inter proavos noſtros exiſtere potuerunt, ſe totum in manibus noſtris expoſuit, noſtris ſtare beneplacitis & mandatis, & inſuper proprium ſuum caſtrum Luneborch, quod idiomate theutonico vocatur Eigen/ *cum multis aliis caſtris, terris & hominibus eidem caſtro pertinentibus, in noſtram proprietatem & dominium ſpecialiter asſignavit, ut de eo, quicquid nobis placeret, tanquam de noſtro proprio faceremus. Nos autem, qui tenemur modis omnibus Imperium augmentare, prædictum caſtrum de Luneburg cum omnibus caſtris, pertinentiis & hominibus ſuis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis asſignatione in proprietatem accepimus, in præſentia Principum in Imperium tranſtulimus, & conceſſimus, ut per Imperium infeodari debeat. Civitatem inſuper de Brunſuic, cujus medietatem proprietatis dominii à Marchione de Baden, & reliquam medietatem à Duce Bavariæ, dilectis principibus noſtris emimus, pro parte uxorum ſuarum, quæ fuerunt quondam filiæ Henrici de Brunſuic, Comitis Palatini Rheni, patrui dicti Ottonis, ſimiliter in eadem curia Imperio conceſſimus, proprietatem nobis debitam in dominium Imperii transferentes. Præterea Ottone in ipſa generali Curia in manibus noſtris connexis palmis ſuper ſancta cruce Imperii, quæ ibidem tenebatur, præſtante fidei juramentum, nos attendentes, quam pura fide, ſincera & prona devotione, ſe totum mandato & voluntati noſtræ commiſit, & in proprietatem noſtram conceſſit proprie proprium Caſtrum ſuum, de quo nemini tenebatur, & humiliavit ſe omnibus modis coram nobis: conſiderantes inſuper, quod nunquam per eum fuerit offenſum imperium, & nec contra honorem noſtrum ad ſuggeſtionem alicujus voluerit inveniri, dignum & utile vidimus circa ſtatum & augmentum ipſius Imperiali munificentia providere. Quapropter cum conſilio, aſſenſu & aſſiſtentia Principum civitatem Brunſuic & caſtrum Luneborch, cum omnibus caſtris, hominibus, & pertinentiis ſuis univimus & creavimus inde Ducatum, & Imperiali auctoritate dictum conſanguineum noſtrum Ottonem Ducem & Principem facientes, Ducatum ipſum in feodum Imperii ei conceſſimus, ad hæredes ſuos, filios & filias hæreditaria devolvendum, & eum ſolenniter juxta conſuetudinem inveſtivimus per vexilla, de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslariæ, Imperio pertinentes. Cæterum miniſteriales ſuos in miniſteriales Imperii aſſumentes, eidem conceſſimus, eosdem miniſteriales juribus illis uti, quibus Imperii miniſteriales utuntur. Ad hujus itaq; conceſſionis memoriam, & robur perpetuo valiturum, præſens privilegium fieri, & bulla aurea typario noſtræ majeſtatis impreſſa juſſimus communiri. Hujus autem rei teſtes ſunt S. Maguntinus, H. Colonienſis, E. Saltzburgenſis, T. Treverenſis & Biſontinus, Archiepiſcopi: W. Magdeburgenſis electus, E. Papemburgenſis, S. Ratisponenſis, Imperialis Aulæ Cancellarius, H. Conſtantienſis, S. Auguſtenſis, B. Argentinus, H. Baſileenſis, C. Hildesbemenſis, I. Leodienſis, C. Cameracenſis, I. Medenſis, Tullenſis, Monaſterienſis, E. Nuenburgenſis, Trajectenſis, C. Oſenburgenſis, R. Pactavienſis, H. Eyſtedienſis, C. Spirenſis, E. Merſeburgenſis, G. Verdinienſis, & C. Friſingenſis, Epiſcopi: Frater Hoſpitalis S. Mariæ theutonicorum in Jheruſalem Magiſter, Morbacenſis, Augenſis & Elwacenſis, Abbates: Otto Dux Bavariæ Comes Palatinus Reni, H. Dux Brabantiæ, A. Dux Saxoniæ, B. Dux Carinthiæ, M. Dux Lotharingiæ, H. Landgravius Thuringiæ Palatinus Comes Saxoniæ, H. Marchio Miſnienſis, H. Marchio de Baden, I & O Marchiones de Brandenburch, H. Comes Senenſis, H. Comes Barenſis, D. Comes Clevenſis, H. Comes de Hanalt & alii quam plures.*

Signum Domini Dei gratia Invi-rum Impera-Jeruſalem &



Friderici Secundi ctiſſimi Romano-toris ſemper Auguſti Siciliæ Regis.

Ego Sigfridus Ratisponenſis Epiſcopus, aulæ Imperatoris Cancellarius, vice Domini Moguntini Archiepiſcopi totius Germaniæ Archi-Cancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, menſe Auguſto, octavæ Indictionis, Imperante Domino noſtro Friderico Dei gratia Romanorum Imperatore ſemper Auguſto Jeruſalem & Siciliæ Rege, Anno Imperii ejus ſexto decimo, regni Jeruſalem decimo, regni vero Siciliæ triceſimo octavo, feliciter. Amen. Datum Maguntiæ. anno, menſe & Indict. præſcriptis.

Diplomati huic ſubjungo Denunciationem ejusdem Friderici Auguſti, qua Miniſterialibus Ducis Ottonis infeudationem factam denunciat, & ut homagium & obedientiam ipſi præſtent, mandat.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Siciliæ Rex, univerſis Miniſterialibus infra Comitatum Staden conſtitutis & ad dominium de Brunſvic attinentibus, fidelibus ſuis, gratiam ſuam & omne bonum. Credimus ad veſtram audientiam perveniſſe, qualiter de conſilio Principum dilectorum OTTONEM DE LUNEBORG, dilectum noſtrum, in Principem creavimus, concedentes ei de gratia ſpeciali Ducatum de Brunſvic cum omnibus juſtitiis & rationibus attinentibus ad dominium civitatis ipſius de Brunſvic. Quare fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quatenus eidem Duci, dilecto Principi noſtro attendatis & obediatis de cætero, tanquam Domino veſtro, ſibi fidelitatis juramentum ſecundum conſuetudinem Imperii exhibentes, ut ex fidelitate & devotione, quam erga eum habebitis de cætero melius commendari poſſitis, & tam ipſum Ducem, quam Excellentiam noſtram, ad grata vobis præmia conferenda pro meritis inducatis. Datum Auguſtæ, ult. Oct. Indict. VIIII. Anno MCCXXXV.

Atque hæc erectio Ducatus Brunſvicenſis & Luneburgenſis fuit, hæc cauſſa, hæc occaſio, hæc inveſtitura. Ut vero porro curioſo Lectori gratificer, operæ pretium me facturum putavi, ſi alias aliorum Ducatuum erectiones in exemplum adducerem & tecum communicarem. Subjungo igitur, quas ad manus nunc habeo *Erectionem Principatus Hennenbergenſis* anno MCCCX. ab Henrico VII. Imp. & *Sublimationem Caſtruccii de Altelminellis in Ducem Lucæ*, à Ludovico Imp. anno MCCCXXIIX. factam: *Ducatus* item *Lucemburgici erectionem* à Carolo IV. ad annum MCCCLIV. & *Ducatus Holſatiæ* à Friderico III. anno MCCCCLXXIV. celebratam. Tu Lector iſtis fruere & laboribus noſtris fave.

DIPLOMA ERECTIONIS PRINCIPATUS HENNENBERGENSIS.

HENRICUS Dei gratia ſacri Romani Imperii Rex, ſemper Auguſtus, univerſis Imperii fidelibus in perpetuum. Tanto laudabilius Imperiale ſceptrum extollitur, de cujus throni fulgore, veluti ex Solis radio, prodeunt dignitates, tantoque Princeps in commiſſi regiminis ſollicitudinibus plus relevatur, quanto tribunal ipſius perſonas in circuitu circumſpicit digniores. Hac igitur conſideratione moniti, qui cæleſti providentia Romani moderamur habenas Imperii, ſolii noſtri decus novis libenter honoribus ampliantes, ad perſonam ſpectabilis viri, BERTHOLDI COMITIS DE HENNENBERG, fidelis noſtri cariſſimi, pro quo non ſolum devotionis & fidei puritas, & ſervitii gratitudo multiplicis, ſed etiam magni

gni nobilitas generis, & alti providentia conſilii intercedunt favorabiliter, convertimus faciem mentis noſtræ, ac ejus votivis ſupplicationibus inclinati, ad augmentum ſacri Imperii honoris, de Principum noſtrorum conſilio, conferimus eidem Bertholdo, ac ſuis hæredibus omnia jura Principum, tam in ingreſſu quam egreſſu ad Imperialem deliberationem, in ſententiis conveniendis, dictandis, pronunciandis, in jure civili & plebiscito, quod vulgo dicitur Landrecht Et ſpecialiter ipſi Bertholdo, & liberis ſuis, nec non hominibus eorundem, hanc de liberalitate regia duximus libertatem & gratiam faciendam, quod ipſe Comes & liberi ſui debeant jure & more aliorum Principum noſtrorum & Imperii coruſcare, & homines ſuos jure aliorum Principum congaudere, ſic quod ipſe Comes & ſui liberi non alibi, quam ubi alii Principes Imperii & homines eorum conveniuntur, valeant conveniri: ac ipſum Comitem Bertholdum & ſuos liberos jure aliorum noſtrorum Principum, nec non homines eorundem hominibus aliorum Principum noſtrorum, tam in parando & ſtando jure, quam aliis libertatibus & juribus per omnia adæquandos. Mandamus igitur, & ſub obtentu gratiæ noſtræ diſtricte præcipimus, ne quis eos de cætero contra hanc noſtram conceſſionem, libertatem & gratiam impedire vel moleſtare præſumat, quod qui præſumſerit, Imperialis ſublimitatis offenſam ſe noverit graviter incurſurum. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo valiturum, præſens privilegium conſcribi, & noſtræ majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum apud Frankenfurt 8. Kal. Auguſti. Indict. 8. Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo, regni vero noſtri ſecundo.

DIPLOMA ERECTIONIS
DUCATUS LUCENSIS.

LUdovicus Dei gratia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, illuſtri Caſtruccio de Altelminellis, Duci Lucano, Comiti ſacri Lateranenſis Palatii, & vexillifero Imperii, ſuo & Imperii fideli dilecto, gratiam ſuam & omne bonum: Principalis liberalitatis clementia, in ſuis fidelibus dona multiplicans, illis præcipue conſuevit aſſurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione Coronæ ſingulares triumphos & nomen laudabile ſunt ſortiti. Sane cum veraciter ſciamus, experientia nobis dictante magiſtra, Te præcipuum & ſtrenuum in partibus Italiæ pro ſacro Imperio pugilem extitiſſe, nulli parcendo oneri vel labori, ac juſtitia tua ac animi probitate victos de hoſtibus devotos pro Imperio tenuiſſe, & devios infideles ad fidem gratioſis meritis invitaſſe; tantoq; magis Imperiale ſceptrum extollitur, tanto cura regiminis à ſolicitudinibus & laboribus relevatur, quanto fideles in circuitu Imperii circumſpicit digniores, & de fulgore throni Cæſarei, velut ex Sole radii, ſic cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non ſentiat detrimentum. Hac igitur conſideratione commoniti, qui cæleſti providentia Romani Imperii moderamur habenas, ac ſolii noſtri decus tam veterum dignitatum ornatibus confovemus, quam novis honoribus ampliamus: volentes præmiſſorum obtentu extollere nomen tuum, & Te prærogativa ſpeciali magnifice honorare, de plenitudine poteſtatis, & de certa ſcientia, & de conſilio noſtrorum Principum & Baronum, civitatis Lucæ, Piſtorii, Volaterrarum & Lunæ, cum omnibus & ſingulis caſtris, villis & locis ſitis in diœceſibus ipſarum, & cum omnibus earum & cujusque earum pertinentiis, territoriis & jurisdictionibus quibuscunque, ad jus, honorem & nomen Ducatus pertinentibus, transferentes & volentes, uno dignitatis vocabulo contineri Ducatus Lucani: Te pro te, & ſucceſſoribus tuis, & ex te per lineam maſculinam natis & naſcituris in perpetuum iſtius Ducatus Ducem, & vexilliferum noſtrum & ſacri Romani Imperii ubilibet, de præmiſſæ noſtræ poteſtatis plenitudine, & principali munificentia promovemus: eiſdem libertatibus, immunitatibus & juribus prædictum Ducatum tuum præſentium auctoritate donantes, quæ Ducalem deceant dignitatem, præfatasque civitates, & quamlibet earum, & omnes terras, caſtra, territoria atque loca, quæ in diœceſibus, ſeu epiſcopatibus & territoriis, & pertinentiarũ ipſarum civitatum, ſeu cujuslibet earum, ſeu intra confines diœceſium, epiſcopatuum pertinentiarum & territoriorum præfatarum civitatum & cujuslibet earum ſitæ ſunt,

ſeu

ſeu ſita, in perpetuum tibi & legitimis ſucceſſoribus tuis, ex te deſcendentibus, natis & naſcituris per lineam maſculinam, ex certa ſcientia damus, concedimus & donamus: cum omnibus & ſingulis villis, caſtris, terris, fortalitiis, caſalibus, vaſallis, hominibus, poſſeſſionibus, honoribus, uſibus, derittis, domaniis, feudis, homagiis, patronatibus vacantium & non vacantium eccleſiarum & locorum, ad nos & ſacrum Romanum Imperium ſpectantibus ſeu pertinentibus, & cum terris cultis & incultis, ſilvis, paſcuis, nemoribus, ſalinis, balneis, ſtagnis, lacubus ac quibuscunque aquis & aquarum decurſibus, molendinis, piſcariis, piſcationibus, venationibus, montibus, planis, vallibus, & omnibus & ſingulis locis, juribus & pertinentiis tam maris quã terræ præfatarum civitatum, terrarum & locorum & cujuslibet ipſarum & ipſorũ exiſtentium intra prædictas diœceſes confines & loca, quæ in hujuſmodi noſtra conceſſione & donatione ſub ſpeciali aut generali vocabulo poſſunt intelligi ſive comprehendi, & quæ ad Romanum Imperium ſpectare noſcuntur. Et ſic Te & ſucceſſores tuos prædictos in Ducem & Duces prædicti Ducatus cum dignitate illuſtri eligimus, conſtituimus, præficimus & creamus, dantes & concedentes tibi, & ſucceſſoribus tuis prædictis in præmiſſo Ducatu pleniſſimam jurisdictionem, & liberam & auctoritatem & poteſtatem juris dicendi per Te & per alios, ac etiam merum & mixtum imperium, ut exercere valeas & valeant ad animadvertendum in facinoroſos & malos: & ut ipſius Ducatus dignitate Te & præfatos tuos ſucceſſores cognoſcas amplius & favorabilius ab imperiali eminentia ſublimari, tibi & ſucceſſoribus tuis prædictis ex ipſa dignitate Ducatus perpetuo decrevit competere noſtra Serenitas, auctoritatem & poteſtatem creandi & ordinandi perpetuo & ad tempus (prout vobis placuerit) in ſingulis civitatibus, caſtris, opidis, villis, terris dicti Ducatus, vicarios, capitaneos, poteſtates, judices, ſeu rectores, & quoslibet ordinarios magiſtratus, vel etiam delegatos, & quoscunque honores & dignitates, atque honorum & dignitatum officia, cum auctoritate & poteſtate juris dicendi & mero & mixto imperio, ſtatuta municipalia condendi, juri divino & naturali non contraria, prout utilitati & pacifico ſtatui expedire videritis ſubjectorum. Adhæc quoque in prædicto tuo Ducatu flumina navigabilia, & ex quibus navigabiles fuerint portus, plageas (ſicut & nunc dinoſceris poſſidere) ripas & ripatica, nec non vectigalia, telonia auri & argenti & metallorum omnium quæſtum, nunc nobis & Imperio pertinentes, tibi tuisque ſucceſſoribus memoratis concedimus & donamus. Ac monetæ tam auri & argenti, quam æris cudendæ, juſti & recti ponderis, in ipſo tuo Ducatu tibi prædictisque tuis ſucceſſoribus præſenti privilegio facultatem liberam indulgemus: & feuda antiqua & nova, & recta, & regalia conferendi & infeudandi vaſallos Imperii de feudis, quæ vel manu vel ore, aut quocunque alio modo fuerint conferenda: & recipiendum à vaſallis Imperii fidelitatis & homagii ſacramenta, & mulctarum ſeu pœnarum compendia & confiſcationes bonorum, & cetera, quæ dicuntur regalia, in ipſo Ducatu, ad tuũ & prædictorum tuorum ſucceſſorũ compendiũ volumus pertinere. Milites quoque in dicto Ducatu & extra conſtituendi, militari cingulo decorandi, & judices ordinarios & Notarios publicos creandi & ordinandi ac conficiendi: filios & filias naturales, tã ſpurios quã vulgo quæſitos ex damnabili coitu natos, legitimandi & cum ipſis ſuper natalium defectu, & alio quolibet, diſpenſandi, tibi & ipſis auctoritatem plenariam indulgemus. Ut tamen pro honore, quem tibi libenter adjicimus, nullum jus ſubtrahatur obedientibus vel obedituris nobis in Imperio, in eorum bonis, feudis, jura tamen Imperii remaneant Ducatui ſupradicto. Volumus inſuper, quod in præmiſſis Ducatu & Vexilliferatu, ſemper major natu, ſeu ſenior ex generatione tua, ex te & ſucceſſoribus tuis legitime deſcendentibus, excluſis aliis filiis ſeu hæredibus minoribus, ſolus & in totum ſuccedat. Et propter præmiſſa omnia, Te pro te ipſo, & prædictis ſucceſſoribus tuis, nobis pro nobis ipſis, ſucceſſoribusque noſtris homagium & debitæ fidelitatis juramentum præſtantem, de præmiſſis Ducatu & Vexilliferatu, per ſceptrum, (quod in manu tenemus) præſentialiter inveſtimus & infeudamus. Porro omnia & ſingula ſupradicta valere & tenere volumus & firmamus, non obſtante aliqua lege, conſuetudine, aut jure, quibus contrarium caveretur, quibus omnibus & ſingulis ſpecialiter & expreſſe, tanquam nominatim de illis in præſenti privilegio fieret mentio, intendimus ut eſſe debeat derogatum, & potiſſime juri & conſuetudini, quo & cavetur, ſeu cautum diceretur, quod hæres in

Duca-

Google

tu, Comitatu vel Marchia, nullo modo succedat, niſi ab Imperatore acquiſierit per inveſtituram quantum ad caſum præſentem, in aliis vero caſibus in ſuo robore ſemper maneant. Volumus tamen, quod tu & ſucceſſores tui à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſacro Romano Imperio, requiſitus & requiſiti, perpetuo tenearis & teneantur plenam & liberam obedientiam facere, & in omnibus noſtris mandatis, ſucceſſorumque noſtrorum & ſacri Romani Imperii, intendere & parere, & omnia noſtra mandata obſervare & efficaciter implere, juxta poſſe, & executioni mandare. Meminit quoque noſtra Serenitas, de prædictis, ante noſtræ coronationis ſolemnia, tibi & prædictis ſucceſſoribus tuis privilegium ſimile indulſiſſe: quæ, & omnia in ipſo contenta, ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine, ac de conſilio & aſſenſu procerum & baronum Imperialis aulæ, ratificamus, approbamus & confirmamus. Statuimus etiam & mandamus, quatenus nulla civitas, nulla communitas, & generaliter nulla perſona, cujuſcunque conditionis ſeu ſtatus & præeminentiæ exiſtat, huic noſtræ paginæ audeat in aliquo contrafacere vel venire, ſeu Te, aut prædictos tuos ſucceſſores in aliquo [illegible]re, de his quæ ſupra tibi & eis à noſtra clementia liberaliter ſunt collata. Si quis [illegible] temerario auſu præſumpſerit contravenire, mille marcarum auri pœnam incurrat, [illegible] dimidia Cameræ noſtræ perſolvendam, & pro alia dimidia Cameræ dicti [illegible] & vexilliferatus, in quorum præjudicium aliquando fuerit attentatum. Qui[illegible]us & ſingulis ſupradictis teſtes fuerunt infra ſcripti, videlicet Rudolfus Dux [illegible], Princeps & patruus noſter cariſſimus, venerabilis Jacobus Epiſcopus Caſtel[illegible], venerabilis frater Bonifacius Epiſcopus Chironenſis, Hermannus de Lithel[illegible] Cancellarius noſter, Henricus Dux Brunſuicenſis, Ludovicus Dux de Tech, Al[illegible] de Lithelberg Mareſchalcus noſter, Henricus Landgravius Alſatiæ, Fridericus [illegible]berg, Manchardus Comes de Horteneburg, Otto Comes de Truhendingen, [illegible] Comes de Claramonte, nec non nobiles viri, Jacobus Sciara de Columna, Ja[illegible] Sabellis, Senatores urbis, Manfredus de Vito, almæ urbis præfectus, Thebal[illegible]lo Conſtacchio. Et ad prædictorum omnium teſtimonium & corroborationem, præſentes conſcribi, & ſigilli Majeſtatis noſtræ robore juſſimus communiri. [illegible] Romæ apud S. Petrum, XV. die menſis Febr. Indictione XI. anno Dominicæ [illegible]tionis MCCCXXIIX. Regni noſtri XIV. Imperii primo.

DIPLOMA ERECTIONIS DUCATUS LUCEMBURGENSIS.

KArolus D. G. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Rex Bohemiæ, illuſtri Duci Wenceslao, gratiam. Sceptrigera Cæſareæ dignitatis ſublimitas, [illegible] in inferioribus poteſtatibus & auctoritatibus elatione præfertur, ut com[illegible] fideles optime gubernet conſolationis præſinio, quod thronus regius tanto [illegible]licius, & uberiore proſperitate perficiatur, quanto indeficienter ſuæ virtu[illegible]iolargiori benignitatis munere ſubditur in ſibi ſubjectos: ſic a coruſcante [illegible]lis ſolii nobiliter ille velut à ſole radii prodeuntes fidelium ſtatus & con[illegible]t, & primæ lucis integritas inviolati luminis detrimenta non patitur, [illegible]loris uti [illegible] lantis jubaris exſpectato decore perfunditur, dum in cir[illegible]ugu[illegible] illuſtrium Principum numerus ad Imperii ſacri decorem feliciter [illegible]r. Sa[illegible]dentes multiplicia merita probitatis, & præclare devotionis [illegible]ibus Tu[illegible] præclaræ memoriæ progenitores tui domus Lucemburgenſis, [illegible] Romanum Imperium dignis quidem ſtuduiſti honoribus venerari, i[illegible] du[illegible] amorem, quod ad Imperii procurandos honores inclinaris, [illegible] regiæ [illegible]onis intuitu limpidi[illegible], animo deliberato, ſano [illegible]ium [illegible]rum, & illuſtrium aliorum baronum & procerum Im[illegible] dicti acced[illegible]o, Te frater cariſſime, Wenceslae, non carnalitatis [illegible] originis tuæ [illegible]te poſcente præfati, cum hæc latitudo tui dominii & [illegible]ctæ tibi ditioni[illegible] & intemerata fides tuæ univerſitatis & populi, quo[illegible]m tempore ſacrum [illegible]runt Imperium, non immerito requirebat, hodie [illegible] Domini & Salvatoris noſtri, à quo omnis principatus & honor provenire

cognoſcitur, illuſtravimus & illuſtramus, & in verum Principem & Ducem ſublimavimus, ereximus, decoravimus & erigimus, Romanæ regiæ ſolemnitudine poteſtatis libertatis: decernentes expreſſe, quod Tu, hæredes & ſucceſſores tui Ducis perpetuo omni dignitate, nobilitate, jure, poteſtate, libertate, honore & conſuetu[illegible] dere debeatis & frui continuo, quibus alii ſacri Imperii Principes & nominati Duc[illegible] luſtres freti ſunt hactenus, & cottidie potiuntur, terraſque tuas, opida, caſtr[illegible] tiones, villas, provincias, diſtrictus, montes, colles & plana, cum omnibus [illegible] betis, pratis, aquis, aquarum decurſibus, paſcuis, piſcinis, piſcaturis, mole[illegible] dæis, monetis, judiciis, bannis ſive inhibitionibus, venationum quæ vulgo [illegible] nominant, & pœnis inde ſequentibus, conſuetudine vel jure, baronibus, baro[illegible] dis, feudatis, vaſallis, vaſallagiis, militibus, clientibus, judicibus, civibus [illegible] & plebeis, ruſticis, agricolis, pauperibus & divitibus & omnibus eorum [illegible] cut prædicta & quælibet earum latitudo dominii tui comprehendit, in v[illegible] patum & Ducatum L. ereximus & erigimus, inſignimus, ac de prædictæ r[illegible] ſtatis plenitudine decoramus, tibi illuſtri videlicet prædicto Ducatum [illegible] tum hujusmodi, cum omnibus honoribus, juribus, privilegiis & im[illegible] quemadmodum Ducatus ſive Principatus inſignes ab illuſtribus ſacr[illegible] Imperii poſſidentur vel tenentur, vel poſſideri conſueverunt hactenus, & [illegible] à ſacro Romano Imperio in feudum dependent, de benignitate regia con[illegible] crevimus etiam, & hac edictali conſtitutione ſancimus, quod Tu, hæredes [illegible] res tui, perpetuo Duces L. nominari & appellari debeatis inantea, & tanq[illegible] Imperii ſacri Duces & Principes teneri & honorari, & ubicunque ab om[illegible] ri, omnique jure, privilegio, honore, gratia & dignitate & immunitate [illegible] dimento perfrui, quibus alii ſacroſancti Romani Imperii Duces & Princi[illegible] ſive recipiendis juribus & conferendis, ſeu ſuſcipiendis feudis, & o[illegible] ſtrem ſtatum & conditionem Ducum ſeu Principum tenentibus, freti ſunt [illegible] ſeu quomodolibet potiuntur. Et ut Ducatus ſeu Principatus L. ſolito fi[illegible] magis firmaretur, & tanto ſe Romano Imperio magis obligatum conſe[illegible] ampliori fuerit regiæ liberalitatis munere decoratus, Te, hæredes & ſucce[illegible] Duces L. perpetuo infra ſcripto claro quidem officio gratioſius inſignimus, [illegible] ad ſucceſſores noſtros Romanos Imperatores ſive Reges, ad reprimendam rebellium noſtrorum ſuperbiam, noſtros ſeu Imperii procurandos honores, armaros contigerit incedere, Tu, hæredes aut ſucceſſores tui, Duces L. qui pro tempore fuerint frenum Imperialis, ſeu Regalis dextrarii noſtri à latere dextro gubernare & proſpicere d[illegible] fidei diligentia debeatis, & in recubitu menſæ noſtræ cibos regios, qui in [illegible] curiis noſtris adminiſtrati fuerint, coram nobis incedere, ut [illegible] fideles Imperii guerrarum & pacis in tempore noſtri curam & cuſtodiam [illegible] Et quia Tu, cariſſime frater, tanquam Dux L. ſacri Imperii vaſallus & [illegible] eundem tuum Principatum ſeu Ducatum L. à regia m[illegible]e in [illegible] res, nobis velut Romanorum regi & vero tuo Domino, fidelitatis, [illegible] & ſubjectionis debita juramenta ſolita præſtitiſti, quodque in P[illegible] tuo prædicto pacem & juſtitiam omnibus & ſingulis, æque pauperi[illegible] procurare velis & debeas, efficaciter & fideliter juxta poſſe, decer[illegible]mus [illegible] edicto duximus perpetuo ſtatuendum, quod Tu, hæredes & ſucceſſores [illegible] Ducatum & Principatum L. prædictum, cum omnibus ſuis pertinent[illegible] ſatur ſuperius, à nobis, nec non à ſacratiſſimis Imperatoribus [illegible]uR[illegible] ſucceſſoribus noſtris, & ab ipſo Romano Imperio, quoties opo[illegible] ſolemnitatis honore cum vexillis, ut moris eſt, & ſolita reverentia ſuſci[illegible] nobisque ac eisdem noſtris ſucceſſoribus, & in caſibus præmiſſis, ſic [illegible] Duces & Principes, præſtare & facere, fidelitatis, homagii, obedientiæ & [illegible] debita corporalia juramenta. Nulli ergo omnino hominum liceat han[illegible] ſtrationis, erectionis, inſignitionis, decorationis & collationis pagina [illegible] ſeu ei auſu temerario quovis contraire, ſub pœna mille marcarum auri [illegible] qui contravenire præſumpſerit, irremiſſibiliter exigi volumus, & ear[illegible] noſtræ regalis Cameræ fiſco, reſiduam vero partem injuriam paſſorum u[illegible] cari. Datum in civitate Metenſi, anno Domini MCCCLIV. Indictione VII. Idus Martii. Anno Regis Karoli VIII.

[illegible] O-

DIPLOMA ERECTIONIS
DUCATUS HOLSATIÆ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Dominus Marchiæ Slavonicæ, ac portus Naonis, Comes in Habspurg, Tyrolis, Pherretis & Kiburg, Marchio Burgoviæ & Landgravius Alſatiæ, ad perpetuam rei memoriam. Cum Imperii ſacri decus, populique Romani cultus, honoris dignitatisque largitione plurimum conſiſtant, tunc maximè augere ornareque exiſtimamus, ubi eos liberalitatis munere proſequimur, quos ſumma probitatis ſtudia noſtrâ clementia dignos reddiderunt, eoque auguſtum ſolium ampliori corona reluceat, quo Imperatoria Majeſtas, munus ſerenitatis diffundens, uberiori ſplendore refulget. Summa itaque Romani Imperii auctore Deo feliciter gubernantes, idque ſemper honoribus & dignitatibus amplificare & decorare ſatagentes, matura deliberatione prævia, accedente ad hoc Electorum, aliorumque Principum, Comitum, Baronum & procerum noſtrorum conſilio, motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine Cœſareæ poteſtatis noſtræ, titulos Comitatuum Holſatiæ & Stormariæ extinximus, caſſavimus, eorumque Comitatum, terras & dominia univimus, eisque diſtrictum Dithmarſiæ incorporavimus, hujusmodique terras, diſtrictus & dominia unita & incorporata, in Ducatum ereximus, extulimus & conſtituimus, conferentes eidem omnia & ſingula Ducalia ac Principatuum jura, honores, prærogativas, eminentias, ac imponentes eidem titulum Ducalem de Holſatia: Volentes ac mandantes inantea hujusmodi titulo ab omnibus appellari. Conſiderantes denique Illuſtriſſimi Principis Christierni Daciæ regis, fratris noſtri cariſſimi, excelſa merita in nos, ſacrumque Romanum Imperium officia, affectumque optimum, deliberatione, motu, ſcientia & poteſtate prædictis, eidem fratri noſtro, tanquam Duci Holſatiæ, Ducatum de Holſtein ſic erectum & conſtitutum, in feudum dedimus, conceſſimus, caritatemque ſuam, recepto prius ab eo, tanquam à Duce Holſatiæ, corporali fidelitatis & obedientiæ ſolito juramento, ſolenniter inveſtivimus, damusque concedimus & inveſtimus per præſentes, ita ut inantea caritas ſua, ejusque in hujusmodi Ducatu legitimi ſucceſſores, eundem Ducatum ita erectum tenere, & cum omnibus Ducalibus ac Principatuum dignitatibus, juribus, honoribus, titulis, eminentiis, utilitatibus & prærogativis poſſidere, & præſertim jure auream argenteamque monetam fabricandi, venationes banniendi, gabellas & telonia ſolita ſublevandi, & ſalvos conductus & ſecuritates præſtandi, uti, frui & gaudere poſſint ac valeant ſine contradictione, moleſtatione aut renitentia cujuscumque, teneanturque præfatus frater noſter, tanquam Dux Holſatiæ, ejusque in dicto Ducatu pro tempore ſucceſſores, hujusmodi Ducatum à ſacro Romano Imperio in feudum recognoſcere, eo videlicet modo, quo hactenus dicti Comitatus recogniti, & Comitatuum poſſeſſores inveſtiti fuerunt, hoc noſtro perpetuo edicto ſtatuentes, poſſeſſores præfati Ducatus, ut ſupra inveſtitos, perpetuis futuris temporibus Duces fore, eosque Duces per omnia haberi & reputari. Omnibus denique & ſingulis Principibus, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Communitatibus, Communitatumque Rectoribus, aliisque ſacri Imperii ſubditis fidelibus dilectis diſtricte præcipiendo mandantes, ut ejusdem Ducalis dignitatis, honoris, & reverentiæ debita, & maximè in adſcribendis titulis ac aliis prærogativis & eminentiis exhibeant & impendant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ caſſationis, unionis, incorporationis, creationis, infeodationis, ſtatuti & præcepti paginam, quovis quæſito colore infringere, aut auſu temerario contraire. Si quis vero pudoris ignarus ſupradictis, aut alteri ipſorum reniti aut contravenire præſumſerit indignationis noſtræ pœnam graviſſimam, & præterea mille marcarum auri puri, diſpoſitionibus ſupradictis nihilominus ratis manentibus, totiens quotiens ſe noverit eo ipſo incurriſſe: cujus pœnæ dimidiam ærario noſtro, aliam vero dimidiam parti læſæ ſtatuimus applicandam.



Signum ſereniſſimi ac invictiſſimi Dn. Friderici tertii Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ regis, ac Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ Ducis &c.

Teſtes vero præſentes fuerunt venerabiles illuſtresque, Adolphus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Albertus Marchio Brandenburgenſis, Principes Electores: cariſſimusque filius noſter Maximilianus Auſtriæ Dux, Wilhelmus Epiſcopus Eyſtetenſis, Lodovicus Dux Bavariæ, Comes Veldentiæ, Nobilesque Rudolfus Comes de Sultz, Hugo Comes de Werdenberg Conſiliarii noſtri, Siffridus Comes de Leiningen, Uldericus Comes de Werdenberg, Lodovicus Comes de Ottingen, & alii plures noſtri & Imperii ſacri fideles dilecti. Præſentium ſub aurea bulla typario Imperiali noſtræ majeſtatis impreſſo teſtimonio literarum. Datum in civitate noſtra Rotenburg ſuper Tauber, die Lunæ, quartadecima menſis Februarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, Regnorum noſtrorum Romani triceſimo quarto, Imperii viceſimo ſecundo, Hungariæ vero decimo quinto.

HENRICI MEIBOMII ORATIO DE ACADEMIÆ JULIÆ PRIMORDIIS ET INCREMENTIS,

Habita qvum natalis ejus XXXI *celebraretur.*

LECTORI BENEVOLO
S. P.
HENRICUS MEIBOMIUS
Junior.

HAbuit Avus meus duas Orationes, alteram de Academiæ noſtræ, à conditore ſuo Sereniſſimo JULIÆ dictæ, primordiis & incrementis, alteram de oppido HELMESTADIO, in quo illa fundata eſt, & hodieque ſedem ſuam habet. Utramque hic adjeci. Ad poſterioris autem illuſtrationem legi merentur, quæ habet Cl. *Conringius* in libro de antiquiſſimo ſtatu Helmeſtadii, non, quod habeat quicquam ex veteribus monumentis, ex Avi oratione non depromptum, ſed quod conjecturis ſuis indulgeat & locum *Dithmari* de Helmſtad non de oppido ſed de monaſterio velit accipi, cum tamen ſoleant aliàs Scriptores diſtincte de oppidis & monaſteriis adſitis loqui, ut ipſe obſervat in cenſura Diplomatis Ludoviciani. p. 233. Nec tamen ego aliter acceperim locum *Dithmari*, quàm de Cœnobio, quod *proprietate ſua conſtruxerit*, cum ſimilia tradat *Anonymus Werthunenſis monachus* qui a. 1141. vitam Ludgeri ab Abbate Bernhardo juſſus conſcripſit, rythmo, triplicis Litaniæ ſerie, Litan. I.

Fundavit inſuper tria loca pariter,
Numero locorum, quo & populorum:
Werthinam, Helmenſtad monachis fundaverat
De proprietate vel hæreditate.

Extant verò duæ Orationes Avi mei de origine Helmeſtadii, quarum altera, me inſcio, ex neſcio quo MSto a. 1658. altera à me triennio poſt edita eſt. Statim autem Lectori indicavi, priorem me nunquam pro Avi mei fœtu agniturum, cum ex dicentis ore quomodocunque excepta, ab ipſo vero non elaborata, ſed ad varios auditores, juvenes imprimis, delectandos habita, nec relecta, vel ad editionem parata fuerit. Ideoque miror, cur Cl. *Conringius* quæ in illa prima oratione habentur, tam operosè refellat, cum Avus ipſe omittendo & aliter narrando plurima improbaverit, quæ aliàs fortaſſe ab aliis, rerum Saxonicarum minus peritis fuiſſent admiſſa. Vale.

Quod

QUod bo[illegible]m felixque ſit & ſalutare, Patres Academici chariſſimi, juvenes lectiſſimi, auditores optimi, complet Academia hæc Julia hodierna luce annum ætatis ſuæ tricesimum: quod ſpatium temporis, Græcis γενεὰ eſt, ut voluit Heraclitus, recepit Zenon, teſtatus eſt Plutarchus & ex hoc repetiit Suidas. Conſtat autem hic numerus ex denario triplicato, habetque tam ternarius quam denarius, de quo utiliter differere apud v[illegible]s poſſem, niſi aliud nunc agere animo mecum conſtituiſſem. Hoc obiter tantum [illegible]o, Gregorium Nazianzenum teſtari, numerum tricesimum à Pythagoricis cultum & inter [illegible]acros relatum. Referunt alii Pythagoræ ſymbolum fuiſſe, vel ænigma, vel utrumque, ſi non verius neutrum: Honora inprimis pretium trium denariorum. Mitto [illegible]ntentiæ hujus i[illegible]terpretationes tum aliorum, tum meas, alterique tempori & oportuniori reſervo. Natalitio hoc Academiæ die, ſeu potius Sabbato Julio, more ſtatu[illegible]s præſcripto verba facturus, ea vobis ediſſeram, quæ elapſo iſto triginta annorum ſpatio vidi, quorumque pars quota fui; ſive, ut explicatius dicam, quomodo illu[illegible]s hæc Julia auſpicato ſit condita, quæ habuerit incrementa, quæ impedimenta ſe interjecerint, ut rurſus emerſerit, ea qua potero brevitate repetam & ob oculos vobis p[illegible]m. Qui mecum iſta viderunt, ut viderunt aliqui, cum voluptate recognoſcent e[illegible] temporis memoriam: reliquis grata commemoratio iſta, ut & ipſi norint, qui[illegible]uorumque laboribus & ſedulitati, hoc eruditæ pietatis theatrum, ad præſens fa[illegible] deductum acceptum ferre debeant. Atque hic non exſpectabitis à me Ora[illegible] eloquentiam, ſed talem qualis à Poëta proficiſci poteſt. Didiciſtis enim ma[illegible] Seneca, etiam magna ingenia raro plus quam in uno eminuiſſe opere; Virgili[illegible]tate ingenii oratione ſoluta relictum: neque Ciceronis eloquentiam in car[illegible]us ipſius fuiſſe repertam. Quem igitur non vice ſimplici, & verſo quidem ſtilo [illegible] v[illegible]re perorantem audiviſtis, audite nunc prorſo, non Oratoris, ſed recitatoris [illegible]ngentem. Incomparabilis Princeps, omnibus vobis notus, Divus Julius Pac[illegible]s [illegible]run[illegible]uicenſium ac Luneburgenſium Dux, poſt liberatas ab idololatria Pon[illegible]rentiſſimi Ducatus ſui eccleſias, illuſtrem inſtituit Scholam in antiquiſſimo, [illegible]ue primo Saxo[illegible]æ ciſveſeranæ opido Gandersheimo, ut in Gymnaſio iſto ſub i[illegible] omnium diſci[illegible]linarum magiſtris non pauci, tum ex indigenis, tum ex peregri[illegible]entur: quorum opera tum ipſe Scholæ fundator, tum magiſtratus alii, tam [illegible]co, quam eccleſiaſtico poſſent uti regimine. Adfuit rei bene cogitatæ divina [illegible]lio: confluxerunt ad novam Scholam ex vicinis opidis & urbibus perquam [illegible], ut [illegible]teris ibi commode vacarent. Gratulabatur ſibi optimus Princeps, quod ra[illegible]onem occaſionemque comparandi ſibi nominis æterni inveniſſet, qua ſequoque po[illegible],

Tollere humo victorque virûm volitare per ora.

Hoc enim metuebat unicum ne inglorius aliquando, & majorum indignus avorum ex hac vita emigraret: quippe cui ad militiam & grave Martis opus, natura non ſatis [illegible]um corpus dediſſet, etſi animus heroicus ipſi non deeſſet. Patris aviq; victorioſiſſim[illegible] P[illegible]pum facta glorioſa ei ſemper in mente, per quæ vivunt vive[illegible]tque per o[illegible]ecu[illegible]rum memoriam. Ea igitur bellorum adorea deſperata, convertit ſe ad lit[illegible]eratorumque hominum patrocinium; quo Ptolomæum Philadelphum, quo C[illegible]ium Mæcenatem, quo Aſinium Pollionem & ſexcentos è vetuſtate alios, famam [illegible]m intermorituram ſibi comparaſſe, non ſemel inaudierat, legerat. Iſta vero a[illegible] agitanti, ante oculos obverſabatur quotidie Schola Gandeſiana: hanc ampli[illegible]re, hanc ornare c[illegible]t. Cumque ad nemus Hercynium parum commode ha[illegible] eam perpenderet, meliores ipſi ſedes ad Elmum deſtinabat, & domicilium in ur[illegible]elmeſtadio: ubi eodem mox momento novum maximeque auſpicatum gymna[illegible]omen obvenit, ut à [illegible]atore Schola Julia appellaretur. Neque hic tamen ſub[illegible] l[illegible]datiſſimus Princeps, ſed altiora animo agitans, ut ex Gymnaſio Academiam, ſi[illegible]e Scholam regiam efficeret, ſupremam ſibi curam ac ſolicitudinem eſſe voluit. Neg[illegible]um hoc magni momenti, ſummæque difficultatis, domi diu deliberatum, cum ad ſummum

ſummum orbis Chriſtiani monarcham detuliſſet, utrobique ſucceſſus invenit feliciſſimos. Credidiſſes enim certare quodammodo inter ſeſe Imperatorem Maximilianum, Ducem Julium, & Ordines Brunſuicenſis Ducatus. Imperator enim ea novæ Academiæ dedit privilegia, quæ nobiliſſimæ habent in tota Europa Scholæ: quib[illegible] hoc peculiare addidit, quod Rectorem Academiæ, qui eſt in magiſtratu, Comit[illegible] [illegible]cri Palatii haberi, eoque jure uti voluerit. Ordines ſive Status provinciæ ad dot[illegible]m Academiæ Juliæ conferendam clementer invitati, ea uſi ſunt liberalitate, quæ vi[illegible]os in magnam admirationem traxit, qui agri id temporis, & ante acceſſionem Ducatus Calenbergici, provinciarumque aliarum, non ita magni, eas eſſe vires minime credebant, ut præter ordinarias contributiones, quæ non exiguæ erant, eam argenti vim ſummamque, quæ ad tantum opus requirebatur, erogare uno eodemque tempo[illegible] [illegible]a-leret. Dotem autem dixerunt centena aureorum millia. Princeps ipſe de æd[illegible]fic[illegible]s parandis, de convictorio communi pro tenuioris fortunæ ſtudioſis conſtituendo, de pluribus, qui docerent, convocandis, curam ſe dignam adhibebat. Verum, antequam ulterius eamus, omnino dicendum nobis hic aliquid eſt, de ſtatu illorum temporum, qui admodum in Scholis reformatæ religionis erat turbatus. Roſtoch[illegible]s academia ſuperiorum annorum tumultibus bellicis, & quæ iſtos inſequuta fuerat, peſtilentia biennali, graviter afflicta, penuria Profeſſorum, & infrequentia diſcentium laborabat: cum ſimul negotium de dote academiæ conſtituenda, quam Principes Megapolitani à Senatu opidano exigebant, Senatus vero ad eam teneri nollet, fruſtra ac ſine fructu actum eſſet. Quod malum Profeſſorum numerum minuit indies, & qui præſentes manebant auctoritate & exiſtimatione paullatim exuit. Francofordiæ ad Oderam diſputatum erat de neceſſitate bonorum operum, eo eventu, ut Abdias Prætorius, vir linguarum peritiſſimus, æmulo ſuo Andreæ Muſculo cedens m[illegible]ltos ſecum ſtudioſos abduceret. Regiomonti in Boruſſia Wigandus ſola invidia impul[illegible]s, viro optimo Tilemanno Heshuſio litem movebat de vocabulis abſtracti & concre[illegible] quæ cum vel non intelligeret, vel intelligere nollet, turbata miſere academ[illegible], tandem Heshuſio innocenti & inaudito exſilium procuravit. In Electorali Witebergen[illegible]um academia omnia pejori loco erant. Nam quod præviderat, futurumque n[illegible] ſemel ſuis prædixerat Lutherus, propheta ille Germanicus, in ea Schola, quæ repurgationis doctrinæ cæleſtis initium fecerat, ſparſa ſunt ſemina fanaticarum opinionum, & j[illegible]entuti inſtillatæ veritatis Evangelicæ corruptelæ, non quidem id aperte, ſed [illegible]am & latenter: ita ut ſub ſpecie reverentiæ, præceptori publice bene merito debitæ, errores ab eo olim acriter taxati, nunc defenderentur mordicus, acerbe vero e[illegible]rentur, qui contra ſentire auderent. Singula non perſequor: hoc conſtat [illegible]ctrinam de Cœna Dominica, de viribus humanis, de juſtificatione peccato[illegible] Deo, de perſona filii Dei, articulosque alios nonnullos, nec ſincere nec recte [illegible]os fuiſſe. Cum autem hi novorum dogmatum maleferiati ſeminatores, magiſtratus politici auctoritate per fraudem ſe muniiſſent, mirum quantum applauſus invenerin[illegible], quanta audacia in affligendis uſi ſint, quanto denique in periculo & metu p[illegible]ræque totius Saxoniæ Scholæ & eccleſiæ ſint verſatæ. Silentibus autem canibus qui[illegible]usda[illegible] mutis; non paucis Vertumnis in re peſſima conniventibus, ea quæ ad Sala[illegible]n Thuringia etiamnum floret academia, omnibus iſtis fanaticis opinionibus, earumque architectis & propugnatoribus maſculo ſe oppoſuit animo. Erat tum tempor[illegible] tanquam propugnaculum firmiſſimum, ex quo monſtroſa ubiqu[illegible]itas, arrog[illegible]s ſynergia, craſſus Manichæiſmus, ſubdolus Calviniſmus, aliæque ejus generis peſtes ca[illegible] [illegible]matura cæleſti proſternebantur. Quia vero in hoc toti erant, & Corpo[illegible] d[illegible] [illegible]æ Miſnico ſubſcribere recuſabant, ab Auguſto Electore Saxoniæ, defuncti Pr[illegible]nc[illegible]s Vinarienſis, Joannis Guilielmi proximo agnato, locum mutare omnes coacti [illegible]re. I[illegible]terim tamen, qui in academia Electorali omnia turbabant, & deſerta doctri[illegible] [illegible]utheri aperte jam cum Calvinianis faciebant, ac Jenenſibus profeſſoribus Sinoniis ſuis artib[illegible] & Electore circumvento, inſignem iſtam calamitatem conflaverant, divinitus graviter puniti ſunt, pleriſque in vincula conjectis, reliquis ab officio remotis. Quæ res non minus, atque antea Ienæ factum fuerat, academiam Witebergenſem deſola[illegible] reddidit. Scripta polemica partium ſunt in medio, quæ ut à piis cupide & h[illegible]ter leguntur: ita averſantur ea, & pro nihilo habent homines profani, qui ſuſque [illegible]

habent

[illegible]bent, quid in eccleſia, quid de cujusque anima agatur. Verum ſecuros iſtos dor[illegible]mitatores invadet ſuo tempore pœna, quam Amos propheta ipſis minita[illegible]. Haſce fatales in vicinis academiis mutationes conſiderans ſapientiſſimus [illegible] Julius, de ſua, quam erecturus jam erat, eo citius maturanda cogitavit, operamque [illegible] e ex Schol[illegible], Jenenſem intelligo, quæ maſcule corruptoribus doctrinæ ſe op[illegible]t, doctores haberet orthodoxos, quos juventuti recte erudiendæ præficeret: [illegible] de ſibi futur[illegible] credebat & experiebatur. Ex dimiſſis igitur exſulibus ſtatim [illegible] liberalibus ſtipendiis conducti huc venerunt Virgilius Pingiczerus JCtus, [illegible]nus Guntherus, Joannes Debelius, Daniel Hoffmannus, Erhardus Hoffmannus, [illegible]ſophi. Anteceſſerat quinque iſtos Timotheus Kirchnerus Theologus, Jena [illegible] in Saxoniam emigrarat: ita ut tempore introductionis Juliæ noſtræ, quæ inci[illegible] anni MDLXXVI. diem XV. Octobris, ſeu in XIIX. Kal. Novemb. diem na[illegible] Henrici Julii, fundatoris filii, & novæ academiæ Rectoris magnificentiſſimi & [illegible]cellarii primi & perpetui, ſex illi hic comparerent & conſpicerentur. Sequente [illegible]oductione anno rediit ex Boruſſia Tilemannus Heshuſius, per vim inde, ut mo[illegible]mus, a Wigando pulſus, quem ipſum ſtatim prioribus Princeps adjunxit. Habe[illegible] comitatu ſuo Heshuſius Joannem Olearium, nuper etiam academiæ Jenenſis ci[illegible] cui commendata eſt profeſſio ſermonis Hebræi. Sic calamitas Salanæ Scholæ noſtræ profuit: Deique beneficio ſingulari octo præſtantes viri, donis docendi [illegible]s ornati, ex una eaque orthodoxa academia ſedem hic fixerunt. Aliqui [illegible] adhuc in vivis ſunt, docentque vel hic vel alibi: plærique in cæleſtem ſcholam [illegible]rarunt. Diſſipata autem, ut dixi, per dimiſſionem Profeſſorum academia Je[illegible]num agmen ſtudioſorum huc confluxit: cumprimis multi ex nobilitate, [illegible] hos Sigiſmundus Tieffenbachius, Baro Auſtriacus. Hos ſequutus eſt biblio[illegible] communis convictorii præfectus, quem Oeconomum dicimus: ita ut jure Ju[illegible]m academiam Jenenſis archigymnaſii coloniam dicere poſſimus, & debea[illegible]am quod alii diverſum ſentiunt, certum eſt eos fallere & falli, ipſa experien[illegible]trarium eunte. Sunt tamen adjuncti his alii doctores: nonnulli accerſiti, qui [illegible]ere. De ſingulis dicam aliquid, ut vobis conſtet de paterna fundatoris in or[illegible]demia ſolicitudine & munificentia. Ex Theologis vocati ſunt Martinus [illegible]us & David Chytræus: ſed neuter impetrari potuit, quod à ſuis detineren[illegible]. Andream Celichium eruditionis ſuæ ſpecimen edentem audivimus cum applau[illegible] enim opidò facundus: verum non eſt conductus quod mores diſplicerent. [illegible] meſt cum Henrico Mollero Theologo, ut Hamburgo huc migraret, lin[illegible]ofiteretur, abſtineret à controverſia Sacramentaria: in quod conſentiebant [illegible], qui hic erant, propter eruditionem quæ in iſto homine magna erat: ſed in[illegible]it aliquid quod hanc rem irritam faceret. Ex JCtis Marpurgo accitus eſt Re[illegible]ixtinus, vir magni nominis, ſummæque eruditionis, quem ex hac cathedra [illegible]ntem audivi: verum à Landgravio impetrari non potuit. Joachimus Minſin[illegible]s, etſi publice non doceret, ſcribendo tamen hic profuit, paſſus nomen ſuum pro[illegible] Catalogo inſeri: cumque Candidatorum in Jure examinibus intereſſet, ipſe [illegible]m ex his, more & ritu ſolenni Doctorem renunciavit, Eberhardum Spechanium. [illegible] h[illegible]ſophis Argentina evocatus eſt Valentinus Erythræus, vir ad juventutem eru[illegible]dam natus, factus: quem poſt conſtitutam Altorfienſem apud Noricos Scholam [illegible], ad hunc locum, in quo per aliquot menſes docuerat, regredi volentem, mors [illegible]ſa intercepit. Henricus Paxmannus, quanquàm operam ſuam Principi ad[illegible]dixiſſet, tamen ut Francofurti ſubſiſteret, ab ipſo obtentum eſt. Laudabilis tum obſervabatur conſuetudo, multis inter doctos, quaſi de religione minus recte ſentirent, ſuſpectos ſe facientibus, ut nemo inter Profeſſores cooptaretur, niſi auctoritate Prin[illegible] collatione inſtituta, quæ in religionis controverſis capitibus cujusque ſententia [illegible], liquido cognoſce[illegible]. Quam explorationem providam cum quidam ſubterfu[illegible]rent, ſeque, quod mirere, indignam putarent, non ſunt admiſſi. Sequentes autem [illegible]c inde accerſiti, iſtis quorum antea meminimus ſe adjunxerunt; Baſilius Satlerus Wirtembergicus, Theologus: Joannes Borcholdus Luneburgenſis, Joannes Lo[illegible] Boruſſus, Dethardus Horſtius Friſius, JCti: Joannes Bokelius Antwerpianus, Hermannus Neowaldius Lemgovienſis, Medici: Harrwicus Smideſtetus Lunebur-

genſis, Magnus Pegelius Roſtochienſis, Pancratius Crugerius Finſterwaldenſis, Philoſophi. Hi ſeptendecim, cum biennio ab introductione elapſo, catalogus lectionum publicarum primus excuderetur, in tabulam relati ſunt. Docebant autem ſingulis diebus omnes, tum quod Princeps fieri id vellet, tum quod ex uſu emolumentoque juventutis eſſet. Neque difficile hoc ipſis erat, uti nec hodie cuiquam eſſe poteſt, modo voluntas non abſit: fructum vero inde reportarunt uberrimum, ſparſa per univerſam Germaniam ſecunda fama, quod nullibi majore diligentia, quam in Julia academia operæ laboresque ſcholici urgerentur. Ad publicam illam, quæ in Profeſſoribus erat, diligentiam accedebat privata ſtudioſorum ſolertia. Hi enim cœperunt inſtituere collegia: habere congreſſus: tradita publice excutere privatim: prolixa redigere in compendium: in ſingulis materiis σωματοποιεῖν, & diſſentientes opiniones inveſtigata vera ſententia conciliare. Atque hæc cumprimis agitabantur ab illis, qui juri civili operam dabant. Inſtitutum illud natum in Colonia Agrippina, etiamnum ibi perdurat, magno juventutis bono. Cumque apud Cattos in Marpurgenſi academia locum inveniſſet, inde ad nos traductum eſt, opera & ſtudio Eberhardi Trilingii, Swalenbergenſis Weſtvali, quem ſua etiam laude defrandare nolo. Succeſſere alii, & in his Joannes Bocerus Salcatenus, Juſtus Gogrevius Paderbornenſis, Weſtvali ambo, Arnoldus de Reiger Belga pluresque alii: quorum diſcipuli cum per univerſam Germaniam diſpergerentur, hanc collegiorum morem paſſim inſtituerunt, noſtramque Juliam illuſtriorem reddiderunt. Nec tamen defuere, qui honeſtis iſtis conatibus oblatrarent: verum ut nihil efficerent, fruſtraque perſtreperent, unius Borcholdi faciebat auctoritas. Qui cum rem intelligeret, commodisque omnium æque ſtuderet, molitiones ab imperitia & livore profectas tempeſtiva ſeveritate repreſſit. Neque ab ejusmodi exercitiis poſtmodum abſtinebant Theologi non Philoſophi, nec Medici, qui ſuas ſimul corporum humanorum diſſectiones, herbarumque inquiſitiones ſedulo & ſolerter urgebant. Rem in pauca redigam: in eo qui docebant, ambitioſi erant omnes, ut propria agerent, quod Theſſalonicenſibus ſuadet D. Paullus & retinendæ concordiæ utile eſt & neceſſarium. Florebat hoc modo Julia noſtra uſque ad fundatoris obitum, qui incidit in annum ab introductione duodecimum: quo in tempore novi Profeſſores, diſceſſere aliqui, obierunt tantum duo, primarius & noviſſimus. Habitæ ſunt promotiones in ſingulis facultatibus aliquot, petentibus gradus etiam exteris hominibus. Qui incrementa iſta felicia, ad paucitatem annorum, quos dixi, expendebant, non tam proſperitatem hanc admirabantur, quam malum aliquod ingens pertimeſcebant. Experimur enim ea, quæ primordia auſpicata, progreſſusque habent ſecundos, raro in felicitate ſua permanere: ſentire plerunque inopinatas adverſitatum tempeſtates, quibus ſi non evertantur, ita tamen enerventur, ut ad præcox accelarati honoris faſtigium nusquam deinde pervenire queant. Quod tamen divina à nobis benignitas clementer avertit, & ut avertat deinceps calidis precibus exoranda eſt. Calamitates, quæ tranquillitatem & ſtatum Scholæ turbarent, iſto tempore ſenſimus aut nullas, aut quæ non magni eſſent periculi. Coorta eſt peſtilentia proximo ab introductione menſe, quæ alibi vehementer graſſata, nobis mitiorem ſe oſtendit: unum tantum ex noſtro cœtu abſtulit, qui tamen ſua temeritate mali ſibi ipſe auctor fuiſſe ferebatur. Decennio elapſo ſimile contagium urbem invaſit: verum cum fundatoris juniores filii, qui tum hic vivebant, non avocarentur, ex ſtudioſa etiam juventute nemo locum mutavit, ſuperveniente vero mox hyeme acriore, malum penitus ſedatum eſt. Unus florentem, optimeque conſtitutum academiæ ſtatum nonnihil deformavit caſus, ſive tumultus, à leviſſimo principio ortus, ab iis etiam excitatus, à quibus minime vel debebat vel exſpectabatur. Circumſtantias omnes non perſequor. Hoc præteriri minimè debet, amentiam iſtam eo prolapſam, ut non modo magiſtratus Scholaſtici auctoritas contemneretur ac labefactaretur, ſed petulantes minæ adderentur, violentia exerceretur, & inter humanitatis pietatiſque cultores humanitas vel pietas nulla amplius compareret. De hoc flagitioſo motu edoctus fundator, juſtam quidem ſeveritatem malo adhibuit, ſingulari tamen clementia omnia temperavit. Tandem vero, cauſſa à Rectore academiæ magnificentiſſimo, Henrico Julio, & Conſiliariis aliquot cognita, cum ſontes deprecarentur, & intercederent Principes ac Comites, qui id temporis hic vivebant, pœna

eis

[illegible] omnis, quam ſua ipſorum confeſſione graviſſimam meriti fuerant, remiſſa eſt, & academiæ optata tranquillitas reſtituta. Evocato ex hac vita Divo Julio fundatore, ſucceſſor & hæres ex aſſe, filius primogenitus, Henricus Julius, quem modo [illegible] non minore, atque à patre factum meminerat, clementia & liberalitate academ[illegible] fidei ſuæ commendatam proſeqvutus eſt, quod multis argumentis teſtatum [illegible]. Auxit ille numerum Profeſſorum, docentium ſalaria auctiora fecit, ſtupen[illegible] illud ædificium, quod intuemini quotidie, ingenti ſumptu erexit, privilegia ſpecialia, quæ vocant, ampliavit, adeoque de omnibus nobis, tam publice, quam privatim præclare mereri nunquam deſiit. Quod ipſum advertens ἄσπονδος ille Scholarum recte conſtitutarum hoſtis Diabolus, non ceſſavit acrius quam antè, Juliam hanc infeſtare: quod oſtendunt tempeſtates illæ, quæ Deo permittente ab annis aliquot [illegible]is incubuerunt longe graviſſimæ, nobiliſſimumque hoc gymnaſium to[illegible] pene everterunt. Cogitate mecum acerbitatem peſtilentiæ illius, quam toto [illegible]nio ſuſtinuimus. Suſtulit illa ex ſtudioſis non paucos, in fugam conjecit pene [illegible], operas & labores noſtros interrupit, & ad aliquot menſes prorſus ſuſpendit. [illegible] eſt dyſenteria per ſe carnifex, ob malignitatem vero omni peſte immanior, [illegible] plures abripuit & diutius nobis incubuit. Sic totum triennium infame fuit [illegible] & contagiis atrociſſimis: cujus rei fama cum emanaſſet, præſentes alumni [illegible] avocati ſunt ſubinde, aut fugerunt, peregrini ne huc venirent abſterriti. De [illegible]us bellicis quid dicam? Scitis hoſtem, vidiſtis rabiem, audiviſtis ex propin[illegible]m nas: quibus effectum, ut [illegible] noſtra fuerint vacua, muſea clauſa, audito[illegible]ia, cathedræ mutæ, ſolitudo in ſacrario Muſarum & pietatis officina: mirum [illegible] ſupereſſe adhuc hoc in loco veſtigium rerum negotiorumque Scholaſti[illegible]. Verum per Dei gratiam malis iſtis majores habuimus animos, fiducia au[illegible]vini nunquam non ſtabilitos & confirmatos. De infelici, adeoque inſperato [illegible] quod inter nos ipſos ortum, magnaque animorum contentione agitatum, ni[illegible]cam: animus meminiſſe horret luctuque refugit. Beati pacifici, quoniam fi[illegible] vocabuntur. Atque hæ ſunt atroces illæ & turbulentæ tempeſtates, quæ ab [illegible]u fundatoris Sareptam hanc perculerunt: graves illæ quidem omnium judicio, [illegible] quæ in piis hominibus excitarint ſerium ſtudium emendationis vitæ morumq; [illegible]arint abſque dubio non paucos ad ardentes preces, quæ imbecillitatis no[illegible] in ejusmodi tempeſtatibus refugia ſunt firmiſſima. His malis vero, quæ attigi, [illegible]eficia in nos collata conferamus decuplo majora apparebunt. In iis principem [illegible] obtinet poſſeſſio veritatis cæleſtis, quæ apud nos usque in præſentem horam [illegible]pta permanſit. Prælectiones & exercitia publica ſtrenue continuata fuere, [illegible]antur, & ab omnibus hoc agitur, ut qui velit, ſatis ſuperque quod diſcat in[illegible]. Et fuiſſe labores noſtros minime inanes, docuerunt actus publici promo[illegible]um ſolennium ſolito frequentiores. Iſtæ panegyres cum academiarum ſint pro[illegible] ipſisque plurimum apud alios honoris concilient, non puto abs re eſſe, ſi quid [illegible] noſtra in illis cum laude inſtituendis felicitatis & fortunæ conſeqvuta ſit, vobis [illegible]. Triginta itaque his, qui evoluti nunc ſunt, annis, Philoſophi promotio[illegible]brarunt XXXIII. Medici XIII. JCti totidem, Theologi IV. In his Medici, [illegible] mirere, viros eruditiſſimos ſedecim intra triennii ſpatium laurea ſuprema con[illegible]t. Cum iſtis ornamentis copulatur aliud, quod academiis non minus ho[illegible] cluet, ſi ex Principum virorum liberis ſecum non paucos ſtudiorum cauſſa h[illegible]int & informarint. Qua in re nulli, quantumvis celebri vel antiquæ Scholæ noſtra cedere poterit. Etenim à fundatione in præſens usque tempus quindecim Sereniſſimorum & Illuſtriſſimorum Regum Principumque filii ſtudiorum [illegible] hic vixere, quorum nomina libenter audietis: Ulricus & Johannes Holſatiæ [illegible]s, Regis Daniæ Friderici II. filii, Philippus Sigismundus, Joachimus Carolus, [illegible]s Auguſtus, fundatoris filii, Guilhelmus, Otto, Joannes & Fridericus, nati [illegible]ne Duce Brunſuicenſi & Luneburgenſi, qui Harburgi ſedem habuit, Fridericus [illegible]s, Henricus Julius, & Chriſtianus, Henrici Julii, Principis noſtri filii, & de[illegible] Franciſcus Julius, Julius Henricus & Erneſtus Ludovicus, nati Franciſco juniore Duce Saxoniæ inferioris, Laoburgi reſidentis. E Comitibus nobiſcum vixere Erneſtus Scaumburgius, Erneſtus & Martinus Reinſteinii, Joannes Guntherus &

 Chri-

Chriſtianus Guntherus Swartzenburgii, Bruno & Joannes Georgius Mansfeldii, Hermannus Otto & Georgius Erneſtus Limburgii. Barones hic vidimus Antonium Warbergium, Hildebrandum Jorgerum, Sigismundum Tieffenbachium, Auſtriacos, Jaroslaum Colowratam Bohemum, Ottonem Henricum Bilandium pluresque alios: quarum illuſtrium perſonarum præſentia, ut academiæ apud exteros honorifica, domi utilis fuit: ſic permultis ex equeſtri ordine, ut hic viverent, occaſionem præbuit. Neque inficias quisquam iverit, plurimum academiæ profuiſſe officinam typographicam, á Jacobo Lucio ſeniore, artifice ingenioſo & ſolerti adornatum: in quam ad publicationem ſcriptorum omnium facultatum ingentes impendit ſumptus Ludolfus Brandes, vir antiqua virtute & fide. Hujus ſane munificentia ſi caruiſſet Julia noſtra, nunquam intra annos tàm paucos ad iſtam apud exteros celebritatem perveniſſet. Prius autem, quam ad finem properem, nomenclationem attexam profeſſorum, non ſeptendecim eorum, de quibus jam, nec eorum, quorum adhuc datur ora tueri, ſed eorum qui inter hos medii, ſeptendecim prioribus acceſſerunt, & in hoc phrontiſterio docendi partes ſuſtinuere. Hi ſunt Johannes Heidenricus, Joannes Mebbeſius, Joannes Suſſefleiſchius, Theologi: Joannes Jagemannus, Hermannus Niger, Fridericus Daſypodius, Mellæus Brunſema, Statius Borcholdus, Albertus Clampius, Jureconſulti: Jacobus Horſtius, Martinus Biermannus, Arnoldus Freitagius, Joannes Wernerus, Medici: Reinerus Reineccius, Henricus Papeburgerus, Tobias Haberlandius, Henricus Rumpfius, Salomon Frencelius, Valentinus Schindlerus, Philoſôphi. Hos ſi ſeptendecim prioribus annumeres, invenies ſex & triginta, qui hic modo vivunt viginti ſunt & quinque. Docuerunt itaque hic ab ortu academiæ usque ad hunc diem Profeſſores ſexaginta unus. Impenſa ſunt in hos alendos vallenſium nummorum plus minus ducenta millia: ſuſtentando communi convictorio eorundem tributa millia centum. Videte regiam magnificentiam optimorum Principum, & Statuum Ducatus prudentiſſimorum liberalitatem inſignem. Cogitate quid ipſis debeant, quos ab initio academia habuit alumnos; quid hodie debeatis ſinguli, quibus hæc ocia ſunt facta. Mihi ſuave & perjucundum eſt circumferre oculos animi per univerſam Germaniam, ac tàm in academiis, quam aulis magnisque urbibus intueri Juliæ noſtræ cives, dignitatibus & auctoramentis virtutis florentes: quod dum facio, non ægre feretis, quod prolixior adhuc ſim, & catalogum eorum quendam hîc attexam. Debet nobis academia Pragenſis Adamum Matthiaden, medicum excellentiſſimum, & aula ibidem Imperialis Gregorium Guntherum, medicum itidem clariſſimum: Lipſiam miſimus Leopoldum Hakelmannum Ordinarium facultatis Juridicæ & multorum Principum Conſiliarium: Witebergæ dedimus Petrum Heigium, Andream Rauchbarum & Lucam Becmannum, nec non Jacobum Martinum, hunc philoſophum celebrem, illos Jurisconſultos præſtantes: Jena debet nobis Joannem Gryphiandrum, poëtam & hiſtoricum eximium: Roſtochium ablegavimus Jurisconſultos duos inſignes, Erneſtum Cothmannum & Hajonem à Neſſa: Francofurtum ad Oderam à nobis accepit Samuelem Scharlachium, medicum & poëtam ingenioſum: Regiomontem in Boruſſiam transmiſſimus Joannem Derſchovium jurisconſultum, & Joachimum Radenicium Mathematicum: Gryphiswaldia nobis debet Nicolaum Calenum, Erfordia Henningum Rennemannum & Wolfgangum Gruningum, omnes Jureconſultos egregios: Tubingenſis Schola accepit Henricum Bocerum, Argentinenſis Juſtum Mejerum, itidem JCtos celeberrimos, Altorfina magnum illum Rittershuſium: Horum trium ſcripta ſunt in medio admodum multa, quæ

Caneſcent ſeclis innumerabilibus.

Gieſſenſi academiæ donavimus duos Medicos inſignes, Joſephum Lauterbachium & Gregorium Horſtium; Jurisconſultum unum, ſed magni nominis, Antonium Gothofredum: Lugdunum apud Batavos debet nobis Gilbertum Jacchæum, Medicum celebrem. Videtis auditores, nullam fere in Germania eſſe academiam, quæ nobis non ſit obſtricta, noſtris non gaudeat alumnis, idque grato agnoſcat animo. De gymnaſiis per Germaniam illuſtribus, ut aliquid dicam, tempus non ſinit: etiamſi in illis ſint, qui è nobis profecti, noſtrum non parum amplificant honorem. Converto me ad aulas, oſtenſurus & ibi noſtros alumnos magno reperiri numero.

Pra-

Praga à nobis habet Tobiam Sculterum, virum eleganter doctum: Septemviralis Saxonica nobiliſſimum Bernſteinium & Henricum Heideccium Jureconſultum; Brandenburgica Arnoldum Reigerum, Joannem à Benekendorf & Fridericum Bruckmannum: Stetinenſis Gervaſium Marſtallerum & Martinum Chemnitium: Cellenſis Joannem Hildebrandum, Ottonem Heidmannum & Statium Borcholdum: Lawenburgenſis Hectorem Mithobium, Henricum Paxmannum, Joannem Arenhorſtium, Joannem Hakelbuſch: Holſatica Joannem Nannen: Vinarienſis Fridericum Hortlederum: Caſſellana Joannem Grothenium: Hallenſis Chilianum Stieſſerum, Arnoldum Engelbrechtum, Chriſtianum Heilium: Deſſaviana Gottfridum Mollerum: Iburgenſis Æneam Pottium & Jacobum Dieckium: Hertzbergica Joannem Scafedotum: Oldenburgica Antonium Heringium: Delmenhorſtana Tilemannum Judashertzog: Mansfeldenſis Joannem Engelken: Lippienſis Juſtum Sneidewindum: Stolbergica Joannem Rentwigium: alios aliæ. Verum finem hic facio, ne veſtra abutar benivolentia. De Syndicis, advocatis & ſecretariis tam in aulis, quam magnis urbibus, ſi dicere aliquid vellem, dies deficeret perorantem. De Theologis Medicisque aliàs commodiùs luculentiusque agemus: non neglecturi aulam Guelficam, cui plurimos ex alumnis noſtris dedimus. Patet autem ex his, quæ dixi, quanto beneficio inclytus fundator hujus academiæ affecerit univerſam rempub. literariam, imo totam Germaniam: quamque conſulte agant laudatiſſimi ſucceſſores, qui de conſervanda amplificandaque Julia ſua ſunt ſoliciti. Agnoſcite hæc auditores optimi, Deoque opt. max. grates agite debitas, qui patriam hanc noſtram tam inſigni mactavit beneficio, & cum multis eam ornamentis illuſtrem fecerit, hac etiam gloria, quæ ſumma eſt, carere noluerit. Cumque in hoc nunc loco ſit φροντιστήριον & ἀσκητήριον nomini divino ſacrum, in hoc ſimus omnes, hoc agamus unum, ut amplificationi gloriæ, & nominis divini ſtudeamus pro viribus. Sic fiet, ut non tantum triginta adhuc, ſed longe plurimos annos floreat hæc deinceps Schola: tuta ab hoſtili impetu, indemnis à corruptelis, libera à ſcandalis, pulchra à concordia, felix ab opulentia. Hæc bona qvum à Te proficiſcantur, tu ea nobis largire, JEſu Chriſte, Dei fili, frater & ſalvator noſter unice.

Dixi.

HENRICI MEIBOMII
ORATIO
DE
ORIGINE HELMESTADII.

DE

S. LUDGERO,

urbis Helmeſtadienſis conditore,

Epigramma.

Dardana Martigenam celebrat ſi Roma Quirinum:
Pallada ſi tellus jactat Achiva ſuum:
Cur non pro meritis noſtræ clariſſimus urbis
Conditor ad cælos laudibus auctus eat?
Illis terreni quæſita potentia regni:
Huic prior humanæ cura ſalutis erat.
Hoſpitium noſtris quæ præbent dulce Camœnis
Cœperat hic primas ædificare domos.
Quid rogo poſtgenitis fama jucundius illa,
Urbem hanc Pontificis eſſe decentis opus?
Qui tot præclaris virtutum dotibus auctus
Cœperit hîc ſacræ condere tecta ſcholæ.
Tempore quæ noſtro cultu meliore renaſcens,
Sidera conſpicuum tollat ad alta caput.
Non potuit melior fundare palatia Muſis:
Sacra paraturus debuit eſſe ſacer.

Henricus Meibomius.

Seme-

SEmeſtre eſt, & quod excurrit, Patres academici, juvenes lectiſſimi, cum ex eadem hac cathedra in Sabbato Julio, hoc eſt, anniverſario fundationis academiæ noſtræ feſto verba ad vos facerem. Argumentum id temporis ſumebam de hiſtoria gymnaſii, de ejus nempe primordiis, incrementis, aliiſque rebus notatu ſcituque dignis, quæ elapſis XXX. annis acciderunt. Audiviſtis me tum non ſine voluptate, quod facile animadverti: neque defuere poſtmodum, qui ut publice legeretur iſta narratio, perſuadere mihi conarentur. Dixi autem, non quæ audivi, ſed quæ vidi: atque ideo dixi, ut audiretis, qui non vidiſtis. Nunc cum iterum oratio ad vos habenda ſit, materiam deligam ſuperiori non abſimilem: imo quæ ei merito conjungi debeat, & à vobis requiri videatur. Etenim poſtquam hiſtoria Scholæ hujus illuſtris innotuit paulo nunc melius quam antea: videmini etiam depoſcere nonnulla cognitu digna de urbe hac, quam Deus opt. max. academiæ ſedem & hoſpitium eſſe voluit. Non deero deſiderio veſtro, cui melius forte, quam alii ſatisfacere queam. Non quod facultate dicendi cum quoquam auſim contendere: ſed quod ad manus mihi ſint, quæ commemorari vobis poſſint, aliis forte minus cognita. Ut enim de florentiſſimo agro Brunſuicenſi, & in eo urbibus, opidis, cœnobiis familiiſque illuſtribus, per quam multa collegi & obſervavi: ita hanc etiam urbem, in qua jam ſupra annos triginta domicilium fixi, minime præterii, aut neglexi. Potuiſſem autem in plerisque plenior eſſe prolixiorque, ſi adjutus fuiſſem ab iis, à quibus hæc petenda. Verum nemo veſtrum ignorat, quam difficile ſit, etiam ab amantibus hæc talia & intelligentibus hujuſmodi rerum veterum monumenta impetrare: nedum ut ea exhibeant meticuloſiores, qui ſua prodi verentur, ſi eorum aliquid aliis concredant. Neceſſum igitur eſt, ut haſce quales quales memoriæ veteris reliquias boni mecum conſulatis. Qua in re, ne diutius, ac par eſt, vos detineam, ſine ulteriori præloquio opus ipſum aggrediar. Condi cœpiſſe ſcribitur Helmeſtadium an. Salvatoris DCCLXXXIX, quo tempore Karolus Magnus, id temporis Gallorum Germanorumque Rex, & paullo poſt Romanorum Imperator Auguſtus, bellum intulit *Wilzis*, ſeu ut Francici ſcribunt Annales & Ado Viennenſis, *Vulzis*. Erant hi ex Slavis, gente olim & nunc quoque potentiſſima. Veteres Græci Sauromatas: Romani Sarmatas vocarunt. Germanis ſunt Wenden, quos Jornandes Winidas nominat. Notio Wilzorum ſine dubio eſt à Wilk, lupus; forſitan à moribus barbaris, ſeu latrocinandi & prædandi ſtudio. Propria lingua Weletabi nuncupabantur: à nonnullis etiam Lutici, ut teſtis Aimoinus monachus, rerum Gallicarum ſcriptor. Helmoldus à fortitudine nominatos adfirmat: quod intelligo de Luticiorum vocabulo, quod ad Germanicum Leut/ quo viri ſignificantur, alludit. Præpotens erat, ut dixi, hæc natio, & non minus cum Francis, quam cum aliis finitimis bella gerebat, adeo ut etiam congeneres ſubinde Slavos infeſtaret. Unde evenit, ut cum Karolus bellum Wilzis indiceret, odio gentis immaniſſimæ, præter Friſios, Francos & Saxones, etiam ex Slavis Sorabi & Obotriti caſtra regia ſint comitati. A Wiltzis eſt appellatum Wilſenacum, Prignitiæ opidum, olim commentitio Idolo, atque ad id ſuperſtitioſorum hominum concurſu celebre. In hac adverſus Wilzos expeditione, quæ neque infelix, neque longi temporis fuit, Karolo regi adjunxit ſe Ludgerus, ex Friſiis oriundus, ante triennium Mimingarderode in Weſtfalia, nunc Monaſterium dicitur, primus Epiſcopus deſignatus. De hoc Ludgero, Saxonum Apoſtolo, ut Crancio vocatur, prolixius aliquid ut dicamus, operæ pretium ego puto, neque vos ſine fructu id audietis. Friſius fuit, ut memini, natus ampliſſimo loco, patre Diergrino, matre Lieburgi. Fratrem habuit Hildegrinum, primum Halberſtadenſium Antiſtitem. Avus fuit Wirſingus, avia Adelradis, ampliſſima familia uterque natus. Permanſit obſtinate in Ethnicæ religionis profeſſione Wirſingus, etſi in Friſiis multi Chriſto quotidie nomen darent. Ludgerus vero à parentibus Chriſtum jam profeſſis, admodum adoleſcens ſcholis traditus eſt, ut in religione inſtitueretur uberius. Erant tum temporis, ſicut multis poſt ſeculis, ſcholæ apud religioſos & ſacri ordinis homines, monachos puta & Canonicos. Hi non tantum ad pietatis exercitia aſſuefaciebant juventutem, ſed diſciplinas etiam, artes & linguas, tam eccleſiæ, quam reipublicæ neceſſarias, fidei ſuæ commiſſis ſumma fide inculcabant. Apud hos mediocriter excultus Ludgerus, miſſus eſt Eboracum in Angliam, diſcipulus ibi factus & familiaris Flacio Albino, (Trithemius pluresque alii.

alii Alcuvinum vocant) natione Anglo: poſt Bedam & Adelmum ſuæ gentis doctiſſimo, quem etiam Karolus rex aliquando in literis magiſtrum habuit. Hic Karolo auctor fuit, ut Ludgeri opera in conſtituendis Saxoniæ eccleſiis uteretur: futurum enim ut pietatem, fidem & vigilantiam probaret omnibus. Factum eſt quod ſuaſerat Albinus, ſuntque commendatæ Ludgero eccleſiæ nonnullæ. Verum tanta erat in Widechindo Saxonum rege & duce obſtinatio ac pertinacia, ut inaudita crudelitate in omnes, qui religioni, quam averſabatur, faverent, promiſcue deſæviret. Hanc tempeſtatem, tanquam parvi temporis nubeculam, evitandam ratus Ludgerus, una cum Willehado populari, qui Bremæ poſtea Epiſcopus fuit, in Italiam ſeceſſit. Vidit ibi Adrianum Pontificem, eique triſtiſſimum eccleſiarum in Saxonia ſtatum expoſuit. Hic bene ſperare ipſum, Deique auxilium, firma fide id expetentibus nunquam denegatum, præſtolari juſſit. Mortem conſilio geſturus abiit in phrontiſterium Caſſinenſe. Erat is locus toti orbi Chriſtiano notus propter Scholam, quæ à temporibus Benedicti, monachorum per Occidentem patriarchæ, ibi florebat, docentium ac diſcentium frequentia longe celeberrima. Eam diſcendi occaſionem avide Ludgerus amplexus, ſubſtitit ibi; pro Saxonum converſione aſſidue Deum orans, donec ſedatis perſecutionum procellis, eccleſia Mimingarderodana rurſus ei auſpicato concrederetur. Factum hoc ſcribitur anno DCCLXXXVI. Quid in Epiſcopatu egerit, quæ monumenta eruditæ pietatis reliquerit, quomodo ob pietatem in numerum Romanæ eccleſiæ ſanctorum relatus ſit, ſuperſedemus hic referre. Vitam ejus diverſi, quos vidi, auctores deſcripſere: in quibus Altfridus diſcipulus ejus ac familiaris, & Epiſcopus Monaſterienſis tertius, Uffingus monachus Werthinenſis, Joannes Cincinnius Lippienſis, & Anonymi duo, alter proſa, alter rythmis uſus. Verum quum omnes ſuperſtitioſis indulgeant narrationibus, cum judicio legendos eos eſſe, nemo opinor inficiabitur. Verum ad Helmeſtadium revertimur. Id in expeditione illa Slavica condidit Ludgerus, ut Crancio longe antiquior Dithmarus, Merſeburgenſis ad Salam Præſul annotavit. Hic Dithmarus ex Comitibus Walbeccenſibus anno DCCCCLXXVI. prognatus, Sigfridi F. Lotharii N. cum in vicinia viveret, & Canonicorum Regularium, à proavo fundato collegio præeſſet, hiſtoriam opidi hujus ignorare non potuit. Crancius ſcribit, Helmeſtadium à Ludgero munitum eſſe: quod ſic intelligo, fanum quoddam, hoc in loco extructum, cui Karolus alendi ſacrificuli cauſſa nonnihil agrorum adjecerit; colonos etiam ad id habitare, utque à Slavis inquietis tutiores eſſent, opidulum conſtruere, illud operibus ac munitionibus quodammodo ſepire non tam permiſerit, quam clementer impetrarit. Factum id alibi etiam teſtantur hiſtoriæ, ut hujusmodi religioſorum hominum ergaſtula facile invenerint accolas, quæcunque eos ad id impulerit vel occaſio, vel neceſſitas. Tenuia tamen fuiſſe initia, & incrementa tarda, nullum eſt dubium: ſucceſſu vero temporis omnia ita aucta fuere, ut in opidi primum formam, tandem pomeriis dilatatis, in urbem non parvæ magnitudinis locus excreſceret. De nomine vero, tum monaſterii, tum opidi, quæſtio eſt, unde id promanarit. Feneſtræ vitreæ pervetuſtæ, in ambitu templi in monaſterio Vallis Mariæ, dimidio ab hinc miliari adhuc ſuperſtites, nomen opidulo recenti â canicula inditum affirmant. Eam volunt Ludgero in delitiis fuiſſe, qui cum de ſacello, ſive ut veteres loquuti ſunt, oratorio extruendo cogitaret, locumque commodum ſpecularetur, ferunt à Deo precatum, demonſtraret ſibi locum, in quo ædiculam extrui vellet, ibique caniculam juberet conſidere. Addunt factum id eſſe, & quia caniculæ nomen fuerit Elim, quod Dei nomen eſt & Ebrææ originis, locum inde nominatum Elimſtetum. Sed rythmos, ut lingua vernacula veteri in feneſtris, quas dixi, leguntur, ſubjungo.

Koning Karolus Kentzeler/
Sinte Luder de leve Here/
Wolde Godde ein Kloſter buwen/
Tu leve in allen truwen/
Ein Hündelein he hatte/ Helim genant/
Ein Goddelick Name bekant/
He Chriſtum Uſen Heren bat/
Dar dat Hündelin ſat/

Dat he wolde geven ſinen ſchin/
Ichte dat de ſtede mochte ſyn/
Helimſtede ſcholde dat heten/
Der ſtede he und vele mochten geneten.

Superſtitioſa hæc ſunt, dicetis: verum non incredibilia. Forte vir religioſus nomen Dei ſacroſanctum caniculæ ideo impoſuit, ut ſibi id quotidie in memoria eſſet, ubi hunc individuum comitem intueretur: vel ut ſui admoneret ſe officii, ne murus eſſet canis, ſed quemadmodum hic pro Domino latrat, ita ipſe pro nomine altiſſimi contra hoſtes depugnaret. Et ſunt in medio ſimilia exempla, ubi ſæpe à vilibus etiam rebus opidis & arcibus indita ſunt nomina. Legantur origines Thebarum, Trojæ, Mediolani, Monaci. Alii volunt Helmeſtadii nomen profluxiſſe ab Elmo, ſaltu finitimo: non abſurde. Nam eodem modo Hildeſia à vicino nemore, der Hilles appellato, non à nive fabuloſa, de qua Crancius nugatur, nomen invenit. Sic Hamburgum ab Hama nemore, vicino olim, nunc exciſo, non vero ab Hama pugile, qui forte nunquam in rerum natura fuit, indigitatum eſt. Ego ſimpliciter Helmeſtadii nomen promanaſſe à galea, ſive caſſide militari, quam Helm vocamus, crediderim. Nec tamen à galea, ut vulgus putat, Hunici alicujus regis, hic cæſi, & verſus Occidentem in colliculo, ſub mole lapidum admiranda tumulati, ſed ſimpliciter à galea. Nam ejusmodi appellationes invenias perplures in hac vicinia, ubi vel ab animali, vel alio quopiam inſtrumento, pagis vel opidis nomina tributa deprehendimus. Sic Sceppenſtetum à navi, Emmerſtetum ab urna, Egenſtetum à dentali, Wormſtetum à verme, Buddenſtetum à labro, Slanſtetum à ſerpente, Wulferſtetum à lupo, Honſtetum à gallina nomen acceperunt. Omitto ejus generis infinita, quæ vobis ipſis facile in mentem venire poterunt. Et firmare conjecturam videri queant nummuli, qui etiam hodie monſtrantur, & quorum aliqui penes me ſunt, laminæ inſtar tenues, ut veterum ante aliquot ſecula nummi ſolebant, in quibus galea impreſſa conſpicitur, quique ab Helmeſtadienſibus cuſi feruntur: qua de re deinceps etiam quædam monebo. Hinc autem, ut puto, Helmſteto, ſive Helmeſtadio nomen. Cum enim nonnihil incrementi accepiſſet, & opido quam pago ſimilius jam eſſet, placuit honeſtiore appellatione Helmeſtadium dici. Ita autem Chronici ſui libro primo vocat Dithmarus Merſepurgius, quem laudavi antea, & in infinitis litteris ac diplomatis eodem modo ſcriptum reperi. Otto Magnus Imperator in diplomate, quo monaſterio S. Ludgeri decimas finitimorum agrorum largitur, Helmonſtetum appellat. Literæ datæ ſunt anno DCCCCLII. Et tantum de appellatione opidi. Sciendum autem, S. Ludgerum Collegium monachorum, quod hic excitarat, ſubjeciſſe Abbatibus monaſterii Werthinenſis in Weſtvalia, in Comitatu Marcano, ad Ruram fluvium ſiti. Hoc enim una cum fratre germano Hildegrino Halberſtadenſium Epiſcopo, ex bonis paternis paullo ante fundarat. Atque ita Werthinenſis abbas utrique præerat Collegio; urbi etiam dominabatur, niſi quod Advocatum ſemper haberet ex illuſtri familia & nobilitate. Hæc dignitas, ut ex antiquiſſimis litteris obſervavi, ab initio fuit penes Duces Saxoniæ. Et primo quidem Dux Lotharius, qui poſtea imperavit, & vicinum Regiæ Lothariæ cœnobium condidit, ad annum MCXIX. à Luiberto Iſenburgio, & ad annum MCXXXIV, à Beringoto Weſterburgio, abbatibus Werthinenſibus, advocatus Ludgerianus nominatur. A Ducibus Saxoniæ advocatia tranſiit ad Comites Palatinos Summerſeburgios. Vidi enim literas, in quibus Fridericus II. Palatinus an. MCXLV. à Lamberto abbate Werthinenſi, & anno MCXLIV. ab abbate Wolframo Kirchbergio eccleſiæ Ludgerianæ advocatus appellatur. Hac familia extincta, Henricus Leo, qui in litteris quibusdam Palatinos jam dictos cognatos ſuos nominat, tum arcem Summerſeburgiam occupavit, tum dignitatem advocatiæ Ludgerianæ ſibi ſuisque vendicavit. Nam ex literis ejus anno MCLXXXII. datis diſerte hoc & expreſſe liquet. Erat autem nobilium advocatorum munus princeps, ut eccleſias & monaſteria, & eorundem bona in mundiburdium, ſive tutelam, defenſionemque & patrocinium reciperent. Hanc enim vocis barbaræ interpretationem eſſe, alibi docui: à qua etiam advocati ipſi aliquando mundiburdi, hoc eſt defenſores dicebantur. Alterum erat, ut oblationes & donationes, à piis hominibus eccleſiis factas, in majorem fidem acceptarent. Unde illa ſolennis in literis formula: *Hanc donationem ſive traditionem eccleſia, aut præſul,*

recepit de altari eccleſiæ, per manum ſui advocati. Tertium fuit, ut cognoſceret advocatus & jus diceret in cauſſis criminalibus, ſuper furto, rapinis, ſtupris, incendiis & id genus delictis, circa quæ occupari homines eccleſiaſticos non decebat. In compenſationem vero harum moleſtiarum advocati certos reditus habebant de bonis eccleſiaſticis, certa feuda; habebant ſportulas, ut vocant, de judicibus, pœnis, bonis damnatorum. Poterant etiam perſonæ eccleſiaſticæ in certis caſibus, & de rebus ſecularibus coram advocato conveniri. Aliquando, ubi eccleſiæ aut monaſteria ſita erant in territoriis advocatorum, habebant advocati ſuper bona eccleſiaſtica & in eccleſiæ ſubditos, jus territorii, collectandi, ſequelæ, homagium à ſubditis exigendi & recipiendi, confiſcandi & plura alia: quæ poteſtas ſuperior advocatia Jureconſultis vocatur. Atque hinc eſt, quod jam à tempore Henrici Leonis, quem jus advocatiæ Ludgerianæ ſibi ſuisque dixi vendicaſſe, ſucceſſores ejus, Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes jure hereditario omnia advocatiæ munera in monaſterium Ludgerianum & urbem Helmeſtadium obierunt, omnibus etiam advocatiæ, cumprimis ſuperioris, commodis uti, frui conſueverunt: donec præfecturam Senatui opidano oppignorarent, ut infra audietis. Sed revertamur ad Helmeſtadium. Sine dubio multa, tum de illo, tum de monaſterio Ludgeriano olim annotata fuere; ut ſenſim creverint, & incrementa ſumpſerint, quæ fuerit utriusque fortuna: ſicut earum rerum annales conficere ſemper monachis uſitatum fuit. Verum iſta omnia partim temporis injuria interciderunt, partim in totali urbis conflagratione flammis abſumpta perierunt. Sed de inflammatione illa mox plura dicemus: ſunt interim, quæ ante illam ſcitu digna accidiſſe, annotata inveni. Horum unum eſt, quod Henricus II. Imperator auguſtus, quem Sanctum alii, alii etiam Claudum cognominant, in Italiam contra Arduinum Marchionem, ab Inſubribus regem appellatum, copias educturus, feſtum omnium Sanctorum Helmeſtadii celebrarit, & exercitum luſtrarit. Incidit in annum MIV. Sed & alterum eſt, quod conflagrationem illam anteceſſit. Cum monaſterium D. Ludgeri ad Orientale urbis Helmeſtadii latus ſitum eſſet, Wolframus Dynaſta Kirchbergius abbas Werthienſis & Helmeſtadienſis cœnobii, anno MCLXXXI. ad latus Occidentale, in colliculo urbi fere contiguo, monaſterium condidit ſacrarum virginum, quod hodie cœnobium Montis D. Mariæ appellatur. Ordinis id eſt D. Auguſtini, & Prioriſſas ab initio habuit, á reformatione Dominas accepit, ut vocant. Fundator obiit tertio à fundatione anno, & in templo à ſe inchoato terræ mandatus eſt. De inflammatione, ac triſti ejus combuſtione res ita habet. Defuncto in Sicilia anno MCXCVII. Henrico VI. Imperatore, Philippus Sueviæ Dux, Henrici ſive filius, ſeu patruus, Cæſar deſignatus eſt. Huic oppoſuere alii Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici Leonis filium, hoc nomine quartum, id temporis in Anglia viventem. Hoc diſſidium toti Germaniæ, cumprimis Saxoniæ, exitiabile fuit. Etenim Ludolfus archiepiſcopus Magdeburgius, obſcuro loco natus, ſed literarum & diſciplinarum humaniorum non expers, à Philippo corrumpi ſe paſſus, omnibus modis Ottoni adverſabatur. Accedebat alia cauſſa, quod nempe metuebat arci & territorio Summerſeburgenſi. Id enim anteceſſor ipſius Wichmannus, ab Adela ſive Adelheide Alberti ultimi Palatini Summerſeburgii filia unica, & tum temporis ſumma ſacerdote Quedlingepurgenſi, reclamante Henrico Leone ejusque filiis, ſibi compararat & poſſidebat. Sic enim perſuaſus erat, facile futurum Ottoni, ſi ad Imperium eveheretur, repetere, & in poteſtatem ſuam redigere, quæ parenti, Henrico Leoni, per ſummum nefas ab æmulis erepta fuerant. In quo quidem minime eum opinio fefellit. Arcem enim Summerſeburgiam paulo poſt Henricus Palatinus Rheni, Ottonis frater germanus, occupavit. Quod ut faceret, occaſionem ei præbuerat inquietus archiepiſcopus, collecto exercitu Brunſuigam, ſive ut eam occuparet, ſeu copias auxilio obſeſſis miſſas averteret, ſumma contentione proficiſcens. Sed pervertit eum Palatinus, ſuasque copias invitis adverſariis in urbem deduxit. Dum hæc in Saxonia aguntur, armat ſe Philippus in Thuringia, & collecto exercitu verſus Brunſuigam iter inſtituit. Erat in caſtris regiis Ludolfus Magdeburgius Præſul, ſtipatus multis ex equeſtri ordine diœceſis ſuæ. Is ut injurias acceptas, ut putabat, probe vindicaret, toto iſto itinere, quæcunque erant Ottonis Cæſaris bona hæreditaria, indigna religioſo homine truculentia, immiſericorditer expugnavit, excidit, incendit. Tunc Warbergum, veteris proſapiæ

 Baro-

Baronum arx primaria funditus everſa, Helmeſtadium direptum & inflammatum eſt.
Coloni in pagis vicinis, magalibus eorum in cineres redactis, alibi hoſpitium quæſi-
vere. Unde factum, ut multæ villæ, multique pagi deſolati manſerint. Incidit cla-
des hæc funeſta admodum in annum Chriſti MCXCIX. cum Helmeſtadium ſtetiſſet
annos CCCCXIII. antiquius urbibus vicinis omnibus, Magdeburgo, Goslaria, Hal-
berſtadio & Brunſuiga. Vaſtata tunc ſunt omnia, ſimulq; periere antiqua vetuſtatis pri-
ſcæ monumenta. Jacuit aliquandiu in ruderibus proſtratæ urbis cadaver: verum
Antiſtes Werthinenſis, de ſubditis ſuis ſolicitus, omnem movit lapidem, ut locus in
priſtinum ſtatum reduceretur. Ea vero in re magnum adjumentum habuit ab Otto-
ne IV. Imperatore, ejusque fratribus Saxoniæ Ducibus. Ampliata tum fuit urbs, & vi-
cinorum pagorum incolæ in eam commigrarunt. Ita plane deſolatum manſit Worm-
ſtetum, Baſdale, Criſpenroda, Sedorpium, Strevelingeroda, aliæque villæ vicinæ, qua-
rum nominum adhuc in agris finitimis, & in plateis quibusdam urbis in quas incolæ
commigrarunt, ſuperſunt veſtigia. Antiquiſſimæ literæ, poſt hanc cladem ſcriptæ,
quas quidem videre mihi contigit, adſcriptum habent annum MCCXXIIX. in quibus
Gerhardus Werthinenſis abbas conſuetudines antiquitus uſurpatas ſervari iterum &
in poſterum retineri conceſſit. Renovata tunc ſunt opificum collegia, uniones vul-
go vocant: ſicut lanii confirmationem earum ab abbate jam dicto impetrarint, anno
MCCXLIV. & triennio poſt inſtitores, fabri ferrarii, ſarcinatores & pelliones. A-
liis tamen tardius uniones conceſſæ, ut piſtoribus ab abbate Conrado à Gleichen ad
annum MCCCCXIII. carpentariis ad annum MCCCCLXXXIX. ab abbate Anto-
nio. Sed revertor, unde digreſſus fui. Sub abbate Gerardo, quem dixi, conceſſum
eſt civibus, ut ſi quis gravatum ſe à judice crederet, ad Scabinos Magdeburgios ei lice-
ret appellare & litem devolvere. Idem abbas, civium numero augeſcente, cum po-
mœria proferrentur, licentiam Senatui dedit, ut templum S. Stephani, quod extra mu-
ros erat, mœnibus includeretur. Eam conceſſionem, quoad templum, ratam habu-
it Ludolfus Halberſtadenſium Antiſtes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur,
ſed & muniretur, offendebatur quodammodo Werthinenſis abbas, qui minus muni-
tam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus, in quibus promit-
tebatur, ut Præſul, quoties Werthina urbem inviſeret, portam unam haberet aper-
tam, civesque adventanti claves in ſignum ſubjectionis offerrent, quas abiturus ipſis
redderet. Conditionibus utrinque acceptis, muri ſunt inſtaurati, turres ædificatæ
plures & S. Stephani templum mœnibus incluſum. Hoc templo antiquius eſt alterum,
quod S. Walpurgi conſecratum: quo tamen tempore id fuerit conditum non inveni.
Sub hoc tempus, & quidem anno MCCXXXII. Scabini Helmeſtadienſes monachis
Mariæthalenſibus, quibus tum præerat Conradus, ejus nominis primus, abbas deci-
mus, privilegium indulſerunt, ut, poſtquam per ſanctæ converſationis ſtudi bonum
odorem longe lateque ſpargerent, ac honore ſimul & favore digni haberentur, quic-
quid intra terminos urbis donatione vel eruptione acquirerent, ſive domos, ſive agros,
libere ſuſciperent, & poſſiderent, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exſolventes. Ve-
ſtigia vetuſtatis in his verbis agnoſcitis; tranſcripſi enim ea ex literis contractus. E-
merunt autem monachi mox locum & in eo ædificare cœperunt. Verum anguſtio-
is erat, quam vellent, & neceſſitas forte requirebat, ac proinde de eo ampliando cogi-
tabant. Accidit commodum, ut Wilhelmus abbas Werthinenſis Helmeſtadium ve-
niret. Is rogatus à Waſmodo abbate Mariæthalenſi, non tantum ſtructuram inchoa-
tam ratam habuit, verum etiam licentiam monachis dedit ædiculas alias coëmendi &
loco deſtinato adjungendi. Fecit præterea poteſtatem miſſas ibi legendi, ita tamen,
ne inde aliquid detrimenti caperet tam monaſterium Ludgerianum, quam Helmeſta-
dii eccleſia parochialis. Confirmavit hæc omnia Dux Brunſvicenſis Henricus, & con-
ſenſit Senatus populusque urbis, quem primo iſta re offenſum, ad concordiam cum
monachis reduxerunt Cæſarius San Ludgerianus & Joannes Montis Divæ Virginis
Præpoſiti. Elapſis ab hoc tempore annis CCXLIV. ex ergaſtulo hoc monachorum
factum eſt præſens hoc pietatis omnisque eruditionis domicilium, in quo panegyrin
hanc celebramus: optimo Principi fundatori gratificante Caſparo Schoſgio, abbate
Mariævallenſi, viro erudito & pio, cujus memoria ſit in benedictione. Verum ad a-
lia redeo. Dixi jam ante de S. Ludgeri & Divæ Virginis monaſteriis, Helmeſtadio
adja-

adjacentibus, præter ea in ipſo urbis meditullio condi ſub hæc tempora aliud cœpit. Origo ejus & occaſio ſequens fuit. Habebant ædificium in urbe CommendatoresSuplinburgii, id ab iis emerat Senatus anno MCCLXVII. pro extruendo xenodochio pauperum, & honori S. Spiritus conſecrabat. Accidit vero ut ex intervallo viginti circiter annorum, fraterculi quidam, ſive monachi in urbem nidificatum venirent ex Porta cæli, cœnobio ad ſilvam Herczniniam, in agro Stolbergico, qui ſe Eremitas Auguſtinianos vocant, & D. Auguſtinum, falſo tamen, familiæ ſuæ patriarcham conſtituunt. His Senatus xenodochii ſui ædes ſub certis conditionibus obtulit, eosque qui antea in eo habitabant in ſuburbium occidentale ſecedere juſſit, atque ibi de habitatione nova ipſis providit. Conſenſit in hæc Henricus Werthinenſis Præſul, & porro monachis permiſit, ut ædes in monaſterii formam exædificarent: qui viciſſim ſe ſingulis menſibus Miſſam unam pro animabus omnium Chriſtianorum cantaturos, abbatem inſuper omnium bonorum operum ſuorum participem facturos, pro ævi iſtius ſuperſtitione in ſe receperunt. Facta & ratihabita omnia anno MCCXC. Biennio ante lis erat Henrico Mirabili, Duci Brunſuicenſi, cui ditio Grubenhagienſis in diviſione patrimoniali obvenerat, cum fratribus germanis Alberto & Wilhelmo. Henricus urbem Helmeſtadium ſibi adjunxit, & in tutelam recepit, pactusque cum ea fuit, ſe intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum, nec cum fratribus velle paciſci, niſi ipſis ſimul conditionibus pacis incluſis. Albertus & Wilhelmus hac re offenſi, urbem obſidione mox cingunt, venitque ipſis auxilio Sigfridus Hildeſienſium Epiſcopus. Verum cum occupari urbs ſtatim non poſſet, induciæ ab utraque parte ineuntur, ſi forte durantibus illis res omnes placide componi poſſet. Mittuntur itaq; Legati in urbē nihil mali ſibi metuentes. Quid fit? excitatur à plebe infima & hominibus ſeditioſis tumultus, occluduntur portæ, & Legati trucidantur. Ita rem narrat Chronicon Hildeſienſe MStum. In Catalogo quodam abbatum Werthinenſium additur Ottonem Warbergium, id temporis abbatem Werthinenſem, ejus nominis ſecundum, una cum aliis ex nobilitate quibusdam in tumultu illo occiſum & in monaſterio San-Ludgeriano ſepultum. Peſſime ob facinus illud audivere Helmeſtadienſes, nec minus Henricus Mirabilis, qui eos tutabatur. Ac licet Imperator omnes ab armis deſiſtere ſub pœna banni juberet, non acquievit tamen Henricus, ſed continuis ex arce ſua Herlingsberga plurimum ſubinde damni fratribus intulit, donec hi tandem, Principibus aliis in auxilium vocatis, eam vi occupare, & funditus delere cogerentur. Helmeſtadium vero banno Imperii feriit Imperator, à quo tamen eam mox idem ad interceſſionem abbatis Werthinenſis abſolvit, & in gratiam recepit per Ottonem Anhaltinum Principem. Factum id anno MCCXC. Anno inſequenti, cum porro omnia inter partes componerentur, Ericus Archiepiſcopus Magdeburgius, Sigfridus Hildeſienſis antiſtes, Otto Marchio Brandenburgius, Albertus & Wilhelmus Brunſvicenſium Duces, & Otto Comes Aſcanienſis, interveniente juramento Helmeſtadienſes in juratam pacem, quam diu ea duret, receperunt. Jam tranquilla omnia videbantur, cum hoſtem inopinatum invenirent Helmeſtadienſes, ex nobili agri Brunſvicenſis familia, Joannem Obergium. Is neſcio unde offenſus, pro more ejus temporibus urbi diffidens, hoſtem ſe ipſorum eſt profeſſus, & multa hoſtiliter in cives perpetravit. Verum interpoſuit auctoritatem ſuam Albertus Dux Brunſvigius, novosque motus in herba ſuppreſſit. Factum id anno ordientis ſeculi decimi quarti primo, qui erat Chriſti MCCCI. Sexennio abhinc elapſo emit Senatus ab Alberto jam dicto ſuburbium urbis Occidentale, quod Novum forum diximus, cum omni juriſdictione, quam Princeps in eo habuit. Dixi autem jam ante, Senatum à ſe conditum in urbe xenodochium conceſſiſſe fratribus Eremitis Auguſtinianis, eos vero qui ante in eo habitarant, migrare juſſos in ſuburbium. Suburbio vero jam in Senatus juriſdictionem recepto, petiit hic à Nicolao Præpoſito & Conventu Montis D. Virginis, quibus juriſdictio eccleſiaſtica in ſuburbium competebat, oblatis XL. marcis argenti puri, quæ faciunt CCCCXX. florenos Rhenanos, ut ſibi liceret in eo ædificare Capellam, ut vocant, & altare in honorem D. Georgii, ſub hac tamen conditione, ut Præpoſitus de ſacris in ea celebrandis teneretur, & ſanis ægrotisque in xenodochio ſacramenta, quoties opus foret, curaret adminiſtrari. In hæc omnia conſenſit Wilhelmus abbas Werthinenſis, & acciderunt anno MCCCXXII. Donarant paullo ante quæ-

 dam

dam xenodochio huic Albertus & mox Otto Brunſvicenſium Duces, & Bertramus à Veltheim miles, & ab oneribus civilibus liberum pronunciarant ipſi ſuburbii Scabini. Cumque ex intervallo in hoſtili inſultu quopiam xenodochium incenderetur, Burchardus Halberſtadienſium Præſul dierum XL. inducias, pro loci reædificatione benefactoribus omnibus elargitus eſt. Factum id anno MCCCXLII. ſimilique liberalitate poſt annos aliquot ſucceſſor ipſius Albertus Epiſcopus erga xenodochium obæratum uſus fuit. Hoc tempore graviſſimus urbem caſus concuſſit, parumque abfuit, quin plane everterit. Mali initium originem habuit à lanariis ſeu pannificibus, qui litem movebant mercatoribus, primariis urbis civibus. Modeſtiores hi, petebant, ſi quid controverſiæ eſſet, cognoſceretur id à judice ordinario. Reclamabant pannifices, tam audacter, quam ſtolide dicentes; Cum domi ſit, nequaquam alibi jus quærendum. Neque hoc contenti, cum ſibi opifices conjunxiſſent omnes, claves portarum invito, & ſuum jus aſſerenti Senatui per vim extorſerunt: moxque ſequente Paſchatos feſto novos Conſules & Senatores, extruſis prioribus conſtituerunt. Verbis explicari non poteſt, quanta tum hic fuerit ἀναρχία, & ex ea ἀταξία, bonis oppreſſis, malis triumphantibus. Tanta tamque effrenis improborum fuit audacia, ut jactarent, etiamſi Princeps Brunſvicenſis, negocii iſtius cauſſa, tam pernicioſi, quam inauditi, adventaret, non admiſſuros ſe ipſum niſi certis conditionibus intervenientibus: quas niſi acciperet, facile inventuros ſe Dominum, qui mitius imperaret, & cui commodius parerent. Rei fama divulgata Werthinenſis abbas cum Duce Brunſvigio, loci advocato, urbem inopinato & armata manu ingreſſus eſt, populoque convocato juſſi ſunt à rebellibus & ſeditioſis ſecedere, quotquot pacem amarent & juſtitiæ ſtuderent. Paruere ſaniores & potiores. Dux ipſe ex equeſtri ordine judicem conſtituit, ac tumultus peſtilentis & nefarii auctores publice reos agit. Quatuor ex ſeditioſis capitis damnati in foro gladio cæſi ſunt: nonnulli fuga ſibi conſuluere, quorum bona publicata, ipſi infamia notati ſunt. Incidit hoc in annum MCCCXL. Sedato hoc tumultu, cum efflorescere indies magis magisque urbs cerneretur, dici non poteſt, quantum nunc hujus, nunc illius eccleſiaſtici ordinis fraterculi ad eam confluerent, & domicilium ſibi quærerent: ad quæ connivebant abbates, nec novos hoſpites offendere volebant. Senatus vero, cum jampridem eorum ſatis magnus in urbe numerus eſſet, & quicquid illi ſibi acquirerent & coëmerent, aut ipſis in ſpem æternæ retributionis (quæ ſuperſtitio tum maxime vigebat) donaretur, oneribus publicis ſuſtentandis eximi ſubtrahique videret, rem publicam non parum detrimenti capere & porro capturam, prudenter conjiciebat. Advocatos igitur ſuos adierunt, Duces Brunſvicenſes, & rem ipſis aperiunt: ex quibus primus Dux Magnus, Pius ſive Sangerhuſius dictus, dum in tutelam urbem recipit, decreto ſancit, ne qui in poſterum vel Canonici vel monachi, cujuſcunque ſint ordinis, præter eos qui id temporis in urbe erant, ſedem in ipſa figant, aut nidificent. Factum id anno MCCCXLV. Confirmavit idem Magnus Torquatus, ſive Catenatus anno MCCCLXX. Otto Dux anno MCCCLXXIX. & porro Fridericus & Wilhelmus fratres ad annum MCCCCLXXXIII. omnes Brunſvicenſes & Luneburgenſes Duces: quorum duo poſteriores Helmeſtadienſibus promiſerunt, ſi feudorum aliquid Principibus aperiretur, quod ſibi illi retinere nollent, ſed aliis rurſus in feudum concedere, eos præ omnibus aliis Senatus ea in re civiumque rationem habituros. Sed redimus, unde digreſſi fuimus. Anno MCCCXLIII. Brunſvicenſes & Helmeſtadienſes fœdus iniere cum nobilibus agri Brunſvigii ſibi vicinis, eo fini, ut ſi quis ex fœderatis fuerit læſus, omnes pro eo juri ſe offerant, & rem ſi fieri poſſit componant, ſi obtinere vero id nequeant, omnes ſimul læſo ſummis viribus, ac re conſilioque adſiſtant. Altero ab hinc anno Senatui Helmeſtadienſi primum pro certa pecuniæ ſumma à Magno Brunſvigio Duce oppignorata eſt ſuprema urbis præfectura, quæ Advocatorum hactenus erat. Factum idem porro annis ſubſequentibus à Friderico, Bernardo, Henrico Ducibus Brunſvigiis: Senatu libenter ſubinde ſummam pignoris augente, ne reluere illam curarent Principes. Unde & hodie præfectura illa penes Senatum manet. Eodem tempore fere, civibus Magdeburgiis lis erat cum nobilitate Archiepiſcopæ. Illi fœdere ſibi jungebant urbes vicinas Goslariam, Brunſvigam, Quedlinburgam, Halberſtadium, Aſcherslebium & Halas

Saxo-

Saxonum. Diſſidium duravit triennio, donec tandem mediantibus Brunſvicenſibus, componeretur, omnesque inter ſe in gratiam redirent. Anno 1358. Joannes Abbas Werthinenſis ad inſtantiam ſenatus, ne cives depauperarentur, abrogavit conſuetudinem illam, quâ poſtulabatur ab exteris, qui uxores ex urbe Helmſtadio duxerant, ut nullo unquam id tempore in poſterum alicui liceat. Confirmavit id ſtatim Dux Magnus, & biennio poſt Henricus Abbas, Joannis ſucceſſor. Qvum vero ſubinde eſſent, qui contradicerent, ratum idem habuit Martinus Papa ad annum 1421. & demum Fridericus Imp. Auguſtus, qui non hoc tantum, ſed ſimul omnia urbis privilegia, quæ ab abbatibus Werthinenſibus vel habuerint, vel habeant, ad annum 1458. confirmavit. Sed revertor ad priora. Anno 1364. Senatus Magdeburgius in literis ad Helmeſtadienſes vehementer incuſat Brunſvicenſes infidelitatis quam in octo punctis, quæ recenſent, ipſis oſtenderint, & ob quæ Magdeburgii paſſi fuerint damnum 4658. marcarum, rogantque ut Helmſt. cognoſcant & judicent. Ex intervallo aliquot annorum Erneſtus Halberſtadienſium Epiſcopus etiam Schœningenſes coram Helmſt. incuſat, quod damnum ſibi dederint 300. marcarum, judiciumque Helmſt. requirit. Initium ſeculi decimi quinti turbulentum admodum fuit, paſſimque omnia per rapinas & latrocinia acta fuere. Itaque mox anno 1406. Ludolfus Warbergius, Henricus & Joannes Veltheimii, Rudolfus Garſebuttelius, fœdus cum Helmſt. icerunt contra homines malos, ut verba habent literarum, ſive quemcunque, qui uni aut alteri moleſtus eſſe voluerit. Biennio poſt hoſtem Helmſtad. habuere Henricum ab Alvenſchleben, qui tamen tandem compoſitionem ipſe quæſivit, & civibus ablata reſtituit. Anno 1420. hoſtis ipſis fuit Henricus Holtbergius, qui tamen non ſuo ſed Eggerti ab Havenſche, Præpoſiti Hildeſienſis nomine hoſtilitatem exercuit. Quid vero Holtbergio factum, non inveni. Eggertus poſt paulo ab Epiſcopo Hildeſ. Joanne, cujus vitam diſſolutam juſſu capituli liberius reprehenderat, Sturwaldii in carcere trucidatus eſt. Elapſo quadriennio hoſtem urbis ſe profeſſus eſt Steppe à Mander, ſed compoſuit litem Burchardus Marenholtius. Hoſtes poſt triennium mox invenerunt Erenbrechtum & Martinum à Seggerde; ſed & hoc litigium ſedavit ſenatus Magdeburgius. Anno 1430. Archiepiſcopus Magdeburgicus Guntherus ſcribit ad Helmſtadienſes, & quæritur de Senatu Magdeburg. quod in ſua jurisdictione & in areâ templi cathedralis ædificent, tanquam locis, in quibus nullum ipſis jus eſſet, ædificando, modisque pluribus aliis incommodent. Vult autem id ſcire Helmſtad. & juri ſe ſubmiſſurum conteſtatur. Quod ſi vero Magdeb. acquieſcere nolint, & ipſe irritatus proinde in ipſos aliquid tentet, rogat ut Helmſt. quieti eſſe velint, nec Magdeb. adeſſe. Anno 1451. Helmſt. fœderi ſe adſociant, quod inter ſe icerunt Brunſuic. Magd. Goslar. Halberſtad. & Quedlinburg. & ſeptennio poſt idem faciunt cum Goslar. Magdeb. Brunſvic. Halberſt. Hallenſ. Aſcanienſ. Quedling. Hildesh. Götting. Stendel. Saltzwedel/Tangermund. Hannov. Einbec. Hamel. & Northeim. Anno 1455. diſſidium inter Magdeburgenſes & Nobiles quosdam Luneburgenſes, propter nobilium illorum rapinas & deprædationes ortum, in urbe Helmeſtadio, per Albertum Abbatem Mariævallenſem, tanquam compromiſſarium, ſopitum eſt. Anno 1463. Abbas Werthinenſis oppignorat Helmſt. monetam & Judæos: at Judæorum ex intervallo Helmſtad. pertæſi, abbati Diderico 500. aureos Rhenan. offerunt, ut iis acceptis poſt elapſum triennium Judæos exeſſe juberet, tum ex urbe, tum ex utroque ſuburbio, idque in perpetuum. Anno 1469. Civitates Hanſeaticæ Lubeccæ adunatæ ſcribunt ad Helmeſtad. notumque ipſis faciunt, quanta acquiſierint majores ſui privilegia pro mercatoribus & in commune bonum, rogantque, ut ipſi etiam ſuo loco operam dare velint, ut ſarta tecta omnia conſerventur. Literæ datæ ſunt 1469. Quadriennio abhinc elapſo Huno Bartenſchlebius hoſtiliter & ſine clarigatione ullâ cum collectâ manu pecora Helmſtad. abegit, qui raptores inſecuti ſeptem capiunt, inter quos clericus quidam fuit, & ex miniſterialibus, ut vocabantur, unus, quos ſtatim in furore illo omnes ſuſpendunt. Sub hæc tempora & ſubinde ab aliis etiam infeſtabantur Helmſtad. qui hoſtes ſe ipſis declarant, ut anno 1474. Henricus Velthemius Guntzelii filius, Harbeccæ habitans, anno inſequenti Wernerus & Johannes Schuleburgii. Anno 1483. lis ipſis erat cum Abbate ſuo Conrado, à Gleichen, ſed illam compoſuit Henricus Dux Brunſuicenſis. Anno 1486. die

Bar-

Bartholomæi abigebantur Helmſtad. pecora ante tres portas, quæ cenſebantur 1600. fl. Rhen. Fiebat id à Comitibus Honſteiniis & Wunſtorpiis, diſcedentibus è caſtris Epiſcopi Magdeb. & Halberſtad. qui Halberſtadium obſidebat, ſciente, ut putabatur, Epiſcopo. Inſequebantur abactores Helmſtad. & forte omnia recepiſſent: verum perſuaſi, ut redirent, & prius circa templum S. Stephani proceſſionem inſtituerent, aſſequi rapto res non potuere. Ex intervallo cum Henrico Brunſuic. Duce Comitibus illis viciſſim pecora abigebant, ſed parvo cum fructu eorum, qui ſua perdiderant. Eodem anno 1486 & Monaſterium & urbs Helmeſtad. hoſtem habuit Ottonem à Badendieck. Poſtremo addam nunc aliquid, de inſigni iſta mutatione, quæ incidit in annum conditæ hujus urbis ſeptingenteſimum: quâ mutatione urbs antiquiſſima, jure antiquo gaudens, nullisque oneribus gravata, liberrima pene, ſed inſoleſcens, in poteſtatem alienam pervenit; ſuo quodam fato, ut creditum fuit, admodum ancipiti, verùm,ut oſtendit eventus, verè exoptato & fructuoſo. Occaſio hæc fuit: Antonius Werthinenſis antiſtes ab Imper. Frider. III. ad comitia Imperii Francofurti ad Mœnum indicta evocabatur. Verùm ſumptus ad iter hoc neceſſarii non erant in promptu. Helmeſtadienſes rogati, ut principi ſuo operâ & ope ſubvenirent, paullò inconſultius utrumque denegarunt. Ægerrimè tulit Abbas repulſam, atque è veſtigio in Saxoniam profectus de urbe alienandâ cogitare cœpit. Memorant annales primum adiiſſe Groningam & epiſcopo Halberſtadenſi Gebhardo Hoimio urbem obtuliſſe,qui cum ſciſcitaretur, cur urbem non exiguam ita præcipiti conſilio divendere vellet, reſpondit Abbas: *Helmeſtadenſes nolle amplius monachorum eſſe filios.* Epiſcopus homo facetus non ineptè ſubjecit; *ergo etiam ſacrificorum filii eſſe recuſabunt.* Sic re infectâ illinc diſcedens abbas Wolffenbutelum ſe contulit, ubi emptorem invenit avidiſſimum Wilhelmum Juniorem Brunſuicenſem Ducem, hactenus urbis advocatum, ſive præfectum & tutorem. Huic certo pretio vendidit urbem unà cum curiâ ſive aulâ Abbatis, quæ deinceps Mynſingeris ceſſit, præterea omnes clientelas ſive feuda, quæ ad monaſterium S. Ludgerianum antiquitus ſpectabant, reſervatâ tantùm ſibi ac ſucceſſoribus beneficiis Eccleſiaſticis ac jure patronatus. Annus tum agebatur à Chriſto nato milleſimus, quadringenteſimus, nonageſimus: qui, ut memini, urbis conditæ erat ſeptingenteſimus. Ingreſſus eſt urbem princeps poſtridie Pantaleonis, promiſſâque veterum privilegiorum conſervatione juramentum fidelitatis ab oppidanis recepit. Et tum facti ſunt Ducum filii, dictumque ipſis eſt, ut cochlearia culinæ ex inſignibus delerent, & galeam pro iis & leonem uſurparent, & in monetâ procuderent. Crantzius in Metropoli hæc commemorans ſuo more, utpote principibus parum æquus & homo de ſcholâ Politicarum rerum non ſatis gnarus, ineptè hæc addit: *Pœnituit oppidanos mutaſſe dominum: ſed quando ranæ regem contempſere ignavum, accepere pro illo ciconiam, quæ regit in virgâ ferreâ ſubjectos.* Superbè ſatis Crantzius, dicam impie! Non potuit pœnitere oppidanos, neque etiamnum pœnitet præſentis ſtatus: nam, ſi quis rem perpendit, is neceſſe habet fateatur ſingulari providentiâ Dei factam eſſe hanc venditionem. Qui enim urbs hæc in iſtis tumultibus bellicis, qui ſubſecuti ſunt tuta eſſe potuiſſet, niſi potentem iſtum dominum defenſorem habuiſſet? Objecta fuiſſet petulantiæ & libidini quorumvis graſſatorum deſtituta defenſore, qui procul aberat, ipſe imbecillis. Non dicam nunc de ingenti & incomparabili beneficio quod hiſce noſtris temporibus accepit, cùm id ipſum proxime factum ſit: utinam eo rectè utatur, Deique omnipotentis benedictionem gratâ mente agnoſcat, ac prædicet. Sed redeo ad alia. Anno 1520 domus Carmelitarum in platea Beginarum erecta eſt, uti dilucidè oſtendit ſequens inſcriptio:

Stirpis Olympiacæ ſesqui milleſimus annus,
Bisq. duo curſus luſtra dedere ſuos:
Erigitur ſpetioſa domus, quam candida ſacri
Carmeli ſoboles vatifer ordo ſtruit.
Huc Tua Johannes Gennep, tua docte Gegorgi
Parta refers Droſen, pulcrius herclè nihil.

Et

Et tantum de Helmeſtadio hujus inclytæ Juliæ noſtræ hoſpitio non incommodo. Plura mihi eſſent ad manus. Sed tempus non patitur me prolixiorem eſſe; neque deerit vobis occaſio iſta coagmentandi, ut cognoſcatis omnia.

JODOCO GOGREVIO BILFELDENSI JOANNI BECMANNO SPROCKHOVELDENSI

Novis Doctoribus 1582.

EN erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem,
Virtutes, moresque bonos, titulosque faventes,
Et ſtabilem famam, nomenque perennius ære.
Dignos laude viros mors invidioſior æquo
Nequicquam violat, ſed cœli conſcia virtus
Æternas in luce moras largitur, & atri
Funeris expertes venturis inſerit annis.
Fortunati ambo, quorum virtutis amore
Incaluere animi: quos non de tramite pulſos
Stravit humi luxus, luxuque potentior omni
Prodiga ſegnities, juſſis excuſſit habenis.
Sed probitas, & ſancta fides, candorque venuſtus,
Vitaque labe carens, metuens nec ab hoſte notari,
Extulit ad ſummos, ut res oſtendit, honores.
Ergo age promeritas non inſcia texere laudes,
Triſtitiam tege, Muſa tuam, vultuque ſereno
Ad delubra veni: ſolennes dicere pompas
Et decet & fas eſt, fors non temerarius autor,
Immemor invidiæ, tenues non reſpuet auſus:
Creſcentemque nova decorabit laude Poëtam.
Sat Muſis meruiſſe legi: nihil amplius illis
Sæcula naturam ferri referentia ſpondent.
Qui patienda tenet, tolerantius omnia perfert.
Quisquis es hic noſtris hoſpes peregrinus in oris,
Atque oculis, rerum ignarus, circum omnia luſtras,
Diſce age, quam vario currant momenta tenore,
Quantum ævi ſpacioſa queat mutare vetuſtas.
Hæc nemora, hos colles, & cinctam mœnibus urbem,
Armipotens Mavors, & nobilis ægide Pallas
Incoluit quondam bellique fideliter uſum
Edocuit cives; cuncti ſe ſcire fatentur.
Sanguineis poſtes clypeis, ſpoliisque ſuperbi
Fulgebant, victis detractaque ab hoſtibus arma,
Fornice ſub templi paſſim ſuſpenſa nitebant.
Quin etiam Mavors, ſi fama eſt integra, bello
Laſſatus, *galeam* & clypei ſeptemplicis orbem,
Detulit huc condens: ut quondam regia Juno
Arma ſua, & currus Tyria ſervabat in urbe.
Noſtra nec urbs alia deducit origine nomen.
At fuit infelix ſtatus ejus, & omnia peſſum
Ire videbantur, recto & contraria ferri.
Pax fidei, verique tenax; mala bellua bellum
Vertit, & evertit juſtos pietatis honores.
His animadverſis, cithara præclarus eburna
Cui Claros, & Tenedos, Pataræaque regia ſervit,
Indoluit Phœbus, raptoque invidit honori.
Æmula ſunt etiam divorum pectora, quondam

Juppiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo.
Noluit ipſe Jovi concedere Terminus alto.
Et quia barbaries, nec non fanaticus error
Leucoreos fontes, ripaſque fluentis Eliſtri:
Atque lacus Nicri, vetitis temeraverat auſis.
Suaſit Apollo fugam, notaſque relinquere ſedes.
Quum mox unanimes nymfæ, Dryadeſque Napeæque
Undique conveniunt, animis opibusque paratæ,
In quascunque velit rurſus deducere ſedes.
Omnia tentanti potior ſententia viſa eſt,
Palladis hoſpitium, torvique palatia Martis.
Ni vetet augurium, fatis intrare ſecundis.
Ut ſcriptura Dei dignatur nomine reges,
Pectora ſic geſtant fatorum conſcia, noruntque
Omnia, quæ fuerint, quæ poſt ventura trahantur.
Agnovit longe adventum, cœptusque Deorum,
Julius Heroum ſoboles, flos aureus orbis,
Gnaviter & celſas educit ad æthera moles.
Quid memorem cenſus collataque jura? quid actos
Omnibus è terris præſtantes arte Magiſtros?
Saxoniæ interea magnas it fama per urbes,
Adveniſſe diem, quo duri regia Martis
Excipiat Muſas, devotaque pectora Muſis.
Ingeminant Nymphæ plauſus, & Najades udæ,
Muſcoſique lacus, reſpondent omnia ſilvæ.
Sidera quin illa fulſerunt ignea luce.
Conſcia fortunæ melioris: ſpica tenellæ
Virginis in medii lucebat cuſpide cœli:
Cum Jove torta ſubit rubicundi cauda LEONIS:
Ad Boream Veneri comes it Libra, Pegaſus alam
Explicat, atque ortus molitur cum Jove fauſtos.
At Procyon nitidæ comitatur cornua Lunæ.
Nec mora: crinito faciles cum principe Muſæ,
Invadunt urbem, rebusque viriſque ſuperbam.
Ex illo fluere, & retro ſublapſa referri
Barbaries, flexi mores, ſtabilita venuſtas.
Vix poſitæ ſumptu ſedes, venere frequentes
Egregii juvenes, præclaræ laudis egentes.
Et nunc Leucoreas illuſtris *Julia* nymfas,
(Sic placuit Phœbo collatos propter honores
Principis excelſi de nomine ſumere nomen,)
Najades & Rheni, nataſque binominis Iſtri
Provocat, & Solymæ & doctis contendit Athenis.
Vix ſextus plenis effluxit menſibus annus,
Interea quoties teneræ data laurea pubi
Longa referre mora eſt: vidi & vidiſſe fatebor,
Inſignes virtute viros, ſeu jura profeſſos,
Seu medicas artes deluſa morte ſuperbas,
Sive ſacram Sophiam patefactaque dogmata cœlo,
Dulciter ambitæ veniſſe ad præmia laudis.
Nunc quoque purpureæ dulci pro tegmine mitræ,
Exigui numero juvenes, lectiſſima corda,
Adſunt optatæque petunt inſignia palmæ.
Felices animæ, potuit quæ maxima virtus
Eſſe, fuit, ſtudiis jam non indebita veſtris
Poſcitis, hoc virtus meruit, meruere labores.

Quare

Quare agite, ut lætæ percellant gaudia mentes
Altius, hos ritus, & quæ ſolennia præſes
HORSTIUS, ingenii quem dives acumen, & artis
Copia, Neſtoreæque decens facundia linguæ
Evehit ad ſuperos; cathedra ſublimis ab alta
Expediet, vigili mecum perpendite mente
Signorumque notas obſcuraque diſcite ſenſa.
Principio Cathedram, ſuggeſtaque ſancta ſeveræ
Scandite juſtitiæ, jam vobis facta docendi
Copia; ſolerti quicquid mens impigra nixu
Hactenus addidicit, patefactis ordine rivis
Effluat, & latos fœcundet pinguiter agros.
Clauſa manu dextra tractate VOLUMINA; recte
Qui ſua perdidicit, percepta docere laborat,
Ferrè homines nihil attonitus, penitusque repoſtos
Promit honoratos de fundo divite fructus.
Ne tamen ignarum ſtultis affectibus error
Devius abducat, non cognita ſtrenuus haurit,
Nocturnaque manu libros verſatque diurna.
Nec pudeat Tyrio fulgentem murice MITRAM
Aureolis geſtare comis; hoc, ſana vetuſtas,
Indice, doctores vili diſcernere vulgo
Suevit, & oblatæ committere munia ſpartæ.
Dumque datur capiti, capitum fulcire ſalutem
Admonet, inſontes tegere, & damnare protervos.
Atque ut cara ſuo ſociatur ſponſa marito,
Sic vobis datur alma Themis, ne differat ardor
Veſter, ab illius deſumto moribus uſum.
ANNULUS id monſtrat, roſeis porrectaque malis.
OSCULA, quid gemmis? quid claro purius auro?
Suavius aut labris adamatæ virginis? eſto
Par amor in vobis, retinendæ curaque pacis:
Par animi facies, non ulli ſubjuga labi.
Sic erit, ut doctas qui nutrit & adjuvat artes,
Promeritis reddatur honos, opulentaque merces.
Otia tranquillæ pariat gratiſſima vitæ.

FINIS.

ORATIO

de origine, dignitate & officio

CANCELLARIORVM
ACADEMICORVM,

Anno M.DC.XII. XVII. Kal. Quintilis

habita in illuſtri Julia

ab

HENRICO MEIBOMIO,

Erudi-

Eruditione, virtute, & fide præſtanti Viro,

THEODORO BLOCCIO,

Sereniſſimi Brunſuicenſium Ducis Secretario, amico meo.

PLurium nunc annorum eſt familiaritas & neceſsitudo noſtra, BLOCCI ſuaviſsime, nata in hoc litteratorum Gymnaſio Iulio, in quo ego jam annos triginta duos publice doceo: tu ibidem ſtudia, alibi feliciter cœpta, continuare, & finire quodammodo voluiſti. Dedimus autem utrinque hactenus operam, ut conjunctio illa animorum noſtrorum mutuis indies officiis confirmaretur, adeoque incrementi aliquid acciperet. In qua honeſta contentione, ne inferior te videar, imo ut aliis quanti à me ſias cognitum faciam, hanc meam oratiunculam tuo nomini inſcriptam dias in luminis oras extrudere volui. Placuit cum recitaretur: neque ab uno interea, ſed à multis efflagitata fuit: quin tu igitur eam, quippe quæ ab amico proficiſcatur, approbaturus ſis, nihil equidem dubitabo. Habe igitur hoc amoris mei erga te pignus, quantumque potes meis laboribus & ſtudiis fave ac commoda. Vale. Dabam Helmæſtadii Kalend. April. Anno 1615.

Tui ſtudioſiſſ.

Henricus Meibomius.

ORATIO

De Origine & officio Cancellariorum Academicorum.

ANni ſunt hodie plus minus octingenti triginta, cùm *Karolus*, ejus nominis primus, Occidentis Imperator, bello Saxonico, diuturno illo & gravi, quodque inter Francos & Saxones æquali animorum contentione, fortunâ diſpari, eventu auſpicato, geſtum eſt, feliciter & ex animi ſententiâ confecto, in florentiſſimis hiſce utriusque Saxoniæ, Cis & Trans-Veſeranæ, provinciis, Chriſtianiſmum plantare cæpit.

Quanquam enim multò antè ejus in Saxoniâ fundamenta jacta fuiſſent per *Ægiſtum*, qui ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti fuiſſe, & cum *Mariano* Diacono à Saxonibus, quibus Evangelium de filio Dei annunciabat, capite truncatus, & Bardevici ſepulturæ traditus ſcribitur: pertinaciâ tamen & obſtinatione gentis barbaræ, religionem, uti volebant, novitiam, planèque rationi contrariam averſantis, continuis etiam atrocibusquè vicinorum populorum, ſuæ non minus Idolomaniæ & ſuperſtitioni inhærentium, impreſſionibus factum eſt, ut religioſa iſta ſementis in herbâ, quod dicitur, ſuffocata fuerit. Nec *Ewaldis* duobus, ex ſanguine Saxonico in Angliâ natis; quorum alter Nigri, alter Albi, propter capillorum colorem, cognomen habuit, ea fuit felicitas, ut apud transmarinos populares doctrinam Chriſti propagare poſſent: cæſi enim ſunt ambo in agro Hojenſi non procul â Viſurgi: humati Coloniæ Agrippinæ.

Notus præterea Divi *Bonifacii* itidem Saxo-britanni Apoſtolatus: ſed qui intra Friſiorum, Thuringorumque fines ſeſe continens in Saxonibus parum, aut nihil, potuerit. Reſervabant nimirum fata Karolo, quem dixi, Francici generis principi pientiſſimo, incomparabilem hanc gloriam, ut Saxonum gentem, tentatam pluribus domitam nulli, omnisque externi juris & imperii impatientem, non bellis, (quoniam fruſtra id eſſet,) ſed humanitate, manſuetudine, beneficentiâ & liberalitate, ad lene placidumque Chriſti redemtoris jugum adduceret. In quo negocio, atque pio ac glorioſo, eum ſane ſe exhibuit, ut cum præſtantiſſimis veritatis Evangelicæ vindicibus, ac militantis Eccleſiæ nutritiis liberaliſſimis, Conſtantino, ac Theodoſio, addo etiam Joſaphato & Ezechiâ comparari poſſit.

Etenim cùm pro heroicâ incredibilique ſapientiâ ſuâ facilè proſpiceret, religionem Chriſtianam, nec rite rectèque doceri, neque feliciter fideliterque propagari poſſe, niſi ſcholæ docentium ac diſcentium magno numero paſſim & in totâ regione inſtituerentur, annuisque proventibus, unde honeſtè ſe alerent, donarentur: utrumque negocium magnâ ſolicitudine ac largitate procuravit, expedivit. Inſtituit per porrectam latamque provinciam eccleſias, ut vetuſtas locuta eſt, *Cathedrales*: in quibus ex cathedrâ verbum Dei, ac proximè & ſecundùm illud artes liberales linguæque primariæ, Hebræa, videlicet, Græca & Latina, in ipsâ cruce filii Dei ſanctificatæ, aſſiduè & ſine intermiſſione ab idoneis magiſtris proponerentur. Addidit *Canonicos*, hoc eſt, canonicæ ſcripturæ interpretes, non paucos: quibus omnibus præfecit certos inſpectores, tùm laborum moderatores, tùm morum cenſores. Erant hi *Præpoſitus*, *Decanus*, *Scholaſticus*, *Cantor*, aliique: ſinguli munere aliquo peculiari honoratoque illuſtres, apud omnes auctoritate venerabiles. Omnibus hiſce eminentior univerſo collegio præerat *Epiſcopus*, & doctrinâ, & vitæ ſanctimoniâ præ aliis inſignis.

Secundum iſtas cathedrales eccleſias idem Imperator inſtituit *monaſteria*, ſive *cœnobia*: quæ tum temporis nihil erant aliud, quàm phrontiſteria, lauræ & aſceteria, ut veteres nominarunt: videlicet loca ſacra, in quibus præter continua pietatis exercitia, juventus veram de Deo doctrinam, ſimulq; artes & linguas neceſſarias quotidie addiſceret, ſeque ad operam communi patriæ utiliter navandam parationem promtioremque redderet.

Hac ratione optimus ſapientiſſimusque Heros veræ fidei propagationi, regnique Chriſti amplificationi rectè conſuli perſuaſum habebat: neque opinione ſuâ falſus eſt. Per hæc enim media abolitus paullatim paganiſmus; emollita gens hacte-

nus

nis intractabilis & effera: barbarie ſublatâ introducta humanitas: & quæ rei caput inſtarque omnium eſt, ſtabilita confirmataque vera & ſincera religio.

Verùm cùm in rebus humanis nihil ſit firmum ac perpetuum, omniaque ſatis in pejus ruant, & retrò ſublapſa ferantur, etiam hoc admodum ſapiens maturumque pientiſſimi Imperatoris inſtitutum, pari ſtudio honeſtâque æmulatione ab aliis Deum verè & ex animo timentibus Regibus, Principibus ac Dynaſtis continuatum, à primitivâ origine peſſime degeneravit. Etenim, ut de Epiſcopis nihil nunc dicam, Canonici, quos dixi, immodicâ piorum magiſtratuum largitate ſupra modum locupletati, officium docendi, viſitandi, commentandique, cui ſe ſeriò adſtrinxerant, primùm tanquam humile nimis negligere, ac faſtidire: deinde velut abjectum ſordidumque palàm averſari cœperunt, ſolis contenti horis canonicis: quarum paullo pòſt pertæſi vicarios & chorales ſibi ſurrogarunt. Nec diſpar de monachis, Benedictinis præſertim (ſiquidem hi penè ſoli regnum tenere viſi) eventus reperitur. Unde factum, ut religionem invaſerit teterrimum chaos ſuperſtitionum & corruptelarum: litteras & artes deteſtanda & profligata barbaries: linguæ Hebræa & Græca conticuerint planè: Latina ſupra modum fidemque ſordidata fuerit, polluta & inquinata.

Actum igitur erat de religione: actum de litterarum ſtudiis, linguis, diſciplinis. Mendicantes quidem monachi, (quamvis doctrinæ cœleſtis interitum fatalem ſuſque deque haberent,) ſcholis inſtitutis ad ſtudia, qualiacunque ea eſſent, retinenda & conſervanda longè poſt animum intendebant: ſed quòd *opera operata*, quæ vocantur, ipſos cotidie diſtinerent; præterea omnis ſegnitiei monaſticæ origo & fomes Franciſci Aſſiſiatis, nudipedum patriarchæ, Canon, qui talis eſt: *Neſcientes non curent litteras diſcere*, accederet, eorum etiam conatus infelices nulliusque fuere fructus.

Quia verò nec mundus ſine Sole eſſe, neque Eccleſia ſine ſcholis (cùm alterius altera res opem poſcat adeoque inter ſe amicè conjurent) conſiſtere, nedum vigere & florere poſſit: idcirco pii Imperatores. Reges & Principes, rerum iſtarum intelligentes, de ſtudiis litterarum penè profligatis in Germaniâ retinendis reſtituendisque regali faſtigio heroicisque animis dignam curam ſuſceperunt. *Lotharium* Saxonem Auguſtum regni brevitas excluſit, etſi juris Romani reſtitutionem, tam cathedræ, quàm dicaſteria ei ſe debere hactenus crediderint. *Friderico Barbaroſſæ*, principi magnanimo & intelligenti, Pontificum Romanorum furiæ plusquam immanes, pacem, ejusquè fructum, litterarum videlicet patrocinium & promotionem inviderunt. *Fridericus Secundus*, primi nepos excelſo providoque animo, quod pernecesſarium maximè arbitratus eſt, feliciter effectum dedit. Primam enim ſcholam univerſalem, ſive academiam in Germaniâ inſtituit Viennæ ad Danubium: & quidem exemplo Karoli magni: qui in Galliis Pariſienſem: in Italiâ Ticinenſem condidit academiam; Bononienſem collapſam inſtauravit.

Facto ad eum modum feliciter initio, litteræ earumque cultores alibi etiam invenere hoſpitia, patronos & nutritores. Nam Viennenſem ſcholam excepere Pragenſis in antiquâ Bojorum patria: Heidelbergenſis ad Nicrum: Colonienſis in Ubiis ad Rhenum: Erfordienſis in Thuringiâ. De reliquis nihil dicam: cùm tempus id non patiatur, nec in vobis ſit qui hæc ignoret, vel aliunde commodiùs ſcire non poſſit.

Hiſce verò ſcholis regiis, quas à Platonis officinâ litterariâ conſtanter Academias appellamus, proximè & ſecundum *Rectorem*, ſummum & auguſtum totius litterati cœtus caput, datus tum eſt inſpector, ἐργοδιώκτης & cenſor perpetuus: cujus munus erat, dare operam, ne contra leges & ſtatuta vel minimum committeretur, ſed omnia ſecundum regulam Paullinam εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν decenter & ordine peragerentur. Dicebatur ille *Cancellarius*, vocabulo, nec nupero nec tamen admodum veteri: quod primus, niſi fallor, uſurpavit Flavius Vopiſcus in vitâ Carini Imper. De vocis ipſius exilitate, rei amplitudinem nequaquam exprimente, exſtat epiſtola excellentiſſimi Juriſconſulti & Anteceſſoris Joannis Oldendorpii, ad quam lectorem remitto.

Verum quia munus illud academicum, de quo dixi, erat perarduum invidiæq; obnoxium,

noxium, Pontifice Romano, cujus tum abſoluta erat poteſtas, ſanciente, commendatum eſt perſonis Eccleſiaſticis, iisque in aliquo eminentiori magisque conſpicuo dignitatis ac honoris faſtigio conſtitutis. Sic Colonienſi academiæ datus eſt Cancellarius Epiſcopus Cyrenenſis, ſuffraganeus ſive Vicarius eccleſiaſticus Ubiorum archiantiſtitis: Heidelbergenſis accepit Cancellarium Præpoſitum Wormatienſem: Tubingenſis itidem Præpoſitum collegii ejus loci: W[illegible]enſis Præceptorem [illegible]mus Pretinenſis S. Antonii prope Lichtenbergam ad Al[illegible]. Reliquæ ut plurimum Epiſcopos habuere Cancellarios: Lipſenſis Merſepurgen[illegible]: Roſtochiana Suerinenſem: Griphſwaldenſis Caminenſem: Francofordiana Lebuſienſem: Ingolſtadiana Eichſtadenſem: Baſilienſis ejus loci Antiſtitem.

Cumque paulo antè, imperante Lothario Saxone, vel circa ipſum tempus [illegible]tutarum in Germania Academiarum, maturo & prudenti conſilio introductus [illegible]mos tribuendi publica exploratæ eruditionis vitæque cognitæ teſtimonia, puta grad[illegible] Docturæ, Magiſterii & Baccalaureatus, idque in omnibus facultatibus, Theologica, Juridica, Medica & Philoſophica, Cancellarii Academici officium cumprimis hoc e[illegible]rat, providere & operam dare, ne ampliſſimi iſti honores ac dignitates hominibus traderentur indignis, atque per eam ſive negligentem incuriam, ſive temerariam audaciam homines inepti, rudes ac ſtolidi, docendi cauſſa in cathedras publicas proſilirent. Unde non licebat Decanis ſive promotoribus, memoratos illos honorum gradus, ceu virtutis & doctrinæ auctoramenta, Candidatis, quamvis privatim publiceque rigoroſe examinatis, ſolenniter impertiri & tribuere: niſi Cancellarii de [illegible]ulorum natalibus, vita anteacta, moribusque, & matura eruditione ſufficienter ed[illegible] auctoritas accederet & conſenſus, isque palam declaratus, auditusque. Quæ res, ut ordinis Scholaſtici dignitatem & exiſtimationem mirifice auxit, ita fructu emolumentoque neutiquam caruit.

Illuſtrem hanc Juliam Academiam cum ante annos ſex & triginta Divus *Julius*, Brunſuicenſium & Lunæburgenſium Dux sereniſſimus (impetratis prius, à Cæſarea Majeſtate, Maximiliano ſecundo, privilegiis ampliſſimis: ab ordinibus Ducatus [illegible] ad alendos profeſſores cenſu dotali peramplo) ſolemnibus ceremoniis pompaque illuſtri in hanc urbem introduxiſſet, traditoque Prorectori deſignato diplomate Auguſtali ac donationem litteris plene confirmaſſet, munus ſive officium Cancellarii ſibi ſuisque poſteris ac ſucceſſoribus integrum reſervavit. Norat optimus, rerumque gerendarum ſcientiſſimus Princeps, quid ante annos circiter quadraginta apud S[illegible]os in illuſtriſſimorum *Wirtenbergenſium* Ducum (unde ei materna origo [illegible]) Tubingenſi eveniſſet. Quæ cum Pontificiis ſuperſtitionibus profligatis ver[illegible] Deo fidem profeſſa eſſet, Cancellarium ſuum, quem Præpoſitum ejus loci [illegible]mus, religioni à majoribus acceptæ pertinaciter inhærentem, offendit gra[illegible]e. Qui urbe excedens furibundus collegiis profitentium facultatem optimarum ar[illegible] & diſciplinarum, poteſtatem, ut meritis conferrent honores & concederent titulos dignitatum ſcholaſticarum, indulgere obſtinate recuſabat. Nec patiebatur ſe mitigari, quamvis præcipui ad eum ex Academia miſſi, & agerent negocium cum reverentia perſonæ ipſius debita humaniſſime, & nihil proficientes teſtati de jure Acad[illegible] diſcederent. Prætendebatur autem in negando mutatio ſtatus Eccleſiaſtici & P[illegible]ci, quem ſine Romani Pontificis permiſſione & venia approbare adjuvareque ſ[illegible]nime licere ille affirmabat. Conſulti ſuper hoc negotio eruditi quique per Germaniam, & inter hos Philippus Melanthon, cujus tum temporis ea per univerſam Germaniam erat auctoritas, ut omnes Scholæ οἰκουμενικὸν διδάσκαλον agnoſcerent. Qui quid reſponderit conſulueritque, docet ejus de hoc negocio Epiſtola ad Tubingenſes, quæ extat: docet narratio hiſtorica Joachimi Camerari de vita Melanthonis.

Commendavit autem Divus Julius fundator novæ Academiæ (quam Cæſarea majeſtate clementiſſime approbante de ſuo nomine *Juliam* appellari voluit) munus Cancellarii Academici filio primogenito Henrico Julio, deſignato Epiſcopo Halberſtadenſi: ut, qui de ejusdem magni Imperatoris prolixa voluntate faſces Scholaſticos, ſive Rectoratum, primus meruiſſet, is officium hoc, altero non inferius, ſed æque ſplendidum auguſtumque, pari dexteritate fideque adminiſtraret.

Qui vero cum laude clementiæ, humanitatis ac beneficentiæ hanc ſuam ſpartam,

tam-

tanquam felix ſubſecuturæ gubernationis tyroncinium, ejus Excelſitas obierit, teſtes plerique noſtrum eſſe poſſumus.

Vidimus optimum Principem annum ætatis duodecimum complentem, poſtridie Introductionis Academiæ patriæ, Facultatis Philoſophicæ: biennio poſt Collegii Theologici, Decanis ſpectabilibus, habitis elegantibus ac cæleſti illo, annisq; ſuis velociore ingenio dignis, orationibus, Candidatis honores petitos conferendi poteſtatem publice conceſſiſſe: atque hæc vivo conſcioque parente illuſtriſſimo. Poſt cujus beatum ex hac vita in cœleſtem aulam exceſſum, cum moles gubernationis ampliſſimæ regionis ad ipſius Excelſitatem devoluta eſſet, quoties de hujusmodi promotionibus (ſic enim vulgo loquimur) Scholaſticis (quarum elapſis *triginta ſex* annis in ſuperioribus tribus facultatibus *duodequadraginta*: in Philoſophica reliquarum baſi *triginta ſeptem*, Deo optimo maximo labores noſtros felicitante, celebravimus) Excelſitas ejus per litteras ſubmiſſe debitaque cum reverentia edocta fuit, divinum iſtum Principem panegyres noſtras Julias ſingulari clementia, pronoque favore & reſpectu plane propitio, dignatum proſecutumque grato animo meminimus, prædicamus, μεγάλῃ χάριτι αὐτοῦ.

Ad præſentem hunc actum quod attinet, cum per reſcriptum aulicum vices Magnificentiſſimi hujus Cancellarii, Domini Henrici Julii, Epiſcopi Halberſtadenſis, Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, nutritoris & Euergetæ noſtri clementiſſimi, hodie mihi demandatæ ſint, tuque vir ſpectabilis, clariſſime & præſtantiſſime, Decane ac promotor digniſſime, compater & collega plurimum colende, meam opem & operam in hoc honeſtiſſimo tuo candidatorumque tuorum negocio communi nomine implores, equidem non video cur vobis refrager, cur quod petitis abnegem. Novi horum quos nobis nunc ſiſtis, Candidatorum vitam & mores: eruditionem, qua pollent, in utroque examine, tam publico quam privato, cum collegis exploravi, omnique favore ac benevolentia dignam cenſui. Multus eſſe non debeo, neque volo; hoc ſaltim dico: gratulari me Academiæ: prædicare benedictionem divinam: gaudere mihi ex animo. De tua etiam, ſpectabilis & clariſſime vir, in toto hoc negocio fide & integritate, ſi opus eſſet, teſtimonium perhibere poſſem ſane luculentum.

Pro ea igitur auctoritate, qua indultu Cæſareo & Ducali in præſentia fungor, tibi ſpectabilis Domine Decane, promotor digniſſime, poteſtatem facio hiſce quindecim honeſtisſimis doctiſſimisque viris tribuendi gradum & inſignia Magiſterii ac Doctoræ in artibus & Philoſophia: conferendi etiam omnia & ſingula privilegia, indulta & immunitates, quas facer ordo noſter ab auguſtisſimis Cæſaribus, regibus potentiſſimis, ſummisque principibus virtute & meritis ſuis obtinuit.

Filius Dei & Mariæ unigenitus, Chriſtus Jeſus, coæterni Patris ſapientia & interpres, qui anno ætatis ſuæ duodecimo in templo Hieroſolymitano, ἐν μέσῳ διδασκάλων ἀκούων αὐτῶν καὶ ἐπερωτῶν αὐτούς, in medio magiſtrorum, eos audiens & interrogans, omnibus acumen ejus & interrogationes ſtupentibus, conſpici: atque hoc modo ordinem, tam docentium, quam diſcentium, laboresque ſcholaſticos & exercitia univerſa, ſanctificare non dedignatus eſt: hactenus etiam contra pernicioſos Diaboli, ejusque ſatellitum, hominum fanaticorum & agreſtium, violentas fraudulentasque molitiones, Academias & ſcholas bene conſtitutas, clementi ſua tutela ac patrocinio conſervavit, atque etiamnum conſervat hodie: ille idem hanc Sareptam Juliam, Spiritus ſancti officinam, omniumque virtutum ac doctrinarum palæſtram, clementiſſime tueatur ac defendat: ſereniſſimum etiam Nutritium noſtrum, cum regia conjuge, liberisque generoſiſſimis, benigne protegat: pacem & tranquillitatem beatiſſimis hiſce Saxoniæ inferioris regionibus miſericorditer indulgeat: labores & conatus noſtros ita felicitet, regat ac fortunet, ut nunquam non ipſi grata, Eccleſiæ vero & Reipublicæ grata dicamus & ſalutaria.

DIXI.

HENRICUS MEIBOMIUS
Junior
LECTORI S.

Libet nunc adjicere prioribus Hiſtoricis diſſertationibus Chronica quædam Monaſteriorum Saxoniæ noſtræ, & quidem hujus viciniæ, quæ Avus meus non parvo labore conſcripſit, & in iis non ſolum Monaſteriorum hiſtoriam, & Abbatum ſucceſſionem, ſed ſimul totius viciniæ res memorabiles juxta annorum ſeriem expoſuit, & Illuſtrium familiarum origines, & ex antiquis tabulis deductiones adjecit: unde factum, ut avide non ſolum à vicinis, ſed remotioribus quoque expetita promptè venderentur, & nusquam amplius exemplaria comparerent, quamvis Riddageshuſanum Chronicon jam bis editum, nova ſemper acceſſione locupletatum. Eſt autem illud modo memoratum ſolum ab ipſo Avo meo publicatum, reliqua poſtuma ſunt, nec proinde ab ipſo parem limam acceperunt. Marienthalenſe pater meus eximio Polyhiſtori & in Acad. Julia celeberrimo Profeſſori *Chriſtophoro Schradero* edendum dedit, anno quinquageſimo primo hujus ſeculi, cujus etiam ex illa editione præfationem, & duorum Abbatum hiſtoriam adjeci. Bergenſe ipſe edidi. Sunt autem omnia in hac editione non paucis acceſſionibus aucta. Vale.

HEN-

HENRICI MEIBOMII
CHRONICON
MARIENTHA-
LENSE.

HENRICI MEIBOMII
CHRONICON MARIEN-THALENSE.

Monaſterium Vallis Mariæ diſtat dimidio milliari ab Helmſtadio, urbe antiquiſſima, Academiæ Juliæ ſede, ſitum in valle amœniſſimâ, fontibus & piſcinis irriguâ. Hujusmodi enim locis delectatum fuiſſe Divum Bernhardum, ejusque ſectatores, quemadmodum contrà Benedictus colles amarit, indicat Gaſpar Bruſchius Poëta & hiſtoricus iſtis verbis:

Semper enim valles ſilveſtribus undique cinctas
Arboribus Divus Bernhardus amabat, & urbes
Et fluvios: juga ſed Benedictus amabat, & arces
Cœlo ſurgentes: è quorum vertice latè
Proſpectus petitur ——————

De hujus celebris & antiqui monaſterii conditore, fundationisquè tempore explicat pervetus membrana quam integram adſcribam, adjectisque notis quibusdam illuſtriorem reddam. *Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIIX. præſidente in Apoſtolicâ ſede Innocentio Papâ, regnante quoq; rege Conrado, nec non Rudolfo in Halverſtad exiſtente Epiſcopo, fundatus eſt locus iſte, qui vocatur Vallis-Sanctæ-Mariæ, à Venerabili Friderico Palatii Comite, piæ memoriæ, Domino Bodone tunc exiſtente Abbate, in honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, beatiſſimæ genetricis Dei & virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Jacobi, ac beati Stephani protomartyris: quorum meritis ac precibus tribuere dignetur Dominus, omnibus in eo habitantibus præſentis vitæ tranquillitatem, & æternæ beatitudinem, omnibusq; benefactoribus noſtris æterna præmia reſtituat, & de cætero omnium circa indigentiam noſtram bonam voluntatem adaugeat.* Hactenus membrana.

De Pontifice Innocentio & Conrado Imp. non eſt neceſſe ut aliquid dicamus. Epiſcopi Rudolphi facienda eſt mentio. Is poſt depoſitum Ottonem, quod anno MCXXXV. factum, Halberſtadenſi cathedræ Epiſcopus datus eſt: atque hoc tempore tertium in iſto munere agebat annum. Vidi ejus litteras non paucas, quæ omnes Viri optimi animum humilem & demiſſum arguunt. Libet adjicere initium unius inſtrumenti donationis: *Ego Rudolphus Sanctæ Halverſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus licet indignus, tamen ſecundum diſpenſationem à Deo mihi creditam, ſolâ hac illius gratiâ operante ſum quod ſum.* In aliis literis non minus eſt humilis & modeſtus. Obiit Anno MCXLIX, cum XIV. annis Epiſcopæ utiliter præfuiſſet.

De fundatore Mariæ-Vallis neceſſe eſt ut prolixior ſim: quâ in re apud eruditos facile merebor veniam: cum hoc genus hiſtoriæ, τὸ γενεαλογικὸν, tam ſit utile ac neceſſarium, quàm difficile, perplexum & involutum eſt.

Quemadmodum reliquæ Germanici Imperii provinciæ, ita etiam Saxonia ſuos habuit *Palatinatus*, & *Palatinos Comites*. Auctor Speculi Saxon. libro III. articulo LXII. quinque nominat his verbis: *Quinque civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur: in quibus Rex legitimè debet curiis præeſſe. Prima dicitur Grona: Werlitz ſecunda, quæ modo in Goslariam translata eſt: Walhauſen tertia: Alſtede quarta: Quinta Merſeburg nominatur.* Hæc auctor Speculi. Conſtat tamen plures iſtis nominari, quod inde ortum colligo, quod dignitates, omniaque munera publica, antiquitus non fuerunt hereditaria, ſed ad alias ſubinde familias pro libitu Imperatorum devoluta ſunt. Tempore Henricorum Cæſarum floruit illuſtris *Palatinorum Saxoniæ* familia deſcendens ex perantiqua *Comitum Wetinenſium* proſapia: de quibus conſulatur appendix è Chronico Gozecenſi, Hiſtoriæ Widechindi Corbejenſis à Reinero Reineccio V. Cl. amico noſtro, adjuncta. Ex his Palatinis *Fridericus* ejus nominis quartus à *Friderico Comite Summerſeburgio* Palatinatus Saxoniæ dignitate ſpoliatus eſt. Erat Summerſeburgius Palatino proximâ affinitate

junctus,

junctus, ſed quod infantis ætatem teneram deſpiceret, gratiâque apud Cæſarem valeret, dignitatem iſtam ſuæ familiæ vendicare ſategit. *Summerſeburgum* arx, ſita milliari ab Helmſtadio, in edito colle ad latus nemoris frondoſi juxta & opaci, ſuperiorum ætatum bellis non ſemel funditus exciſa, ſemper tamen reſtituta, adhuc hodie ædificiis magnificis conſpicua eſt. Errat igitur Georg. Fabricius, qui Chronicon Miſnenſe ſecutus, à Reineccio editum, affirmat, Summerſeburgi nomen cum ruinis intercidiſſe, & ſolam hodie extare loci memoriam, *Origin. Saxon. lib. I*

Ex Comitibus Summerſeburgiis nominantur *Erkenbaldus* & *Barwardus*, quorum ille Moguntiæ Archiepiſcopum, hic Hildeſiæ Antiſtitem egit, uterque ob tanti honoris & dignitatis faſtigio dignas convenientesque virtutes longè celeberrimus: de quibus cognoſcendi, qui utriusquè diœceſis annales perſcripſerunt. Nos de hac familiâ pro re natâ aliquid dicturi initium faciemus ab *Alberto* Dynaſta, ſive Comite Summerſeburgio, *Friderici* Palatini parente, deque eo, poſterisque ipſius, quæ ex fide hiſtoriarum, diplomatum, aliisque id generis monumentis excerpere potuimus, ordine recenſebimus.

Priusquam autem id fiat, præmittemus locum Aventini de Officio Palatini Principis perſpicuè & eruditè diſſerentis. Is exſtat lib. IV. Annal. Bojorum his verbis: *Palatinus Vicem Cæſaris præſidendo ſenatui Principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusq; reddebat, fiſcum Auguſti, prædia ſalica, reditus regios procurabat: Cæſarum cenſum exigebat. Nil citra ejus auctoritatem dici, aut decernere aut ſtatuere licebat.* Hactenus Aventinus.

Nunc venio ad Albertum Summerſeburgium. Is quibus parentibus natus ſit ignoratur, amplam poſſediſſe ditionem manifeſtum eſt. Vixit aliquamdiu in aula Henrici IV. Imp. & quidem eo tempore, quo luxuriante & laſciviente Cæſare adoleſcente ſumma rei erat penes Adelbertum Archiepiſcopum Bremenſem, hominem veteris proſapiæ & multarum imaginum, nec minus doctum, ſed impensè arrogantem & ambitioſum. Cui cum familiarior factus eſſet, Summerſeburgius ſororem ejus Odam promeruit. Hæc à Paulo Langio in Chronico Citizenſi *Uda*: à Georgio Fabricio, neſcio, quam bene, *Hilaria* nominatur, celebris propter ſummam integritatem & innocentiam. Alberto Summerſeburgio veteres annales Miſnenſes MS. tribuunt cognomentum *Seveke*, quod unde natum ſit neſcio: Saxonica lingua *parvum cribrum* ſignificat. Ad ſylvam Herciniam fuit olim arx *Sevekenborg*, forte ab hoc Palatino condita. Ejus meminit Auctor vitæ Alberti Epiſcopi Halberſtadenſis, Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis. Ex his conjugibus natus eſt *Fridericus Summerſeburgius*, qui primus dignitatem Palatinam, Friderico ex Palatinis Saxoniæ Wetinenſis familiæ oriundo, ereptam, ſibi vendicavit. Cognominatur *Senior* in appendice Chronici Lauterbergenſis & Annalibus Miſnenſibus, quos codices MSS. habemus beneficio Marquardi Freheri nobiliſſimi juxta & doctiſſimi viri.

De rebus geſtis Friderici hoc refert Chronicon Pegavienſe, quod ab Henrico V. dignitate privatus, eidemque rebellare compulſus ſit. Imperator ille una cum regno, per vim & ſacrilegium Parenti erepto, odium adverſus Saxones aſſumſit eosque *cenſu inaudito*, ut Annales loquuntur, *vehementer infeſtabat*. Principes onerum iſtorum impatientes de libertate avitâ defendendâ ſolliciti erant: quos ille omnes dignitatibus privabat, aliis in locum eorum ſubſtitutis. In his erant Reinardus Epiſcopus Halberſtadenſis, Fridericus Palatinus Summerſeburgius, Fridericus Comes Arnsburgius, Rudolphus Marchio Stadenſis. Qui proceres adjuncto ſibi Lothario, nuper dynaſtâ Querfurtenſi, nunc Saxoniæ Duce, & Wiperto Comite Groicenſi, aliisque Dynaſtis ab Imperatore hactenus divexatis, cum eodem ad ſaltum Welfonis conflixerunt, de qua pugna multa apud ſcriptores iſtius ævi. Hoc conſtat ex utraque parte deſiderata multa hominum millia. Acciderunt iſta anno MCXV.

Quando exceſſerit è vivis Fridericus compertum non habeo. Abbas Urſpergenſis, qui à Principibus ad Imperatorem defeciſſe ſcribit, circa annum MCXX obiiſſe vult, & fabulam de ipſo monaſticam addit. Sed adſcribo ejus verba: *His temporibus Fridericus Palatinus Comes, qui nuper ſe à cæteris diſſocians Regis fidelitate devinxerat obiit jam provecta ætate: & ut cuidam ſervo Dei evidenter revelatum affir-*

mant, ad loca pœnalia fertur deſcendiſſe. In Matrimonio ejus fuit *Mechtildis* filia *Thebergæ*, cujus epitaphium ſaxo inciſum in choro templi cœnobii Hamerslebienſis, quod anno MCVIII condidiſſe legitur, adhuc hodie cernitur. Liberos hi conjuges reliquerunt *Fridericum juniorem* & tres filias *Albeidin*, & *Juditham* & *Agnen*: de quibus primo loco dicam, deinde Friderici hiſtoriam perſecuturus.

Albeidis nupſit Goſwino comitatus Heinsbergii in agro Juliacenſi dynaſtæ præpotenti, eique peperit *Salomen* nuptam Burchardo Comiti Daſſilienſi; *Philippum* archiantiſtitem Colonienſem, adverſarium Henrici Leonis; *Mechtildin* conjugem Dedonis Craſſi comitis Rochlicenſis; & *Godfridum* comitatus Hinsburgenſis heredem.

Juditha accepit maritum *Ludovicum* Comitem Aldenhuſanum.

Agnes ducta eſt à *Conrado*, Theodorici comitis Plocenſis F. Marchione Brandenburchio, qui in itinere Romano ſagitta ictus periit anno MCLII, Friderico II. imperante.

Redeamus nunc ad *Fridericum Palatinum juniorem*, ſic nominatur enim à Reinardo Epiſcopo Halberſtadenſi in literis datis anno MCXXI. Ab illo, quem diximus, Epiſcopo Fridericus conſtitutus eſt Advocatus cœnobii S. Laurentiani propè Schoningam: quod idem Antiſtes ejectis monialibus (*quæ*, ut ipſe in literis fundationis loquitur *inutiliter ac ſine fructu ſanctæ religionis, omnisque boneſtatis dies ſuos deducebant*) Auguſtinianis regularibus, Thietmaro Præpoſito conſtituto, inhabitandum dedit anno MCXX. Fridericus idem jus Advocatiæ habuit in monaſterium San-Ludgerianum, Helmeſtadio verſus orientem contiguum, ut didici ex literis Lamberti à Gennep, Abbatis Werdinenſis ac Helmeſtadienſis. Præterea advocatum egit idem illuſtris collegii Quedlingeburgenſis, affirmante id Ulrico Epiſcopo Halberſtadenſi in literis anno MCLI. datis.

De iſtis *Advocatis* quorum frequentiſſima eſt mentio in hiſtoriis epiſcopatuum & monaſteriorum veterum, ut ſubjungam aliquid, non abs re forte puto.

Sancitum ſæpe fuit in conciliis de monaſtici ordinis hominibus, ne ſe mundanis, vel ſecularibus negociis immiſcerent, nec ea quæ mundi ſunt tractarent: *ne dum cognoverint inferiora bona diſponere, non valerent ſuperioribus bonis deſervire*, ut utar verbis Gregorii M. Cum vero monaſteriis ex liberalitate Principum ſæpenumero territoria ampla cum oppidis, pagis, præfecturis, villis, paſcuis, vineis, piſcinis, nemoribus, cum omnibus ſimul juribus & privilegiis tam civilibus quam Eccleſiaſticis donarentur, ne cogerentur ob hanc cauſſam Abbates & monachi ſecularia negocia omiſſis ſpiritualibus tractare, juſſi ſunt ab Imperatoribus & Regibus, Laicos eligere, quibus iſta bona & poſſeſſiones curandas adminiſtrandasque commendarent, ipſi interim piis exercitiis precum & ſtudiorum ſedulo vacantes. Non raro etiam Centauri harpyiæque potentiores Eccleſiaſticis bonis tanquam corvi rapaces inhiantes, ea ſibi vendicabant, inque profanos uſus convertebant, ut inde miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum ratio nulla haberi potuerit.

Ad horum corvorum & Harpyjarum rapacitatem & petulantiam infringendam opus erat Eccleſiis defenſoribus, qui non minus juſti, quam potentes eſſent. Vocati ſunt vulgo hi *Advocati* ſeu *Patroni*, Germanice Kaſtenvogte / Edelvögte oder Schirmherrn: nonnulli appellarunt *Vice-Dominos*, quæ vox mutilata adhuc in uſu eſt, Bitztum.

Sed ad propoſitum. Fridericus Palatinus, anno MCXXIX. teſtis adducitur in diplomate Lotharii Imp. Paullo poſt interfuit celeberrimis iſtis Comitiis, quæ Lotharius Imp. habuit Brunſvigæ in urbe ſua hereditaria, de quibus copioſe Spangenbergius in Chronico Saxonico cap. CCXVII. Comitatus deinde aliquandiu Imperatorem anno MCXXXVI. fuit in Comitiis Merſeburgenſibus, ubi Lotharius fundationem monaſterii Formbachenſis ratam habuit. Altero anno eidem adfuit Bardovici, ibique condito in vicinia novo monaſterio Sigebergenſi, diplomati fundationis teſtis inſertus eſt. Lothario iterum in Italiam eunte ipſe domum rediit, & quidem hoc ipſo anno MCXXXVII. fuit Halberſtadii, ubi Rudolfus Epiſcopus Synodum provincialem celebrabat. Biennio poſt cum Rudolfo ejus nominis ſecundo Marchione Stadenſi, cujus ſororius erat, in agrum Bremenſem cum exercitu profectus eſt: in qua

expe-

expeditione Adalberone archiepiſcopo, qui Romam abierat, abſente, urbs Brema oppugnata, capta & direpta eſt. Anno MCXLV. menſe Julio adfuit Lamberto, Abbati Werdinenſi in monaſterio San-Ludgeriano, fundanti noſocomion, in quo infirmis & ægrotantibus de commodo victu deque cura valetudinis per idoneum peritumque monachum proſpiceretur. Poſt biennium interfuit bello ſacro, quod ſuſceptū eſt contra Slavos religionis Chriſtianæ hoſtes acerrimos. Nomen dedere huic expeditioni Frideric⁹ Magdeburgius, Rudolfus Halberſt. Werner⁹ Monaſterienſis, Wigmannus Naumburgius, Reinardus Merſeburgius, Anshelmus Havelbergenſis, Antiſtites, Wicboldus Abbas Corbeienſis, Henricus Leo Dux Saxoniæ, Conradus Miſnenſis & Albertus Soltwedelenſis, Marchiones, cum multis aliis illuſtribus Dynaſtis. De hoc bello multa apud Helmoldum lib. I. cap. LXIII. & in Chronico San-Petrino ſive Lauterbergenſi ad annum MCXLVII. Redux eodem anno cœnobio San-Laurentiano ad Schöningam dono dedit agri aliquot jugera in pago Watenſtede / cui donationi conſenſit filius *Adelbertus* Anno MCXLIIX. Indict. XII. die Lucæ adfuit ſynodo quæ Halberſtadii habita fuit, præſentibus ibi Sigebodo Ilſenburgenſi, Rotchero de S. Michaële Abbatibus: Henrico Præpoſito, Wichmanno Præpoſito majore, Erpone Decano, Conrado Camerario, Ulrico Vicedomino, Hermanno Cuſtode, Henrico Magiſtro: ex Laicis, Friderico Comite Palatino, Goſwino Comite de Valckenborg, Poppone Comite de Blanckenborg, Ludovvico de Wipper &c. Biennio poſt adfuit Henrico Leoni & Ulrico Epiſcopo Halberſtadenſi, qui in pago Supplingen, prope Supplingeburgum, olim Templariorum, nunc Equitum Rhodiorum domum commendatoriam non ignobilem, congreſſi, de commutatione quorundam agrorum inter prædictum Ulricum Epiſcopum, & Everhardum primum, Abbatem Lutterenſem tractabant. Eodem tempore & loco, diſſidium quoddam Henricus Leo compoſuit, quod ab annis aliquot fuerat inter Fridericum Palatinum, & Bernhardum Vice-dominum Hildeſienſem antiquiſſimâ familiâ natum, opibusque validum. Inveni nonnullos hujus familiæ dynaſtas, quos addam.

Hermannus ſubdiaconus Eccleſiæ Hildeſienſis 1146.

Bernhardus vice dominus Eccleſiæ Hildeſienſis adducitur teſtis à Bartoldo Epiſcopo Hildeſienſi in literis fundationis monaſterii Bacceròdenſis, quod nunc Mariærode dicitur, 1125. In Comitiis Brunſvicenſibus ſub Lothario Cæſare comparuit 1131. Adfuit eidem confirmanti fundationem cœnobii Segebergenſis in Holſatia 1137. vixit adhuc 1146.

Bernhardus junior Vicedominus Hildeſienſis adducitur teſtis in literis Udalrici Epiſcopi Hildeſienſis 1150. Inſtituit ſibi memoriam in templo cathedrali Hildeſienſi tempore Adologi Epiſcopi.

Conradus Comes de Wallele vel Wellede, uxor ejus Adelbeidis 1145.

Adelheit 1185. — Aricherin 1189.

Hæ duæ ſorores, Conradi Comitis filiæ *interpellante matre ipſarum Adelbeida fundum cujusdam ſylvæ penes Helmſtad, & larem unum in Criſpenroth* (retineo verba literarum) *donarunt monaſterio Divæ Mariæ Virginis prope Helmæſtadium anno MCXXCIX.* Monaſterium illud ordinis eſt Divi Auguſtini, conditum, anno MCXXCI, auſpicio Wolframi comitis Kirchbergii, abbatis Werdinenſis, ac Helmæſtadienſis ordine 34.

Verum ad Fridericum redeo: cujus res geſtas plures non invenio: reſtat ut de matrimonio & obitu aliquid adjiciamus. Conjux ei fuit *Luchardis* ſive *Lucardis*, filia Rudolfi I. Marchionis Brandeburgenſis & Stadenſis, Udonis I. Filia, Sigfridi II. Neptis. Ex hac ſuſtulit *Adelbertum* filium, & *Adelbeidin*. Antiſtites ejus temporis matrimonium illud clamitabant illegitimum eſſe, erantque auctores Palatino, ut conjugem dimitteret, quæ propiore ipſi conſanguinitate conjuncta eſſet quam Pontificiæ leges permitterent. Diu agitatum negocium eum tandem finem habuit, ut Palatinus nolens volens conjugem dimittere cogeretur: in quem tamen annum hoc inci-

inciderit, indagare non potui. Nupſit Luchardis deinde Daniæ regi *Erico*, cognomento *Lamb*: eoque ſive mortuo ſive in monaſterium detruſo, (nam annales variant) ducta eſt ab *Hermanno Comite Winceburgio*, viro potente & magnarum divitiarum ut vocat Helmoldus lib. 1. cap. LXXIV. cui peperit tres filias, quarum *una* nupſit Henrico Comiti Suarceburgio, qui poſtea Erfordiæ in latrina foriis ſuffocatus miſerrimè periit: *altera* Magno Burtzio Duci Daniæ, quo excœcato virilibusque orbato, ipſa à mancipio quodam naſo truncata eſt: *tertia* Heilwigis, monialis fuit Gandersheimenſis. Luchardis tandem cum Hermanno Winceburgio marito ſuo interfecta eſt à quodam Equite Suevo, cujus abſentis conjugem formoſam & juvenculam cum per vim ille ſtupraſſet, hic memorabili ad omnem poſteritatem punitæ libidinis exemplo primò adulterum, deinde ejus conjugem, parricidæ cædem mariti ferocius objicientem, vindictamque minitantem, eodem gladio transverberavit. Contigit iſta cædes anno MCLII. ut habent annales Steterburgenſes & Chronicon Lauterbergenſe *III*. Kalend. Febr. Fridericus an matrimonium repetiverit, incertum eſt, ipſe è vita ceſſit anno MCLXII. XIV Kal. Junii, ſepultus in fano Mariævallenſi, in parte inferiori Presbyterii, ſive ut vulgo loqvuntur, chori. Sepulcro inciſa eſt imago ejus imberbis & cataphracta, cui adſcripti hi verſus epitaphii.

Felix ſit, Chriſte, cœli cum civibus iſte,
Vallis fundator Mariæ, virtutis amator,
Prudens, Magnificus, fidusq; Comes Fridericus.

Fuit hic Princeps omni pietatis, juſtitiæ, fortitudinis & manſuetudinis laude excellens, ſtaturâ corporis procerâ & ad majeſtatem compoſitâ: Solo matrimonio infelix, quippe qui conjugem ſummo loco natam, forma & morib. decentem, neque infœcundam, ab importunis ſacrificulis non tam perſuaſus, quam compulſus, invitè repudiarit. Cultus divini incremento quantum ſtuduerit, ſola fundatio Vallis-Mariæ oſtendit, de qua paulo poſt plura nunc de ipſius liberis.

Albertus Sommerſeburgius, patre defuncto Palatinatu potitus eſt, eumque ſummâ cum laude adminiſtravit. Etſi autem Henrico Leoni ſanguine cohæreret, perſuaderi tamen ſibi paſſus eſt, ut cum aliis non paucis principibus arma contra eum ſumeret. Hi erant Wichmannus Magdeburgenſis, Hermannus Hildeſienſis, Epiſcopi, Ludovicus Comes Provincialis Turingiæ, Adelbertus Marchio Soltwedelenſis, Otto Marchio Camburgenſis, Chriſtianus Comes Oldenburglus, & hos omnes potentiâ ſuperans Reinholdus Colonienſis in Ubiis Archiepiſcopus. Spangenbergius refert hæc ad annum MCLXIV. Quid utrinque geſtum ſit, quæ clades datæ & acceptæ, non eſt hujus loci commemorare. Duravit hoc bellum integrum quadriennium, ſopitum tandem auctoritate Friderici I. Imp., qui honeſtis conditionibus propoſitis pacem omnibus reddidit. Rediit igitur Albertus Palatinus cum Leone in gratiam, & ab eo ſemel atque iterum de pace mutuis affinitatibus inter diſſidentes concilianda tractavit, ſed fruſtra. Antequam iſti civili bello adverſus Leonem nomen daret, eodem quem dixi anno, menſe Januario evocatus eſt à Gerone Epiſcopo Halberſtadenſi ad compoſitionem controverſiæ cujusdam inter Hujesburgenſem & Mariæ-vallenſem Abbates jam diu litigantes. Utriusque monaſterii quod advocatus eſſet, lubens comparuit. Verum Epiſcopus alios in conſilium prius adhibitos ſecum habebat, nempe Hermannum Verdenſem Antiſtitem, Baltramum ſummi templi Præpoſitum, Fridericum Decanum: & ex Politicis Adelbertum Wernigerodanum Comitem, Sigfridum & Ludolfum Barones Svanebecios, aliosque ex equeſtri ordine non paucos. Ab his negocium ſine moleſtia compoſitum eſt.

Anno MCLXXVI. fuit in monaſterio San-Ludgeriano accitus eò à Wolframo Abbate Wertinenſi, quod poſt parentem defunctum Advocatus loci eſſet. Abbas ſalutis ſuæ ſatagens in monaſterio Ludgeriano inſtituit, ut die obitus ſui annuatim ſacra nocturna, & diurna ſolenniter fierent, eleemoſynæ diſtribuerentur; atque hoc modo anima ipſius Deo reconciliaretur.

Biennio poſt, affirmante Alberto Stadenſi, (nam Spangenbergius rejicit in annum MCLXXXI.) cum Henrico Leone arma ſumſit contra Udalricum Antiſtitem

Halber-

Halberſtadenſem: ſive quod ab ejus præſidiariis militibus ex Hornburgo, arce munitiſſima ſubinde excurrentibus, injurias accepiſſet, vel quod Epiſcopi inquieti machinationes pernicioſas adverſaretur. Expugnatum fuit tum Halberſtadium, ipſaque urbe direpta & incenſa fanum Divo Stephano protomartyri ſacrum conflagravit. Udalricus Epiſcopus captus ad Leonem ex caſtris domum reverſum una cum Præpoſito Romano, Brunſuigam deductus eſt. Miſit quidem Leo captivos in cuſtodiam, Epiſcopum Erteneburgum ad Albim, Præpoſitum Sigebergam, non tamen illum in vinculis necavit, ut falſo affirmat Georgius Fabricius. Nam Arnoldus Lubecenſis diſerte affirmat Ulricum libertati reſtitutum: verum ſenio, curis, laboribus & ærumnis, quas ipſe ſibi attraxerat, confectum Hujesburgi, quo ſeceſſerat obiiſſe. Factum hoc anno MCLXXXII. XXX. Julii, ut annotant alii. Clades iſta, quæ loca ſancta profanavit, hominesque ſacri ordinis miſere abſumſit, cum victori nunciata eſſet, lacrymas ei excuſſit, quæ invito ipſo talia perpetrata fuiſſe manifeſto arguebant. Incendium Halberſtadenſe Poëta quidem ejus ſeculi deſcripſit carmine, cujus meminit quidem Bruſchius in Catalogo ſuo Antiſtitum Halberſtadenſium, ſed non edidit: nos manuſcriptum nacti, mendis quibusdam liberatum, ut poſteritati innoteſcat, & ab interitu vindicetur, integrum apponemus.

Quis furor ignis? quæve malignis cauſa furoris?
Carmine pingo: non ego fingo verba doloris.
Urbs ſacra, dives, plebs bona, cives, ſunt data præda,
Fit pavor urbis, fit fuga turbis, fit ſuga cæde.
Ignis inhorret, cunctaque torret flamma cremando.
Obvia telis turba fidelis nulla juvando.
Mors fera cædes, flamma per ædes cuncta perurget,
Sævit in armis fulgida parmis turba cohortis,
Dicite cives, urbs ita dives, quando reſurget?
Voce minaci diſſona paci nuncia martis.
Vivere digni ſunt cibus igni, ſunt cinerati.
Ad loca cœli mente fideli jure vocati.
Stirpe Sereni, flos quaſi fœni, marte teruntur.
Stemmate pleni, ſub ſcrobe cœni, projiciuntur.
Tollit amictus miles, & ictus enſe minatur.
Vox tonat oris, dextra furoris cæde fugatur.
Nil valet ullum ferre cucullum, cum prece ſignum.
Ordine functum nil valet unctum vivere dignum.
Quæ ſacra cernit vis mala ſpernit, cuncta profanat.
Alta refundit, firma retundit, culmina planat.
Vertice canum, menteque cautum, multa ſcientem,
Nullus honorat, gratia rorat nulla furentum.
Pugnat equeſtris turba, pedeſtris tela ſecuta.
Quidlibet audet, factaque gaudet vindice tuta.
Æſtimat aptum ducere raptum virginitatis,
Vimque minacem tollere, pacem lædere gratis.
Vis mala creſcit, jus quia ceſſit, facta puellis,
Vi capiuntur, vique trahuntur cædere bellis.
Non capit ætas ut caro metas tempus amoris
Eſt laceratis juſta voracis plaga doloris.
Pax violatis nulla ligatis lege tenetur.
Ad mala luxus turpia fluxus liber habetur.
Præſul honeſtus ſuſtinet æſtus vimque caloris.
Sacra remonſtrat firmaque conſtat gemma doloris.
Vir benedictus non timet ictus vimque minacem.
Non timet hoſtes rumpere poſtes non dare pacem
Pectora terror ſacra nec error adjuga duxit.
Jura tenaci conſona paci mens pia luxit.
Jam clypeatis igne fugatis igne cremante.

Stat pater urbis jam ſine turbis vi dominante.
Ecce tenetur captus habetur vir pretioſus.
Gaudia lictor fert quaſi victor recta peroſus,
Rex pie cernens, cuncta gubernans parce crematis
Caumate ſiratos redde beatos, fons pietatis.

Hactenus Poëta ille: inſpiciat ſimul candidus lector Arnoldum Lubecenſem magna παῤῥησίᾳ de cauſſa hujus cladis differentem cap: XXX. lib. II. Verum redeamus ad Albertum Palatinum, qui in Chronico Quedlinburgenſi ſcribitur obiiſſe anno MCLXXX. à quo diſcedens Petrus Albinus obitum ejus collocat in annum MCLXXIIX. Fabricius errore craſſiſſimo ſcribit obiiſſe MCLIII. hoc enim non ſolum annales, verum diplomata ac inſtrumenta quæ inſpexi permulta, apertiſſime refellunt. Præterea tota ejusdem auctoris commentatio, quæ de Palatinis Saxoniæ Originum Saxonicarum libro 1. exſtat, admodum involuta, obſcura & lubrica eſt, nulloque negocio ex monumentis harum regionum, quæ auctor ille alias diligentiſſimus non inſpexit, erroris convinci poteſt. In matrimonio Alberti fuit *Lutgardis Hennebergia* Bertholdi IV. filia, Popponis XII. ſoror, fœmina ornatiſſima, cujus mater & ipſa ſcribitur nata ex Palatinis Saxoniæ, Bertha nomine, quæ obiit MCXC. Sterile fuit matrimonium Alberti, itaque hereditas obvenit ſorori *Adelheidi*, de qua dicemus. Ludgardis autem diu poſt mortem mariti vixit. Nam ſuperfuit etiamnum anno MCCXX. Quo fratris filio Popponi omne ſuum patrimonium, Mulfeldio & Masfeldio exceptis, per reſignationem dimiſit, neque multis poſt menſibus obiit. Spangenbergius in Chronico Hennenbergenſi colligit, eam defuncto marito Saxonia exceſſiſſe, & in agri Hennenbergenſis monaſterio Troſtatenſi, anno MCLXXVII. condito, Sanctimonialem egiſſe. In litteris ſuis nominavit ſe Palatinam Saxoniæ & Sommerſeburgi. Cum marito vixit ultra annos XX. poſt eum ſuperfuit annis XL. & amplius. Neceſſe eſt igitur cum moreretur, pene octuagenariam fuiſſe.

Adelheidis Alberti ſoror ſacris deſtinata eſt in illuſtri generoſarum virginum collegio Quedlinburgenſi ad Silvam Hercyniam. In eo ita vixit, ut Antiſtitis dignitatem promeruerit. Fratre defuncto comitatus Sommerſeburgius ad eam devolutus eſt. Sed contra dixit Henricus Leo, Princeps id temporis potentiſſimus, qui ſe Palatinorum proximum agnatum, atque ex eo jure hæredem dicebat. Alheidis, ſive ſua ſponte, ſive ab aliis perſuaſa, Comitatum Wichmanno Antiſtiti Magdeburgico, Geronis Bavari, Comitis Seburgenſis F. vendidit certo precio, Leone armis acriter ſe opponente. Qui tandem arcem Sommerſeburgum funditus dirutam Baroni Warbergio Echardo tradidit, à quo cum inſtaurata nonnihil eſſet, à Ludolfo Wichmanni ſucceſſore denuo everſa eſt, & ſimul Helmæſtadium & Warberga, Baronum iſtorum arx hæreditaria, incendio devaſtata. A quo tempore Sommerſeburgum penes Archiepiſcopos Magdeburgios remanſit, licet Warbergii Barones, tanquam vaſalli, & domicilium & aliquid præterea juris ibi habuerint, quod nunc exſpiraſſe videtur. Cæterum pecunia iſta, quam à Wichmanno accepir Alheidis partim monaſterium *Wandale* nuper deſtructum denuo inſtauravit, partim eam in presbyteros, viduas, aliosque tenuioris ſortis homines erogavit. Scribitur obiiſſe anno MCXC. Sepulta honorifice in fano S, Servatii. Habuerunt vero Palatini iſti Saxoniæ præter Sommerſeburgum etiam arcem *Eilsleven*: quod, intelligo de pago prope Ummendorfium, ubi veſtigia caſtri etiam hodie ſuperant. Id cum in damnum diœceſis Halberſtadenſis conſtructum videretur, Conradus à Crozuc expugnatum delevit. Habuerunt & *Levvenburgum* caſtrum, quod ſitum fuiſſe putatur ad Silvam Hercyniam prope Quedlinburgum. Auctor eſt Joannes Winniſtadius in Hiſtoria Halberſtadenſi, Albertum Epiſcopum Halberſtadenſem, Ducem Brunſuicenſem hoſtes ſuos ad arcem Lewenburgum profligaſſe. De arce *Sevekenberge* horum Palatinorum jam ante dixi. In arce ipſa Sommerſeburgia, ut hoc etiam addam, habuere ſub Archiepiſcopis feuda caſtrenſia multæ familiæ equeſtres; Bodendorfii & Ummendorfii (quorum beneficia deinde ad Dynaſtas Warbergios devenere) Scheningii, Rappii, Hornhuſii, Sommerſtorpii, Wackerslevii, Sehuſii, Spigelii, Horum omnium fit mentio in literis Baronum Warbergiorum ad annum MCCLXXXIX. MCCCV. & MCCCIIX. Et tantum de familia Comitum & Palatinorum Sommerſeburgiorum.

De aliis, qui extinctâ hac familia titulum iſtum ſibi vendicarunt, non puto aliquid adjiciendum. Fuere hi Fridericus Halberſtadenſis Epiſcopus, ad quem ſcribens Hileboldus Comes de Limbere, eum Epiſcopum Halberſtadenſem & Comitem Sommerſeburgium ſalutat: & Theodoricus, Dedonis Craſſi Comitis Rochlizenſis F. qui abdicata Præpoſitura in fano primario Magdeburgenſi, Palatinus Saxoniæ & Sommerſeburgi ſalutari voluit: ſine re tamen. Nam Wichmannus Archiepiſcopus territorium retinuit, titulum aliis relinquens. Invenio tamen ſucceſſores ejus arcem Sommerſebur[illegible]m aliis deinde oppignoraſſe; quam ut redimeret, Borchardus Archiepiſcopus Unsburgum prædium Abbati Riddageshuſano veudidit pro M. marcis argenti examinati, anno M CCCII.

[illegible]ia Comitatus Sommerſeburgii fuere trabes octo rubeæ, in clypeo albi coloris in traverſum collocatæ, quæ eadem Barwardus, Epiſcopus Hildeſienſis, monaſterio [illegible]ichaëlis, anno M. abs ſe fundato, uſurpanda dedit. Schema familiæ Palatinorum Saxoniæ veterum & Palatinorum Sommerſeburgiorum, Comitumque Heinsbergiorum ſubjiciam.

Familia veterum Palatinorum

Saxoniæ.

Fridericus F. Dedonis II. Comitis VVethini & Merſeburgenſis ††† Anno MXX. Uxor Agnes Vinarienſis.

[illegible]ricus II. Palatinus Saxoniæ [illegible]uitur ab [illegible]o III. relegatur ab Henrico IV. † M. LXXXIIX. Uxor Heidvvigis Bavarica.

Dedo Palatinus Saxoniæ † anno MLVI.

Albertus Archiepiſcopus Bremenſis, princeps magnificus, de quo multa in annalibus M. Adami Bremenſis, Alberti Stadenſis &c. † MLXXIII.

Oda uxor Alberti Comitis Sommmerſeburgii.

Berta.

Fridericus Comes Sommerſeburgius. (son of Oda)

[illegible]icus III. cæſus anno M[illegible]XXV. Vxor Albeidis [illegible]onis I. Marchionis Stadenſis.

[illegible]icus IV. poſthumus, educatus à vitrico Ludovico Turingiæ Landgravio, quem [illegible]e bello oppugnavit. Uxor Agnes F. Henrici Ducis Limburgenſis, quæ monaſterio [illegible] Mariæ, prope Helmæſtadium, partem quartam Silvæ, quæ Lappenvvold vocatur donavit.

Henricus ju[illegible] mori[illegible]

Fridericus V. Canonicus Magdeburgenſis, defuncto fratre, hæreditatem paternam occupat: ſed à Nortberto Epiſcopo Magdeburgio, homine ſuperſtitioſo, & conjugem & Palatinatum dimittere ac ad ſacerdotium redire cogitur.

Sophia uxor Hermanni Landgravii Thuringiæ, cui Fidericus Barbaroſſa Palatinatum tradidit anno M. CLXXXI.

Familia Comitum & Palatinorum Sommerſeburgenſium.

Albertus Comes Sommerſeburgius, cognomento Sevekel *ſive cribellum. Uxor Oda, ſive Uda, Palatina Saxoniæ Friderici I. F. fœmina clariſſima & devota, ut vocatur Paullo Langio pag. 774.*

Fridericus I. ſive Senior, primus ex hac familia Palatinus, Uxor Mechtildis. F. Thebergæ fundatrix cœnobii Hamerslebienſis † MCXV.

Fridericus II. ſive junior, Comes Palatinus Saxoniæ & Sommerſeburgi: fundat Vallem S. Mariæ, an. MCXXXIIX. † MCLXII. Uxor Lucardis F. Rudolfi I. Marchionis Brandenburgii & Stadæ. In Chronico Lauterbergenſi nominatur mendoſe Luchara.

Albeidis uxor Goſvvini Comitis Hinsbergenſis.

Judita conjunx Ludovici Comitis Aldenbuſani.

Agnes uxor Conradi Marchionis Brandenburgi.

Albertus Palatinus ultimus hujus familiæ obiit M. CLXXIIX. Uxor Lutgardis Hennenbergia. † MCCXX.

Albeidis Antiſtes Quedlinburgenſis † MCXC.

Familia Comitum Heinsbergiorum.

Goſvvinus Comes Heinsbergius.

Goſvvinus Comes Heinsbergius. Adelheidis Palatina Sommerſeburgia.

Salome uxor Burchardi Comitis Daſſilienſis

Albeidis conjunx Adolfi IV. Comitis Schavvenburgii. Nuptiæ celebratæ Mindæ anno M. CLXX.

Philippus Archiepiſcopus Colonienſis electus anno MCLXVII. ſedit annos XXIV. Henrico Leoni Ducatum Angariæ & Weſtphaliæ eripuit. Ab Henningeſio in Genealogiis errore craſſo familiæ Daſſilienſis fuiſſe affirmatur. Vide de eo Chronicon Magnum Belgicum p. 187.

Mechtildis uxor Dedonis cognomento Craſſi Comitis Rochlizenſis.

Theodoricus Canonicus & Præpoſitus Magdeburgenſis, poſt ea Comes Sommerſeburgius citatur in literis Archiepiſcopi Wichmanni anno MCXCI.

Philippus Scatenſis (forte Xantenſis Præpoſitus.

Goſvvinus puer mortuus

Henricus puer mortus

Conradus

Agnes uxor Bertholdi Ducis Meraniæ.

Gotfridus Comes Heinsbergenſis

Gerhardus, Catalogus Abbatum Campenſium nominat Gerhardum Comes Heinsbergius. Uxor Irmengardis, Theodorici Comitis [illegible] cenſis F. Helprici ſoror, vidua [illegible] donis Marchionis Stadenſis. A[illegible] Stadenſis p. 164 fac. 2.

Sigfridus periit in expeditione Italica.

Uda uxor Sigfridi Comitis Ertenebergii cui cognomen Suarit fuit.

Adelheidis uxor [illegible] Clivenſium Comitis, ſin[illegible] cœnob[illegible] teris [illegible] fautri[illegible]

Albeidis uxor Burggravii de Grobe.

Luderus ἄπαις.

Oda nupta A[illegible] Comiti Oſterburgio, Werneri à Veltheim F. [illegible]CXCI.

Wernerus Comes Oſterburgius.

Præ-

Google

Præter iſtos, nullos ex familia Heinsbergenſi invenio alios, niſi quod ex longiori quam ſesquiſeculi intervallo Chronicon magnum Belgicum pag. CCCIII. mentionem faciat *Theodorici* Domini de Heinsberg & Comitis Loſſenſis: quo ſine liberis defuncto Comitatus Loſſenſis ceſſerit Epiſcopo Leodienſi Engelberto, anno MCCCLXI.

Præmiſſis iſtis, quæ minime negligi debuerunt, nunc ipſam Monaſterii Vallis B. Mariæ hiſtoriam aggrediemur. Jecit ejus fundamenta quidem Fridericus anno MCXXXIIX. ſed ante annum MCXLVI. non abſolvit. Impedimenta omitto: nam fuerunt varia, & præ reliquis adminiſtratio Comitatus ſive territorii ad Eccleſiam Bremenſem pertinentis, quod Hartwicus familiæ Stadenſis ultimus pro hæreditate paterna poſſidendum quidem acceperat, ſed Friderico Palatino, homini ſapienti & juſtitiæ amanti adminiſtrandum tradiderat. Tandem abſolutis ædificiis & fratribus, ſive monachis ex monaſterio Veteris-Campi evocatis, Rudolfus Antiſtes ac Fridericus fundator denuo in Valle Mariæ convenerunt, præſentibus ſimul multis viris religioſis & nobilibus. Ibi Palatinus novum hoc ſuum monaſterium in honorem Dei, cultusque divini augmentum abs ſe liberaliter conſtructum, Antiſtiti commendavit, qui illud una cum Erpone ſummi templi Decano, aliisque Canonicis primariis, in tutelam ac patrocinium Beati Stephani ac Eccleſiæ Halberſtadenſis ſuſcepit, diris devovens omnes, qui res monaſterii quoquo modo deteriores redderent. Dedit conventui hoc tempore Palatinus prædium Brandensleve, & quartam partem nemoris Lappewalti: quibus alii de ſuo etiam nonnulla adjecerunt. Erant iſtius ſeculi homines valde proni ad ordinem Eccleſiaſticum locupletandum: cujus quotidianis precibus, rigoroſis auſterioris vitæ exercitiis, non tantum vivos, verum etiam defunctos juvari perſuaſum habebant. Hinc in Inſtrumentis donationum formulæ illæ: *Pro ſalute animæ noſtræ: pro remedio animæ noſtræ: in remiſſionem peccatorum noſtrorum: pro parentum noſtrorum requie: pro redemptione animarum carorum noſtrorum: ob ſpem retributionis æternæ: & orationum omnium participium habeamus: intuitu divinæ & æternæ remunerationis, & ob ſalutarem & perpetuam animæ noſtræ memoriam: pro ſalute noſtra & anteceſſorum noſtrorum &c.* Quæ ſuperſtitio mirum quantum religioſis hominibus profuerit! vetus illa, utpote quæ ſub Gregorio Magno invaluerit. Sic enim is ſcribit in Evangelia: *Illa in ſtipendium noſtrum accipimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulere.* Sed pergamus.

SERIES ABBATUM.

Primus monaſterii Abbas fuit BODO, ob eruditionem in litteris, & vitæ morumque gravitatem dignus habitus cui conventus committeretur. Vivebat in monaſterio Amelunxbornenſi, nuper illud ingreſſus, cum antea vixiſſet aliquamdiu in Collegio Veteris-Montis.

Eſt *Mons-Vetus* cœnobium perquam illuſtre, ſitum in comitatu Marcano Weſtphaliæ: fundatum anno MCXXXIII. Morimundenſis Abbatis inſpectioni & viſitationi ſubjectum. Huic Bodoni commiſſa eſt Vallis-Mariæ, initio anguſta, quod conditor Fridericus aliis rebus occupatus religioſum ſuum negotium expedire non potuit. Vidit tamen conſummationem Oratorii, & confirmationem Epiſcopalem impetravit, ut diximus. Præfuit Bodo ab anno MCXXIIX. usque ad MCXLVII. quo obiit XXIII. Auguſti. Henricus Leo in diplomate quodam vocat eum *virum religioſiſſimum, ſibiq; perfamiliarem* fuiſſe affirmat. Super eſt in Valle-Mariæ liber in membrana ſcriptus, cui titulus, Flores Bodonis; continens ſilvam ſententiarum ex optimis quibusque auctoribus Eccleſiaſticis & profanis induſtriè diligenterque collectam. Ulricus Epiſcopus Halberſtadenſis in quodam inſtrumento eum fratris nomine honeſtat.

II. HENRICUS I. cœpit anno Chriſti MCXLVII. Facit ejus mentionem Eugenius III. Pont. in bulla ad annum iſtum, data Altiſidori: in qua fundatorem Fridericum virum illuſtrem vocat; monaſterium ipſum in ſuam & B. Petri protectionem recipit. Idem facit in alia Bulla, eodem anno Ciſtertii data, qua & alias à Friderico donationes monaſterio factas confirmat. Obiit Henricus anno MCLV.

III. DUDELINUS cœpit anno MCLV. Vidit tragicum exitum Lucardis,

Hermanni Comitis ſive Palatini Wincenburgii conjugis, quæ, ut diximus, [illegible] toris Vallis-Mariæ uxor fuerat. Ejus enim maritus non ſolum adulterii per vim perpetrati, verum & homicidii nefarii, à parente ſuo olim commiſſi juſtiſſimas tum luit pœnas. Facere non poſſum quin hâc occaſione partem familiæ Wincenburgicæ, quam obſervare potui, ſubjungam.

Hermannus Comes Wincenburgius.

Fridericus Epiſcopus Monaſterienſis XIX. † MCXXVII. XXX. Aprilis. Ab Urſpergenſi Henricus nominatur, qui addit fuiſſe virum natu illuſtrem & virtute famoſū. p. 264.	*Hermannus Comes Wincenburgenſis militat Henrico V. Imp. & ab eo Marchio creatur. Interfici juſſit Burchardum Comitem Lockenbeimenſem, Friſiorum præfectum: eamq; ob cauſam à Lothario Imp. Comitatu Thuringiæ privatur caſtrumque Winceburgenſe deſtruitur anno MCXXX. Cum fratre Henrico monaſterium Dernburgenſe fundavit.*	*Henricus Comes Daſſilienſis ſive Asloenſis fundator cum fratre Hermanno monaſterii Dernburgenſis. Meminit ejus Crancius in Metropoli lib. 6. c. 18. † Anno MCXLVI. ut habent F[illegible] Stederburgenſes. De arce Aslo vide Chronicon Schawenburgenſe p. 56.*
Hermannus Comes Winceburgius citatur teſtis in literis Arnoldi Epiſcopi Moguntini anno MCXXXV. ſtuprat per vim nobilis cujusdam aulici ſui uxorem, & ab eo, una cum conjuge uterum ferente in cubiculo transfoditur anno MCLVI. alii MCLII. Conjunx erat Lucardis Stadenſis Comitis F. primum uxor Friderici II. Palatini Sommerſeburgii.	*Mechtildis uxor Wilbelmi Comitis Daſſilienſis.*	*Otto, de quo Chron. Slavvor pag. 85. & Lauterbergenſe ad annum M[illegible]X. Defunctus eſt circa annum M[illegible]XI[illegible], ut patet ex Faſtis [illegible]derburgenſibus.*
N. Uxor Henrici Comitis Svvarceburgii.	*N. Uxor Magni Burtzii Ducis Daniæ.*	*Heilvvigis monialis Gandeſien[illegible]*

Inſignia hujus familiæ fuere cornua cervina lutei coloris in campo cœruleo.

Meminit Dudelini Abbatis Adrianus P. R. in bulla quadam in Lateran[illegible] anno MCLIIX. data, cui adſcriptum nomen Rolandi, ſedis Pontificiæ cancell[illegible]rii, [illegible] eſt μέγας λογοθέτης) qui biennio poſt ſub nomine Alexandri III. Papatum invaden[illegible] Friderico Cæſari hoſtem & æmulum ſe præbuit acerrimum.

Eodem, quem dixi, anno, obiit Otto Friſingenſis Epiſcopus, ante annos [illegible] Dudelino in Monaſterio Morimundenſi in quo uterque vivebat, amicus & [illegible]rius. Hoc Epiſcopo præſente & negotium ſuo conſilio promovente gravis [illegible]tentio ſuper Ducatu Bavariæ, inter fratrem Henricum Marchionem Auſtriæ & [illegible]ricum Leonem Saxoniæ Ducem, per Fridericum I. Imp. in Comitiis R[illegible]nenſibus anno MCLVI. deciſa & ſopita eſt. Ab hoc tempore Henricus Leo, u[illegible]que Ducatu Saxoniæ ac Bavariæ inſignis, vicinis principibus non tantum fo[illegible]bilis, verum etiam, ſuſpectus eſſe cœpit. Friſingenſis Epiſcopus Otto, vir [illegible] temporis doctiſſimus, qui Pariſiis eruditus, teſte Radevico, Philoſophicorum [illegible] Ariſtotelicorum librorum ſubtilitatem in Topicis, Analyticis atque Elenchis fe[illegible] mus noſtris finibus importavit. Et ab iſto tempore, Philoſophia ſecularis, ut loquitur Trithemius, ſacram Theologiam ſuâ curioſitate inutili fœdare cœ[illegible]. Quæ Theologia Scholaſtica poſtea diverſas Scholaſticorum Doctorum ſecta[illegible] genuit & diſſeminavit. Adriano P. R. ad plures abeunte, in eccleſia ortum eſt [illegible]a perniciofum, duobus à diſſentiente purpuratorum collegio in demortui loc[illegible] ſubſtitutis. Erant illi Victor IV. & Alexander III. Cum hoc faciebant Eccleſiæ orie[illegible]is, Antiochena & Hieroſolymitana, & præterea totius fermè Europæ. Vict[illegible] tutabatur Fridericus Barbaroſſa Imp. & cum eo nonnulli ex ordinib. Imperii. reſpu[illegible]bant & averſabantur omnino Ciſtertienſis familiæ monachi, & horum præ[illegible] numero circiter DCC. Mirum quantum colluvies iſta animi addiderit Alexandro, quantum negocii crearit Imperatori. Noluit cordatus princeps tolerare effrenem[illegible] laſcivientium monachorum petulantiam, ideo, aut cum Victore facere, aut rel[illegible]ctis

[illegible] ergaſtu-

ergaſtulis ſuis Imperii finibus excedere Ciſtertienſibus ſerio & ſevere mandavit. Pertinaces & obſtinati homines magno numero in Franciam, uti tutus iſti factioni receptus, exſulatum abiere. Pauci qui domi remanſerunt, tempori ſervire rebusque ſe præſentibus accommodare coacti ſunt. Dudelinus Mariæ-vallenſis Abbas ſecutus eſt exemplum Geronis Epiſcopi Halberſtadenſis, in cujus diœceſi vivebat, fecitque cum Victore P., à quo confirmationem omnium poſſeſſionum impetravit. Bullæ ſubſcripſerunt Cardinales VII. Data eſt Papiæ anno MCLX. VI. Non. Martii. Hoc autem tempore beneficentiâ & liberalitate piorum hominum facultates Vallis-Mariæ non parum creverunt. Nam & Lappewalti nemoris altera quarta pars dono Agnetis, filiæ Ducis Limburgii, cujus ſupra meminimus, acceſſit: & Henricus Leo villam Bardeccenſem dono dedit. Obiit Dudelinus 11. Maij anno MCLXII.

IV. LUDOLFUS I. ſucceſſit Dudelino eodem anno, & præfuit decennio. Anno ejus primo vitam finivit *Fridericus monaſterii fundator*, ſepultus ibidem in choro templi. Filius *Albertus* patris funus procurans duos manſos (hac appellatione certus jugerum numerus veniebat) conventui *pro animæ illius remedio*, ut ipſe loquitur, ſuper altare obtulit. Anno MCLXIV. lis oborta fuit inter Ottonem Hujesburgenſem & Ludolfum Mariævallenſem, quam Gero Epiſcopus Halberſtadenſis compoſuit, annuente utriusque loci advocato, Alberto Palatino jam dicto. Factum id ad diem XI. Kal. Febr. Indict. XI. Compoſitioni interfuere Hermannus Verdenſis Epiſcopus, Baldewinus præpoſitus & Fridericus Decanus: de ingenuis Laicis Wernerus Advocatus, Hogerus Vicedominus, Adelbertus Comes de Wernigerode, Sigfridus & Ludolfus de Swanebeke: de miniſterialibus Gevehardus de Horneberge, Ericus de Gaterſleve, Volquardus de Eilenſtede, Ulricus & Wernerus de Quenſtidde, Hugoldus & Dethmarus fratres de Dedenleve. Eodem anno idem Albertus Palatinus donationes omnes, tam à parentibus ſuis Friderico & Lucardi, quàm à ſeipſo factas denuo confirmat & ſtabilit. Oſtendit etiam, ſe, qui monaſterii Advocatus ſit, operam daturum, ut quamdiu vita & honore per Dei gratiam fruatur, contra infeſtantes ei non deſit. Literæ datæ ſunt in caſtro ipſius Lewenburg an. MCLXIV. Indict. XII. IIX. Id. Martii. Ludolfus exceſſit è vivis anno MCLXXII.

V. ERNESTUS Ludolfo ſurrogatus præfuit monaſterio annis IIX. Sub ipſo, anno gubernationis ſecundo, obiit *Apel Vitztumb*, & in monaſterio Vallis Mariæ ſepulturæ mandatus eſt. Paucis ante ipſius obitum menſib. Alexander Pont. monaſterium Mariævallenſe in tutelam ſedis Apoſtolicæ recipit, eique bona, quæ nuper acceſſerant confirmat. In his erant octo manſi cum dimidio pro anima Alberti Palatini, hoc tempore defuncti. Præterea aliorum eleemoſynæ videlicet Ottonis dynaſtæ Herbeccenſis, Luthardi nobilis Domini in Meinersheim, Alberti Comitis Oſterburgii, Notungi nobilis dynaſtæ Gaterslevii. Bulla Pontificia data eſt MCLXXX. Kal. Julii Indict. XIII. Erneſtus a. obiit XI. Novembris.

VI. ARNOLDUS cœpit anno MCLXXX. quo Alexander ad ipſum ſcripſit, monaſteriumque in tutelam ſuam recepit. Bulla data eſt Indict. XIII. quam ſubſcripſere Cardinales IX. fuit is annus univerſæ Saxoniæ funeſtiſſimus. Nam Henrico Leone ſub initium anni ab Imperatore Friderico proſcripto, omnibusque beneficiis imperialibus privato, armis omnia perſtrepebant. Sed hiſtoria huc non pertinet. Obiit decennio à Leonis proſcriptione, anno nempe MCXC. Alheidis Palatina Sommerſeburgia, & Antiſtes Quedlinburgenſis, familiam illuſtrem & antiquam claudens: cujus relicta hæreditas cauſa fuit novorum inter vicinos Principes diſſidiorum & tumultuum, in quibus aliquid etiam incommodi ſenſit Vallis-Mariæ, cujus bona in territorio Sommerſeburgio ſita erant. Wichmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus fretus jure ſuo quod interventu emptionis ab Adelheide ſe aſſecutum prætendebat, Summerſeburgum una cum aliis locis invadebat, ſuoque Epiſcopatui vindicabat. Quia vero Mariæ Vallenſibus favebat, ne quid iſti detrimenti caperent, hoc egit, ut quæ ipſorum eſſent hinc inde per agrum ſuum & dominium hoc novum ſparſa, fideliter annotarentur, & in tabulas publicas relata ipſis ſarta tecta absque omni contradictione permanerent. Addit etiam aliquid de ſuo, nempe montana juxta caſtrum Seeburg, plantandis & colendis vineis apta. Huic tranſactioni adfuere multi

re multi proceres Eccleſiaſtici & Politici, & in his Rokerus Magdeburgenſis major Præpoſitus, Ludolfus Decanus, Conradus frater Burggravii Magdeburgenſis Præpoſitus templo B. Nicolai, Albertus Camerarius, Henricus Magiſter Scholarum, & Præpoſitus B. Sebaſtiani, Gero Vicedominus, Guntherus Abbas cœnobii in Juterbock: Laici, Theodoricus Comes de Sommerſeburg, Theodoricus de Anvorde, & Wernerus frater ejus, Otto de Hertbeke & frater ejus Fridericus, Hildebrandus Marſchalcus, Ecbertus de Wantzleve Alradus de Eckersleve &c. Actum anno Dominicæ incarnationis MCXCI. Indict. IX.

Hoc eodem anno, die Sixti Martyris, qui fuit VI. Auguſti, obiit *Henricus Leo*, Princeps magnanimus, monaſterii Mariæ-Vallenſis patronus & amicus ſingularis. Sexto anno poſt, hoc eſt anno MCXCVII. *Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus* Rheni, Henrici Leonis F. Princeps religioni & pietati ex animo favens, in Vallem Mariæ venit, ac oppidò liberalem & munificum ſe exhibuit.

Hujus frater germanus Otto defuncto Henrico VI. Imp. à plerisque Germaniæ Principibus Cæſar deſignatus eſt. Iſti oppoſuerunt alii adverſarium potentem Philippum Sveciæ Ducem, defuncti Cæſaris fratrem, quem tamen Pontifex Innocentius admittere ad regnum nolebat. Philippus Imperium ambiens Ludolfo Magdeburgenſi Antiſtiti, cujus apud vicinos auctoritas erat non parva, remiſerat tributum, quod ab Eccleſia Magdeburgenſi quotannis fiſco Cæſareo dependebatur, ideoque eo utebatur adminiſtro in Principum Saxonicorum animis ſibi conciliandis. Pertinacis & obſtinati ingenii erat Antiſtes, quem nec principum minæ, nec Pontificis fulmen à Philippo avertere poterant. Cumque arma ſumſiſſent novi Principes, & de ſumma rei ad Brunſvigam dimicaturi eſſent, profectus eo Epiſcopus cum ſuis copiis, in itinere Helmæſtadium Abbatis Werdinenſis urbem (incertum qua injuria irritatus) obſedit, obſeſſam expugnavit, atque excidio & ruinis dedit. Triſtiſſimum erat hoc ſpectaculum, urbem non ignobilem, quæ annos CCCCX. floruerat, vicinis urbibus Magdeburgo, Goslaria, Brunſviga & Halberſtadio vetuſtior, ab homine Eccleſiaſtico, nulla præeunte offenſione graviore, miſerè inflammatam ſolo æquari. Periere tum ibi temporis omnia religioſæ antiquitatis monumenta, periêre ſtructuræ inſigniores, cives ad extremam paupertatem redacti ſunt. Præſidebat hoc tempore Werdenæ & Helmſtadii, *Herebrandus*, ut noſtra eum monumenta vocant: ſive *Herbertus*, ut Werdenenſibus appellatur, ex Comitibus Bergenſibus originem ducens. Inclemens ille & ſanguinarius Epiſcopus poſt hanc cladem innocenti urbi illatam non diu ſuper vixit, inopinâ morte exhilarans, quos ademtis rebus omnibus extremâ contriſtarat. Sed redeo ad noſtra.

Paullo ante obitum Arnoldi, anno MCCIII. ſopita eſt controverſia, quæ ab annis aliquot fuerat inter monaſterium San-Ludgerianum Helmæſtadio adhærens, & Vallem D. Mariæ. Ludgeriani monachi aliquid juris ſibi vendicabant in ſilvam Quernhorſt. *Adalbero Werdenſis Abbas*, ut negocium legitimè cognoſceretur, cognitum componeretur, arbitros conſtituit Ludolfum & Baldewinum Asbecios, qui pro Mariævallenſibus; Udonem Advocatum Helmæſtadenſem & Engelbertum Selleſſemium qui pro Ludgerianis agerent. Hi liti finem impoſuerunt. Obiit Arnoldus XVI. Kal. Octobris.

VII. JOHANNES cœpit anno MCCIII. præfuit annis XVII. Quarto gubernationis ejus anno obiit *Adelheidis* illuſtris & generoſi viri *Dedonis à Crozuc* ſive *Croſick*, conjunx. Hæc paullo ante mortem aliquid agri legavit Valli S. Mariæ, ut pro anima ipſius preces & vota conſueta inſtituerentur. Aberat id temporis ab Epiſcopatu ſuo Conradus Epiſcopus Halberſtadenſis, Dedonis & Adelheidis F. religionis ergo Hieroſolymam profectus. Qui domum reverſus, cum quid mater egiſſet, edoceretur, donationem una cum Friderico & Guncelino fratribus Germanis ratam habuit. Erat hic annus MCCVII. ordinationis Conradi Epiſcopi VI. Familia hæc *Croſiciorum* olim inter ordinem Dynaſtarum illuſtrium, ſive Baronum, locum habuit, deditque aliquot Sacro Romano Imperio Principes eccleſiaſticos: de quibus quantum in tabulis ſive literis, aliisque monumentis fide dignis invenire potui, hoc loco ſubjungam.

Dedo ejus nominis I. nominatur in Chronico Pegavienſi ad annum MCXVII.

Scribiturque quod à Wigberto Comite Groicenſi in exilium ejecto, rogatus ſit, ut in aliquod municipium ſuum exulantem reciperet: quod factum eſt. Reliqua ibi legantur.

Hujus Dedonis, qui ad ſummam pervenit ſenectutem, duo fuerunt filii; *Dedo* II. & *Theodoricus* I. Nominatur Dedo ad annum MCLXXXIIX. in literis Theodorici Epiſcopi Halberſtadenſis: neque de eo quicquam inveni amplius.

Theodoricus propter eruditionem morumque elegantiam ex primarii templi Canonico electus eſt Antiſtes Halberſtadenſis, anno MCLXXXII. præfuitque ad annum MCXCIII. Meminit ejus, ut patrui, Conradus Halberſtadenſis Epiſcopus in literis anno MCCII. V. Maij datis, his verbis: *Omnibus etiam notum fieri volumus Dominum Theodoricum beatæ memoriæ noſtrum prædeceſſorem & patruum &c.* Idem teſtatur Chronicon San-Petrinum ad annum MCLXXX.

Dedo ſecundus ex Adelheida conjuge reliquit *Conradum, Fridericum, Guncelinum, Bertradin & Gertrudin.*

Conradus à religioſis parentibus miſſus eſt ad patruum Theodoricum, à quo domi ad omnem pietatem & modeſtiam aſſuefactus: publicè non minori diligentia à Canonicis lectoribus in omni liberali doctrina inſtitutus eſt. Ex Camerario electus cum eſſet majoris fani Præpoſitus, ſingularis prudentiæ & pietatis famam apud omnes habuit. Inde factum, ut Gardolfo Epiſcopo Halberſtadenſi, ex Dynaſtis ſive Baronibus Harbeccenſibus oriundo, nono gubernationis ſuæ anno defuncto, eidem Eccleſiæ Antiſtes præfectus ſit. Multa de ejus pietate, de ſtudio promovendi cultus divini, in litteras relata ſunt. A Ludolfo Archiepiſcopo Magdeburgenſi conſecratus eſt. Suanbeccios Dynaſtas laſcivientes, & protervius ſe ipſi opponentes compeſcuit. Verſus Hieroſolymam iter inſtituens, tam in Bohemia, quam Veneriis ac in Palæſtina honorificè excipitur, comiterque habetur.

Redux ex iſto itinere Romam abiit, ibique ab excommunicatione, quam incertum ex qua cauſa incurrerat, à Papa abſolvitur. In monaſteriis novis exſtruendis, collapſis inſtaurandis nemini ſecundus fuit. Adempta Epiſcopatui recuperavit: præcipuè Oſcherſchlebium arcem & opidum. Laborum in munere arduo & difficili pertæſus Epiſcopatum reſignavit, ſeque in monaſterium abdidit Sittenbachenſe, vulgò Sichem vocant, familiæ Ciſtertienſis. Revocabant eum ab hoc inſtituto Canonici, revocabat Pontifex Romanus, ſed fruſtra. Facta ſunt hæc anno MCCIX. In monaſterio ſupervixit annis XVI. adhibitus ad multa negocia Eccleſiaſtica, puta Epiſcoporum electiones, templorum dedicationes, monaſteriorum viſitationes reformationesque. Obiit MCCXXVI. Kal. Julii. Titulo uſus eſt ſequenti: *Conradus Epiſcopus & monachus in Sichem.*

Vidi literas Conradi hujus, Epiſcopi & monachi in Sichem, in quibus adducuntur hi teſtes: Anshelmmus major præpoſitus, Wernerus Decanus S. Bonifacii, Conradus Camerarius, Gardolfus Vicedominus, Fridericus de Kirchberg, Burchardus de Sladem, Ludolfus de Heſſenem, Gewoldus de Amvorde, Otto de Tobin, Anno de Dromtorp, Almarus de Bommeneborg, Olricus Scholaſticus, Ludolfus Advocatus major & frater ejus Wernerus de Duſelitz, Sigfridus Burggravius de Arenberg, Wernerus de Lichtenberg, Arnoldus de Scherinbeke, Otto de Swanebeke: miniſteriales, Cæſarius præfectus, Gevehardus de Alvensleven, Hugoldus & Fridericus de Quenſtidde. Datæ anno MCXC. Indict. IX.

Guncelinus retinuit paternam hæreditatem. Feuda quæ ab Eccleſia Halberſtadenſi tenebat, vendidit, Balduino Dalemio, curiæ Ducis Brunſvicenſis Advocato, qui deinde ea legavit monaſterio Riddageshuſano. Mortuus eſt eodem anno, quo ipſius frater Conradus, quondam Epiſcopus, tunc verò monachus, ſed ita ut ipſum præcederet. Matrimonium ejus ignoratur: filium tamen reliquit *Albertum*, qui ſacris initiatus, Halberſtadii Canonicum egit. Vixit anno MCCXLIV.

Bertradis educatur in monaſterio Imperiali Quedlinburgio, ubi, cum Sophia Abbatiſſa, Friderici Comitis Brenenſis F. propter enormia delicta quorum à vicinis dynaſtis rea agebatur, ab officio remota eſſet, ipſa Abbatiſſa eligitur anno MCCXIV.

Gertrudis mittitur in monaſterium Gerenrodenſe ibique monialem egit.

Et tantum de his ex familia Croſicia oriundis Principibus: ſupereſt ea adhuc & inter

inter Equites relata, viros marte togaque præſtantes progignit. Schema Genealogicum eorum, de quibus egi, ſubnecto.

Dedo I. à Crozuck.

Dedo II. à Crozuck	*Theodoricus I. Epiſcopus Halberſtadenſis.*

Conradus I. Epiſcopus Halberſtadenſis.	*Guncelinus à Crozuck.*	*Bertradis Abbattiſſa Quedlinburgica.*	*Gertrudis monialis Gerenrodenſis.*

Theodoricus II. Monachus San. Petrinus. Fuit ei multum negocii cum ejus loci Præpoſito Theodorico homine perverſi ingenii.	*Conradus II. nominatur in Chronico San-Petrino.*	*Albertus Canonicus Halberſtadenſis.*	*Joannes nominatur in Chronico San-Petrino.*

Sed pergamus ad noſtra. Anno MCCVII. Conradus & Hildeboldus fratres, Comites de Limbere, monaſterio Mariæ-Vallenſi donarunt manſos in Eilsleve, quos jure hæreditario à proavis ad ſe devolutos poſſidebant.

Anno MCCXIIX: Joannes Abbas fuit Commiſſarius & judex una cum Ottone Scheningenſi & Ludolfo Hamerslebienſi Præpoſitis, inter monaſterium Riddageshuſanum & ruſticos in Sceppenſtede, deſignatus ab Alberto Archiepiſcopo Magdeburgio & Friderico Halberſtadii Epiſcopo, tulitque ſententiam quam cum parvi penderent monachi, compoſita tamen tandem eſt lis interveniente ſimul Abbate Amelunxbornio, nonnullisque aliis. Sub hoc Abbate ſepulta eſt in cœnobio Mariæ Vallenſi *Albeidis*, mater Conradi Epiſcopi Halberſtadenſis.

Obiit Joannes Abbas anno MCCXX.

IIX. GOTFRIDUS primum Cellarius fuit anno MCCXII. deinde Prior. Abbas electus eſt anno MCCXX vix biennio præfuit.

IX. HENRICUS II. cœpit anno MCCXXII. & quadriennium monaſterii clavum tenuit. Reperi Camerarii munus adminiſtraſſe circa annum MCCVII. Controverſia tertio regiminis anno ipſi fuit cum ruſticis Makkendorpiis & Graslebienſibus. Res à Conrado Epiſcopo Portuenſi delata eſt ad arbitros, Albertum Abbatem Lutterenſem, Werherum de Hamersleven, & Ottonem de Scheningen, qui cauſa rite cognita pronunciarunt pro Abbate & monaſterio. Ex hac vita in meliorem commigravit anno MCCXVI.

X. CONRADUS I. eligitur anno MCCXXVI. Præfuit diu ac benè. Anno MCCXXXII. Helmeſtadenſes Scabini in literis ſuis teſtatum faciunt, *quod fratres Mariæ Vallenſes* (utor Scabinorum verbis) *opinionis ſuæ, per ſanctæ converſationis ſtudia bonum odorem longe latequeq; ſpargant, & ab omnibus, qui eis vicinitate junguntur, bonore ſimul & amore digni babeantur: Ideoq; ut laborum ipſorum meritis ſubleventur, dant eis permiſsione ſua, ut quicquid intra terminos ſuæ civitatis donatione vel emptione conquiſiverint, ſive domos aut areas, liberè poſſideant, & ſuſcipiant, nibil eorum, quæ jus civile requirit, exſolventes.* Anno Octavo, ex quo cœperat, Judita, ſive Jutta, nobilis & generoſa fœmina, Ottonis Dynaſtæ Harbeccenſis vidua, una cum liberis ſuis, decimas agri Dudenrodenſis, quas feudi nomine tenebat ab Epiſcopo Halberſtadenſi, Mariæ Vallenſibus donavit. Donationi conſenſit Epiſcopus Fridericus in Halberſtad, teſtes citans Burchardum Vicedominum, Fridericum Comitem de Kirchberg, Hattonem de Biwende, Waſmodum militem de Hartbike, anno MCCXXXIV. Pontificatus ſui XXIV.

Eſt autem *Harbeccum* diœceſis Magdeburgenſis Arx non ignobilis, hæreditario jure ad familiam hodiè Velthemiam pertinens. Antiquitus paruit Baronibus, ſive illuſtribus Dominis, qui ab illa nomen & titulum uſurparunt. Reperi ex iis ſequentem in diplomatis ſeriem.

Fride-

Fridericus de Harbeke anno 1147.

Gardolfus ex Decano templi primarii Halberſtadenſis Epiſcopus, præfuit annis 8. cum laude. templum D. Martini Halberſtadii inchoavit. Hornburgum arcem perfecit. Obiit MCCI. XX. Auguſti.

Otto vir nobilis de Harbeke patronus monaſterii Mariævallenſis, anno MCC. Uxor Judita illuſtris fœmina vixit adbuc an. MCCXXXIIX.

Hermannus nobilis Dominus de Harbeke anno M. CC. vixit adhuc anno MCCXXVI.

Henricus.

Halto vir nobilis de Harbeke anno M. CCIIX. — *Judita*

Bruno anno MCC LXXXIII. — *Conradus anno M CCXCIV.*

Anno MCCXXVII. Alexander à Slieſtede dedit monaſterio Mariæ Vallenſi tres manſos, quos ab Ecberto & Borchardo Aſſeburgiis jure feudali poſſidebat. Biennio poſt Ludolfus Epiſcopus Halberſtadenſis venit in Vallem D. Mariæ, ſibique memoriam, ut vocant, ibi comparavit, anno Pontificatus ſui III. Erat is Comes dynaſtiæ Slademenſis, ſupra Hornburgum ad Ocrum fluvium ſitæ. Partem ejus familiæ addo.

Henricus Comes à Sladem. 1231.

Ludolfus Eccleſiæ Halberſtadenſis Canonicus anno 1228. Præpoſitus Walbecenſis anno 1234. Epiſcopus an. 1237. Obiit 1241. gubernationis 4.

Henricus Comes Slademiq 1239.

Ludolfus Epiſcopus Halberſtadenſis cœpit an. 1254. propter Simoniam dignitate privatur anno 1256. manſit tamen in Collegio Halberſt. & adbuc anno 1285. in vivis fuit.

Henricus vixit anno 1242. Hic Muncbenaumburg exuſſit. Vide Cbron. Querfurt. pagina 286. vixit adbuc anno 1252.

Henricus II. à nonnullis creditur ultimus fuiſſe familiæ de quo nibil adfirmo.

Inſigne hujus familiæ fuit Leo albus in campo rubro.

Anno MCCXLII. Vidua Conradi de Suſelitz, conſanguinea Ludolfi Epiſcopi Halberſtadenſis, de conſenſu filiorum ſuorum, Everardi & Conradi vendidit monaſterio Mariævallenſi quatuor manſos in Botgermersleven. Venditionem Epiſcopus Halberſtadenſis ratam habuit, præſentibus viris nobilibus Theodorico de Meinersheim, Hermanno de Werberg, Wernero de Suſelitz, Pontificatus ſui anno 11. Eodem anno Kal. Junii à jam dicto Epiſcopo, qui erat Menihardus Transfeldius, negociorum quorundam cauſa ablegatus eſt in Vallem Divæ Mariæ *Joannes Semeca*, ſummi templi Halberſtadenſis præpoſitus, una cum Burchardo Vicedomino & aliis Canonicis. De hoc Semeca, viro ſui temporis illuſtri per hanc occaſionem dicam aliquid, tum ut ejus memoria apud nos extet, tum ut à calumniis invidorum innocentem liberem. Natus eſt Semeca in agro Halberſtadenſi, parentibus plebeiis, patre ſutore. Quia vero ingenio valebat, artibus illud excoluit, tantumque in iis profecit, ut mature munus docendi in Eccleſia ei demandaretur. Cumque præter iſtos labores cathedrarios alia etiam negocia expodiret fideliter, ex Canonico factus eſt Decanus: in quo munere cum ſpem collegarum complevisſet, Meinhardo majore Præpoſito ad dignitatem Epiſcopalem evecto, ſucceſſor datus eſt. Hæc res urebat nonnullos, qui in eo faſtigio hominem contemptæ originis inviti & dolentes conſpiciebant. Erant hi Cono Depholdius, Volradus Kirchbergius, Conradus Cranichfeldius, Wiggerus Bilſtenius, Henricus Reinſteinius, Bartoldus Klettenbergius, Chriſtianus Stolbergius, Canonici templi primarii, illuſtres ſanguine & natalibus omnes. Sic enim mos erat iſtis tem-

Digitized by Google

poribus, ut virorum principum liberi, in ſcholis prius eruditi, ad beneficia iſta, ſive Sacerdotia primaria eveherentur: inferiora enim plebeiis relinquebantur. Semeca invidia deflagrans, magno animo illam contemſit: conſcius ſibi eruditionis non vulgaris, cui proxime & ſecundum Deum confidebat. Nec deſiit æmulos exagitare, vel ridere falſe, quoties doctrina iſto honore & munere digna deſtituerentur. Juri Pontificio quod totum ſe tradidiſſet, Decretum Gratiani explicandum ſibi ſumſit, illudque Herculea, ut loquitur Crancius, audacia gloſſare aggreſſus eſt, quas ejus vigilias ſequentibus temporibus emendavit & ſupplevit Bartholomæus Brixienſis. In craſſiſſimis tenebris regni Antichriſti vidit aliquid lucis Evangelicæ. Nam cum in pago Waterleve novum idolum à ſuperſtitioſis ſacrificulis adorandum proponeretur magnusque incautæ imperitæque plebis eo confluxus eſſet, panem iſtum ſacrum ſive hoſtiam, quam miraculoſe ſanguinem ſtillaſſe prædicabant, ſacrificulo cuidam manducandum præbuit: calicem vero, qui ſanguinem exſudantem exceperat, pilæ cuidam templi ſummi, quod à fundamentis extruebat, includi præcepit. Adfirmans, non ut adoretur, ſed ut edatur, cœleſtem illum cibum nobis exhiberi. Remiſſos & pigrantes collegas coarguit graviter, fruſtra eos ſuas vices aliis demendare dicens, quod regula illa Juriſperitorum; *quod quis per alium facit, per ſe feciſſe videtur*; hic locum non inveniat: Deum à ſingulis vitæ actæ adminiſtrationе muneris commiſſi rationem repetiturum. Succeſſit ei in officio Hermannus Anhaldinus, qui anno MCCXLVI. Præpoſitum egit. Obiit igitur Semeca aut hoc ipſo aut præcedente anno, quod adfirmat Chronicon Joannis Winniſtedii MS. Corruit igitur quod Crancius affirmat, dignitate eſſe privatum à Clemente IV. Semecam: & hoc quidem ideo quod pro libertate & immunitate ordinis Eccleſiaſtici in Germania, à quo decimas omnium proventuum in uſum belli ſacri Papa exigebat, & voce & ſcriptis cordate & acriter pugnaſſet. Clemens enim anno MCCLXV. Pontificatum iniit, fuitque in eo annos III. menſes IX. dies XXV. cujus tempore ſemper invenio Præpoſitum Hermannum Anhaldinum, cujus antea memini, non vero Joannem Semecam, id quod ex multis tabulis ſive inſtrumentis obſervavi. Forte quæ tribuuntur, Clementi IV. ad Innocentium IV. referenda ſunt, ut ſit lapſus memoriæ in Crancio. Multa annotata ſunt de Semeca alia: & in his quod templum primarium ſive Dominicum, quod adhuc viſitur magnificum ſuperbumque, extruxerit: urbem Halberſtadium muro circumdederit: quæ omitto. Obitum tantum, qui tragicus narratur, abjiciā, nempe quod nigromanticus eſſet & magicis artibus nimium indulgeret, fulmine ictum cœleſti miſerrime conflagraſſe: quod totum ego fabuloſum puto, confictum ab æmulis, Papæ aſſentatoribus, quibus hic teſtis veritatis ex mediis tenebris ad lucem veritatis anhelans, ſeſe opponebat. Mauſoleum ejus adhuc viſitur ad latus meridionale Presbyterii ſive chori: in quo imago ejus habitu Canonici inciſa conſpicitur. Quod ſi tali ut perhibetur, tamque funeſta morte periiſſet, forte ei tantum honoris non fuiſſet tributum. Verſus Epitaphii, qui ibidem exſtant, ſunt hi:

Eſt, erit, atque fuit, qui deſiit eſſe, Johannes:
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis.
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum,
Hic jacet, & placet, ut vacet à pœnis miſerorum.

Hactenus de Joanne Semeca, redeo nunc ad Conradum Mariævallenſem. Is exiſtimabat ſibi ſuoque cœnobio aliquid juris eſſe in monaſterium Iſenhagenſe nuper fundatum. At Agnes Palatina, Henrici Saxoniæ Ducis & Comitis Palatini Rheni vidua adhuc ſuperſtes, edito ſcripto liquido teſtatum fecit, falli Conradum: nihilque ipſi juris eſſe in Iſenſagen: ſed ſubeſſe cœnobio Riddaghuſano. Subjungo partem Epiſtolæ: *Hanc ergo literam teſtimonialem noſtram valere volumus & habere robur irrefragabile contra Abbatem Vallis Mariæ, ſuosque monachos, ut ſi in poſterum aliquid ſibi in prædicto loco competere, vel ad ſe aliquo modo pertinere, dicere præſumſerint, certum atque indubitatum teneat omnis auditor, eosdem nobis & Abbati ſuisque fratribus in Riddageshuſen injuriari apertiſſime, & venire contra eam, quæ falſum non recipit, ſimpliciſſimam veritatem.* Datum anno gratiæ MCCXLVI.

Hoc tempore vivebat in Conventu Mariævallenſi *Bernardus*, Bartoldi Equitis aurati

aurati F. ex illuſtri *Wodenſwvegiorum* familia deſcendens. Joannis patruus, Bartoldi & Jordani frater.

N. N.

Bartoldus 1206.			*Joannes citatur in literis Ottonis Comitis de Lapide & de Gribene an. 1200. & 1210.*
Jordanus.	*Bartoldus.*	*Bernhardus monachus Mariævallenſis 1246.*	

Ex eadem familia Wodenswegiorum illuſtriſſima (ſic enim loquuntur Annales MS. Magdeburgenſes) prodiit jam ante Gero Archipræſul Magdeburgicus V. electus anno MXII. natus patre Dedone Wodenswegio, matre Elica: ipſe *præſul optimus, terror male potentum, exemplar benevolentium, egregius pietate, & qui omnia vellet ad perfectum ducere,* ut habent Annales iidem.

Obiit Conradus Abbas anno MCCXLVII. Otto Dux Brunſvicenſis nominat eum amicum ſuum dilectiſſimum.

XI. LUDOLFUS II. cœpit anno eodem, quo deceſſit anteceſſor. Gubernationis ejus anno tertio diſſipatum eſt Collegium Mariævallenſe, monachis in vicina ejusdem ordinis monaſteria ablegatis. Ei rei cauſam præbuit Otto, nobilis Dominus Hadmerslebius, qui prædium Mammendorfianum invadens, ædificia ejus exuſſit, ſupellectilemque omnem ſecum aſportavit. Hiſtoriam deſcripſit Reinholdus, tunc temporis Monachus & Diaconus, poſt annos aliquot Abbas Mariævallenſis. Anno MCCLII. Wilhelmus Romanorum Rex deſignatus, Brunſuigæ apud ſocerum agens, VallemMariæ in protectionem & tutelam S. Romani Imperii recipit. Confirmat ipſis etiam omnes largitiones *providas & commendabiles*, factas tum ab Alberto Duce Brunſuigio, ejusque anteceſſoribus, tum ab aliis piis hominibus. Diploma datum eſt VII. Kal Febr. Indict. X.

Eodem anno Theodoricus, nobilis Dynaſta de Amvorde, æmulatus majores ſuos, qui ut ipſe loquitur VallemMariæ intime dilexerunt, monaſterio aliquid agri aſſignat. Soror ejus germana, ſacerdos maxima in Collegio Quedlinburgenſi donationem fratris ſui ratam habuit. Arx hujus nominis ſupereſt, hodie ſubdita nobiliſſimæ Aſſeburgiorum familiæ, vulgoque Amfurt dicitur.

Wernerus de Amvorde anno MCCXXII. commutat quosdam agros in Siersleven cum Abbate Mariævallenſi Henrico.

Fridericus de Amvorde 1252.	*Theodoricus 1252*	*N. Abbatiſſa in Quedlinburg 1252.*

Anno proxime inſequenti Dux Albertus antedictus monaſterio facit poteſtatem piſcinæ cujuſdam faciendæ in nemore Asbruch.

Poſt triennium Ludolfus Comes Daſſilienſis, Bernhardi ex Anna Homburgia F. aliquid legavit monachis Mariævallenſibus, ut utriusque parentis, fratris omniumque anteceſſorum ſive majorum ſuorum memoria ibi peragatur. Teſtis litteris adducitur Ratherus Abbas Amelungsbornius. Datæ ſunt XI. Kal. Febr.

Hoc eodem anno Obiit Ludolfus.

XII. THEODORICUS ex Camerario electus Abbas, auſpicatus eſt regimen anno MCCLVI. præfuit annis X. A Volrado Kranichsfeldio Epiſcopo Halberſtadenſi nominatur *Servus fidelis & prudens circa talentum ſibi creditum, operando, & ſuperlucrando.* Bona monaſterii non parum amplificavit. Nam an. MCCLVII. decimas agrorum ad villas Merdorf & Rottorf comparavit ſibi à Ludolfo Esbeccio, equite aurato. Tenebat ille decimas à Friderico Comite Kirchbergenſi, Rottorfienſes à Gevehardo Comite Wernigerodio, tanquam vaſallus: qui ambo venditioni conſenſerunt. Sequenti anno ab Haltone Dynaſta Harbecenſi emit decimam Vogelbecenſem hodie Wölpke. Eodem tempore Albertus Dux Brunſvicenſis omnes donationes, hactenus diverſis temporibus factas, inter Mariævallenſes monachos & poſſeſſores pagi Em-

merſtadiani, confirmavit. Hi erant Gevehardus & Henricus Scoderſtedii, Ludolfus Wendenſis, Gevehardus Berveldius, Joannes & Hermannus Brunſrodii, & demum Abbas Werdinenſis Albero. Hi omnes cum jus ſuum, quod in pagum Emmerſtadium habuerant, hactenus, vendidiſſent, Dux prædictus monaſterio totum pagum addicit, exceptis tantum bonis quæ Templariorum Supplinburgenſium erant, & plebani Helmæſtadienſis.

Anno MCCLXII. ab Hermanno & Conrado Baronibus Warbergiis emit poſſeſſiones nonnullas, ſive fundos ſitos Neoſteti probe Auslebium pro quingentis marcis. Emtioni teſtes adfuerunt Conradus Comes Wernigerodanus, Conradus Dominus Dorſtadii, avunculus Baronum Warbergiorum, Luthardus Dominus Meinersheimius &c.

Anno hunc ſequente Walterus & Ludowicus, nobiles Domini Dorſtadii vendiderunt monaſterio Vallis loca quædam ſita Offendorpii in agro Luneburgenſi. Cum hoc modo cœnobium ſuum & fundis & annuis redditibus ditaſſet Theodoricus, pie in Chriſto obiit, ſempiternam ſui memoriam apud conventum relinqvens, anno MCCLXIV.

XIII. REINHOLDUS ſurrogatus eſt Theodorico eodem menſe ſeptembri, qvo ille obiit. Fuit homo pro conditione temporum doctus, laborioſus, controverſiarum arbiter æqvus & prudens, pater familias ac œconomus diligens. Monaſterium ingreſſus eſt anno MCCXLIII. anno MCCLVII. fuit cellarius, & deinde propter eruditionem Novitiorum Magiſter. Multa pro monaſterio utiliter & induſtrie egit, anteceſſori ſuo in omnibus ſimillimus. Priorem habuit Hildebrandum ab *Uteſſe* ſive *Vtze* hominem doctisſimum: cui anno MCCLXIX defuncto ſucceſſit Conradus de Sunſtidde, Bartoldi eqvitis aurati filius, qvi adhuc vixit anno MCCLXXX. Anno MCCLXIV, lis Reinholdo fuit cum Burchardo Decano Walbeccenſi ſuper nemore qvodam ſito inter Walbeccam & pagum Grasbeke, qvæ tamen mox ſopita fuit.

A Burchardo, Echerto & Hermanno, Burchardi Dynaſte Wolfebutelenſis filiis emit dimidiam partem decimarum agri Hamerslebienſis, qvam jure beneficiario à Volrado Antiſtite tenebant. Conſenſit iſte huic emtioni, qvæ facta eſt an. MCCLXIIX.

Anno ſeqventi Balduinus à Wenden, eqves torqvatus aliqvot jugera agri in campis Wackerslebienſibus Valli S. Mariæ donavit. Conſenſit Joannes Dux Brunſvicenſis. Qvinqvennio poſt Erlewinus Ummendorfius, Eccleſiæ Magdeburgenſis, ut ſe nominat, miniſterialis, aliqvot manſos donat Valli Mariæ. Filij ejus, Bernardus & Conradus his bonis renunciarunt: Idem fecit Jutta conjunx & filiæ duæ ejusdem cum matre nominis. Factum hoc eſt Sommerſeburgi, præſente Conrado Antiſtite Magdeburgio: cui aderant Conradus Wernigerodanus, Walterus, Barbojenſis, Henricus Blancoburgius, Henricus Reinſteinius, Comites, Richardus Alvenslevius Dapifer epiſcopi, Hildebrandus Bartenslevius, Conradus de Seehuſen, &c. MCCLXXIV. Anno Pontificatus Epiſcopi VI. Eodem anno Fridericus Comes Falcoſteinius pro ſalute animæ ſuæ aliqvid agri apud Wackerslebium obtulit cœnobio.

Anno MCCLXX. Ciſtertienſis monachi qvos Annales ab habitu Griſeos appellant, in Concilio Ciſtertienſi generali Ciſtertij congregato, decretum fecerunt, ne imposterum fraterculi mendicantes, qvi ſe minores vocant, in Ciſtertienſis ordinis cœnobiis, prædiis vel curiis admitterentur, ſed hoſpitium ipſis omnino denegaretur. Cauſam huic ſeveriori decreto Paulus Langius ſuſpicatur dediſſe. Lugdunenſe Concilium in qvo Gregorius x. P. R. ordinem mendicantium excreſcentem ad duos redigere conatus eſt. Annales Colmarienſes aliam afferunt cauſam, nimirum Abbatem qvendam Ciſtertienſem à minoribus in carcererem compactum, diriſqve ſupplicis excarnificatum, reiqve iſtius indignitate motum univerſum ordinem adverſus minoritas tanta acerbitate uſum, ut præter hoſpitium denegatum, neminem etiam ſuorum ſacris, qvæ iſti celebrarent, intereſſe voluerint. Sunt qvi odium ab habitu cinereo natum velint, qvem cum uſurpaſſent hactenus Ciſtertienſis, tum aſſumpſerint Franciſcani: unde adverſus hos illorum invidia. Hoc eodem anno Comites Barbojenſes, Mariævallenſibus monachis vendiderunt Curiam, qvam habebant Magdeburgi. Contractum Archiepiſcopus Conradus & Capitulum ratum habuerunt. Eodem pariter anno Beatrix Vidua Friderici, Comites & Burggravij Kirchbergij, Valli Mariæ ali-

quid

qvid legavit. Partem familiæ Kirchbergiæ, qvæ olim potens & ampla fuit, ex literis ac monumentis hiſtoricis, collectam, adſcribam.

Fridricus Comes Kirchbergius vixit anno M C LXXX. fuit incentor belli iſtius funeſti, qvod inter Conradum Archiepiſcopum Moguntinum & Ludovicum Thuringiæ Landgravium geſtum eſt. Periit miſere in Comitis Erfurdenſibus anno M C LXXXIV.

Hoc editi ſunt *Fridericus & Volradus. Fridericus* Halberſtadij Canonicum egit, neqve de eo plura invenio.

Volradus ditionem paternam gubernavit, & filios reliqvit *Fridericum, Rudolphum & Conradum. Fridericus* multis ſui temporis Principibus gratus fuit, paſſimq; negotiis publicis adhibitus eſt. Inveni nomen ejus citatum in literis Meinardi Epiſcopi Halberſtadenſis anno MCCLI. Ottonis Ducis Brunſvicenſis anno MCCLII. Volradi Epiſcopi Halberſtadenſis anno MCCLVII. Ludolphus ab Esbeke decimam in Runſtede ab eo jure feudali tenebat, qvam cum Domino feudi reſignaſſet, interventu precum & precij pervenit ad Monaſterium Montis D. Mariæ prope Helmſtadium anno MCCLVII. *Rudolfus* ſacris initiatus Halberſtadi Canonicum egit, ſiqvidē ad Portenarij, qvæ ejus loci uſitata eſt, dignitatem aſcendit. Fit ejus mentio in multis literis Epiſcopalib. Vixit adhuc anno M CCLVII. *Volradus* Hildeſiæ primarij templi Canonicus fuit. Friderico ex Bertha conjuge geniti ſunt *Henricus, Wernerus, Hermannus, Fridericus, Burchardus, Giſela, Lucardis, Sophia.*

Henricus Comes Kirchbergius, eqves auratus citatur in literis fundationis cœnobij, qvod olim Alberoda, nunc Reifenſtein appellatur, anno M CCLXII. Humana reliquit anno M CC XC. ſepultus in monaſterij Ilfeldenſis ambitu cum tali Epitaphio:

Hac ſunt in foſſâ de Kirchberg nobilis oſſa.
Henrici Comitis, Deus ipſum ſuſcipe mitis.

Wernerus vixit in aula Wilbrandi Archiepiſcopi Magdeburgij anno M CC XLIIX. *Hermannus & Fridericus* tantum nominantur, ut etiam *Lucardis & Sophia*, ad annum MCCLXVI. *Burchardus* Burggravius Kirchbergius, rediens ex haſtiludijs Merſburgenſibus, ſolemnitate ſummâ habitis, ſubmerſus fertur in Sala amne cum tribus miniſtris; deqvo nihil affirmo. Factum dicitur anno M CCLXIIX.

Giſela nupſit illuſtri & nobili viro Wernero, Dynaſtæ Scernebecenſi, Friderici Halberſtadenſis Epiſcopi Prætori, ſive ut loqvuntur, Sculteto, eiqve peperit *Gertrudin* filiam.

Henricus Kirchbergius reliqvit filium Ottonem, Seniorem cognomento, qvi anno M CC XCIV. monaſterio Poſaugienſi hortum, ſive pomoerium; & anno MCCCI jus patronatus Eccleſiæ Briſevicenſis donavit. Hujus ditionem Erfurdienſes ferro & flammis vaſtarunt, Kirchbergio & Wintbergio arcibus funditus exciſis, qvod factum anno M CCCIII. Reliqvit filios *Ottonem Juniorem, Albertum & Hartmannum*, qvi donationes à parente factas ſuo aſſenſu confirmaſſe ſcribuntur, unde à Poſaugienſibus monachis in fraternitatem adſcribi meruerunt.

Hartmannus factus eſt Canonicus Halberſtadienſis. Citatur in literis Friderici & Everhardi nobilium de Suſelitz anno M CCC XCI.

Inſigne Comitatus Kirchbergiani eſt fœmina mauritana, nigro habitu induta, gerens manibus infulam Epiſcopalem.

Plura de hac familia non habeo: in Vallem igitur Mariæ revertor. Ei bene fecit circa hoc tempus Bertradis Abbatiſſa Qvedlinburgenſis, aliqvot agri jugera Collegio offerens. Erant cum illa tum Alheidis Præpoſita Mechtildis Spiegelbergia Decaniſſa, Heidwigis cuſtos, ao. MCCLXXX.

Anno MCCLXXXVII. *Wernerus, Gardolfus & Otto* fratres, *Ottonis* filii, Domini in Hadmersleven recordati damni illius, quod ante X X X. annos parens ipſorum Mariæ Valli intulerat, ut monachos placarent, pœnamque perpetrati ſacrilegii à ſe ſuisque poſteris amoverent, monaſterio duos manſos in agro Wegerslebienſi dono dederunt.

Otto

Otto nobilis Dynaſta Hadmerslebius, homo inquietus & turbulenti ingenii, anno 1251.

Wernerus 1287. vixit adhuc anno 1303. — *Gardolfus qui alibi Garduinus nominatur 1293. vixit adhuc 1308.* — *Otto junior 1287.*

Albeidis 1290.

Triennio poſt Rudolfus Imp. ad judices & Capitaneos agri Saxonici ſcribens, hortatur eos, ut monaſterio Vallis Mariæ ſecundum pacem Erfordiæ ſancitam, ſecuritatem præſtent.

Reinholdus vero, poſtquam hoc modo Collegii ſui bona amplificaſſet, exercitia monachorum, cultumque divinum omnem ordinaſſet, ac totis XXXIIX. annis non tantum præfuiſſet, ſed profuiſſet, vitæ laborumque ſatur, anno MCCXCII. XXVII. Octobr. ex hac mortali vita emigravit, ſepultus in domo capitulari, cum hoc Epitaphio:

Anno Milleno, trecenteno, minus uno,
Tranſiit à ſeclo, qui jacet hoc tumulo.
Annis in Domino bis denis ſedit & octo.

XIV. EBERHARDUS fuit Supprior anno MCCLXXX. Prior anno MCCXC. Anteceſſori ſuo ſucceſſor datus eſt, cum ille adhuc viveret, ſed ſenio curisque hauſtus decumberet. Statim poſt electionem emit tres manſos in Wegerslebio ab illuſtribus & generoſis viris, Domino *Henrico Herwico, Conrado & Annone Annonis filiis, Heimburgiis*, cui venditioni aſſenſum præbuit *Anno* filius *Henrici* dictorum fratrum patrui. Illuſtrem hanc familiam, quæ olim inter Barones Saxonicos locum, & multa ad ſylvam Hercyniam & circa Scheningam bona habuit, quæ partim Brunſvicenſium Ducum, partim Imperii feuda fuerunt, ex antiquis tabulis, diplomatis & literis publicis congeſtam, Aſchio Heimburgio, Canonico Hildeſienſi communicavi. Heic partem tantum ſubjungam.

Heilwigis. — *Anno nobilis de Heimborg.* — *Sigfridus de Heimborg. 1146.* — *Henricus monachus Benedictinus Magdeburgi.*

Sigfridus 1176. Citatur in literis Henrici Leonis. Obiit 1199.

Henricus eques auratus. Uxor Jutta Gaterslevia. — *Anno, eques auratus, Dapifer Ottonis Brunſuicenſis 1252. Uxor N. à Meinersheim.*

Nicolaus fuit an. 1250. in aula Ulrici Comitis Reinſteinii, Citatur in literis Volradi Epiſcopi Halberſtadenſis 1257. — *Lippoldus 1236.* — *Joannes.* — *Cunegundis 1230.* — *Albeidis.*

Henricus magiſter Ordinis Teutonici in Livonia 1245. — *Anno, Canonicus Halberſtadenſis. Citatur in multis literis Volradi Epiſcopi Halberſtadenſis ab an. 1257. usque ad annum 1293.* — *Heino nominatur in literis Ottonis Ducis Brunſuicenſis anno 1250.*

Anno, uxor ejus N. ab Oſingen, Henrici. F. — *Henricus 1270.* — *Bia.*

Henricus Herwicus. — *Conradus. Anno.* — *Anno eques, Cunegundis Warbergica 1306.* — *Henricus obiit anno 1287.*

Anno MCCXCVII. Hermannus Antiſtes Halberſtadenſis, ex Comitibus Blanckoburgiis natus, cum Abbatibus monaſteriorum Walkenredenſis, Mariæ Vallenſis, Riddageshuſani, quos in jus vocarat, in gratiam rediit, condonans illis quicquid jure poſſet poſcere. Literas ejus ſemel atque iterum, diverſis in locis mihi exhibitas adſcribam integras. *Hermannus Dei gratia Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vene-*

venerabilibus ac religioſis viris, Walkenrede, Vallis S. Mariæ, Riddagesbuſen, & Lapidis S. Michaëlis monaſteriorum Abbatibus, ac eorundem conventibus ſuam gratiam. Specialis illa dilectio, quam circa ordinem veſtrum nuper habuimus, nec non voluntatum veſtrarum, in cauſis vobis per nos in qvibusdam terris, decimis & poſſeſſionibus aliis movendis, ad noſtrum beneplacitum ſpontanea & devota ſubmiſſio, nos favore congruo provocaverunt, qvod in prædictis cauſis, qvas nobis coram venerabili Domino Nuwen[illegible]enſi Epiſcopo, Abbate monaſterii S. Michaëlis Hildenſemenſe, & Præpoſito Eccleſiæ in [illegible]herberg Hildenſemenſis diœceſis, judicibus ſeu exſecutoribus, nobis à ſede Apoſtolica deputatis, à qvibusdam jamdudum ad nos literæ citatoriæ deſtinatæ movere intende[illegible], liti ſimpliciter cedimus, & nobis moturas remittimus actiones, in hujusmodi circa [illegible] potius modeſtiæ qvam rigoris viam incedere benignius eligentes. Concedimus inſuper [illegible] ut res & poſſeſſiones, qvascunqve hactenus poſſediſtis, quæ ad vos ex donatione [illegible]is Domini Epiſcopi & Capituli Halberſtadenſis Eccleſiæ ſunt translatæ, poſſidea[illegible] perpetuum pacifice & qviete. Datum Halberſtad. anno M CC. XCVII. VII. Kal. Jul. Pontificatus anno primo.

Ex qvibus qvidem literis apparet, qvam craſſe hallucinatus ſit Joannes Winiſte[illegible] in Chron. MS. Epiſcopum hunc ſcribit cœpiſſe anno M CC LXX. obiiſſe [illegible] XXXI. qvem errorem ſeqvitur Caſpar Bruſchius, ſeqvuntur alii.

[illegible]oribus annis Otto Dux Lunæburgenſis, cognomento ſtrenuus Joannis F. [illegible] Archiepiſcopi Magdeburgii, Epiſcopi Halberſtadenſis, nec non Ottonis & Her[illegible] Marchionum Brandenburgenſium contra Albertum pinguem & Henricum [illegible]m Duces Brunſvicenſes bella geſſerat, qvæ cum monaſterii Vallis Mariæ bona [illegible]r afflixiſſent, de damno reſarciendo idem Princeps ſolicit⁹, à telonii Cellenſis [illegible]alibus monaſterium immune facit. Literæ datæ ſunt in caſtro Lutter anno [illegible] C. teſtes adducuntur Balduinus Kneſebecius, Rutgerus Guſtedius, Waſmodus [illegible]cius, Burchardus a Cram, Aſwinus à Saldern, Joannes à Gerſtenbutle, Geve[illegible] Schulenburg. Triennio poſt Eberhardus Abbas profectus eſt ad monaſterium Veteris Montis, viſitaturus ſui cœnobii patrem ſeu inſpectorem.

Erat tum temporis in armis Imperator Albertus Auſtriacus, Cocles cognomen[illegible] ad Coloniam Agrippinam caſtra habebat, oppugnans Wicboldum Archiepiſco[illegible] Colonienſem Baronibus Weſtphalicis de Holte oriundum, & Coloniam armata [illegible]u defendentem. Ea occaſione uſi Abbates Veteris Montis, & Mariæ Vallenſis, ad [illegible]em profecti ſunt: à qvo honorifice excepti ambo, Mariæ Vallenſis etiam in pro[illegible] & tutelam Imperialem receptus eſt. Diploma datum eſt anno M CCCII. III. [illegible] Octobris.

[illegible]imo anno Eberhardus ex hac vita emigravit, ſepultus juxta anteceſſorem [illegible]. Tumbæ inciſi ſunt hi verſus:

Poſt annos mille, trecentum tres obit ille
Alter Bernardus, in valle ſedens Eberhardus:
Rexit trimatu feliciter abſqve reatu.

XV. WASMODUS anno M CC LXXXVI. fuit Cellarius, deinde Prior: dele[illegible] Abbas anno MCCC III. Præſedit annis XVII. utiliter. Primo ejus regiminis an[illegible] Henricus Comes Reinſteinius manſum unum & ſex jugera in villa Hamersleve [illegible]om[illegible]ibus juribus a Simone Comite de Daſle ſibi data & in ſe translata ad petitio[illegible] Joannis, & Ludolfi de Jerxſen cum aſſenſu ſuorum hæredum cœnobio Mariæval[illegible] donat. Secundo gubernationis anno ab Hermanno, Conrado, Ludolfo & Joanne [illegible]mitibus Woldenbergiis impetravit villam in pago Eilsleven. In literis donationis [illegible] allegantur Reinerus Abbas Riddageshuſanus, Henricus & Hermannus Comites Woldenbergii, monachi, hic Luccenenſis, ille Riddagshuſanus.

Anno M CCCV. Conradus Warbergius, Hermanni F. contulit monaſterio ali[illegible] agri prope Alvensleben ſiti, qvod Joannes & Fridericus de Hornhuſen feudi no[illegible]e ante poſſederant. Teſtes nominat Bartholdum de Scheningen, Fricconem de [illegible]me[illegible]ſtorp, Albertum & Bartoldum fratres de Spegel, Henricum & Joannem de [illegible]ndorp, Waſmodum de Wackersleve, omnes caſtellanos in Sommerſeburg, ubi [illegible] ſunt datæ.

Biennio poſt à Borchardo & Echerto fratribus de Hindenburg & Aſſeburg, eqvitibus auratis, emit Waſmodus curiam Brunſvigæ in ea urbis parte, qvam Indaginem

ſive Hagam vocant, prope portam Rodingiam juxta curiam Riddageshuſani mona-ſterij, & alteram qvæ Commendatoris Luccemenſis erat, ſitam. Erant illæ ædes feu-dum Ducum Brunſvicenſium Alberti & Henrici, qvi cum hæredibus conſenſerunt. In literis emptionis Alberti liberi hi nominantur: *Otto*, *Albertus*, *Wilhelmus*, *Luderus*, *Joannes*; *Albeid*, *Rikenze*, *Mechtildis*. In literis Henrici exprimuntur ejus liberi: *Henricus*, *Erneſtus*, *Wilhelmus*, *Ilſinia*. *Albeidis*, *Facie*. Poſtremum nomen inveni et-iam modica variatione *Facia* ſcriptum. Anno M CCC X. Petrus Abbas S. Ægidij in urbe Brunſvicenſi vendidit Waſmodo Abbati Mariævallenſi undecim manſos in Pa-go Algeſtorp.

Mariæ vallenſes monachi, facultatem conſecuti erant emendi curiam Helmæ-ſtadij, quod & fecerunt. Qui locus cum anguſtior eſſet, qvam vellent, & ne eſſitas videretur requirere, de eo amplificando cogitabant. Accidit commode, ut Wilhel-mus Abbas Werdinenſis Helmæſtadium veniret. Is rogatus à Waſmodo Abbate e-jusque Conventualibus, non tantum ſtructuram inchoatam confirmat, vero etiam concedit eis licentiam coëmendi vicinas alias ædiculas, eaſque conjungendi. Facit præterea poteſtatem ibi legendi Miſſas, quas vocant: ita tamen, ne inde aliquid detri-menti caperet tam monaſterium San-Lugderianum, quam parochialis H[illegible]ſtadij ecclesia. Hæc omnia rata habuit Dux Brunſvicenſis, Henricus, item ſenatus populus-que Helmæſtædenſes, quem iſta re primum offenſum cum Mariævallenſib⁹ ad [illegible]-diam deduxerunt Cæſarius San-Ludgeri, & Joannes montis Divæ Virginis Præpoſiti. Acta ſunt hæc omnia anno M CCC XXXV. Hæ ædes poſt annos CCLIX. [illegible] Pæ-dagogium, Gandeſia Helmæſtadium translatum exceperunt, eique ab iſto tempore domicilium præbent.

Anno M CCCXIX. Joannes XXII. P.R. bulla quadam Archiepiſcopum Magde-burgenſem & Decanos S. Bonifacii Halberſtadenſem & S. Blaſij Brunſvicenſem conſti-tuit cœnobij Mariævallenſis tutores Eccleſiaſticos, contra omnes tam ſeculares quam Eccleſiaſticos monaſterium in bonis ſuis turbantes. Obiit Waſmodus ao. M CCCXX XV, Kal. Junij.

XVI. HENRICUS III. cœpit eodem anno. Ejus tempore Baſilius Rutenber-gius poſſeſſiones nonnullas vendiderat monaſterio Mariærodenſi. Hunc contractum ratum habebat Florinus Dalemius, in cujus matrimonio erat Baſilij ſoror Gertrudis. Erant iſto tempore Mariærodæ Johannes Walkenredenſis. Henricus Riddagshuſanus, Jordanus Luccenſis, & hic de quo dicimus, Henricus Mariævallenſis, Abbates [illegible] Ciſtercienſis. Acta ſunt anno M CCC XXII. Biennio poſt compoſita eſt controver-ſia qvæ erat Borchardo parocho Wulvelburgenſi, ejusque fratri Hermanno Bejer-ſtadio, cum tribus Abbatibus Henrico San-Ægidiano Brunſvigæ, Herwico Riddags-huſano & Henrico Mariævallenſi. Arbitri fuere Ludolfus Præpoſitus Hadmerslebi-enſis & Henricus Alvenslebius eques torquatus, Erxlebij Dominus.

Obiit Henricus anno M CCC XXVI. menſe Septembri, cum ante paucas ſeptima-nas monaſterium, ingenti, ut ſuperſtitioſe credebat, beneficio affeciſſet. Nam ejus rogatu Johannes, Provinciæ Saxoniæ fratrum minorum miniſter, *Collegium Mariæ-vallenſe particeps fecit omnium Miſſarum, vigiliarum orationum, jejuniorum & caſtiga-tionum, aliorumq́; bonorum operum, qvæ per fratres ejusdem ordinis in LXXXVI domi-bus Deus dignatur operari*. Literæ datæ ſunt Magdeburgi, anno jam dicto prid. 9. Aug.

XVII. CONRADUS II. ex Cellario Abbas cœpit eodem anno, præfuit annis VI. Vidit monaſterio ſuo eripi prædium Eskenrode juxta Guterbergum, quod ſemel ad alios devolutum nunquam deinde recuperari potuit.

Eodem anno, quo obiit, majorem ſenſit calamitatem. Etenim Guncelinus Wan-celebius, ejusque filius Johannes, Gumpertus Starendorpius, & Sturo Polanus, homi-nes profani & petulantes, Warslevium & Mammendorpium, prædia monaſterij ho-ſtiliter invaſerunt, pecora abegerunt, ſupellectilem omnem abſtulerunt. Neque iſto contenti fuere, verum duos fratres laicos, *converſos* vulgo vocant, veſtibus exu-tos, in carcerem compegerunt. Accuſati hoc nomine, ab Epiſcopo Magdeburgenſi multati ſunt ex marcis argenti, pro qvibus ſex manſos Cummerſtorpij prope Magde-burgum ſitos, injuria affectis aſſignarunt.

XIIX. JORDANUS electus eſt anno M CCC XXX. De eo nihil annotatum in-venio, niſi quod triennio poſt electionem aræ S. Pauli & Bernwardi in templo S. Stepha-

ni Hel-

ni Helmæſtadij donarit duos manſos Algerſtorpij ſitos, qvos antea poſſederat Henricus Amſurtius & Metta conjux ejus. Eidem aræ aſſigna‹v›it villam & manſum cum dimidio in pago Ridepe ſitum, quem *Ermbrechtus Sunſtedius*, eques magni nominis, ut vaſallus hactenus tenuerat.

Burchardus Sunſtedius.

Ermbrechtus eqves 1330. Otto 1350. Borchardus 1350. Ulricus.

Borchardus 1359.

Vitam cum morte commutavit Jordanus an. MCCCXXXVI. die XX. Sept. qui Divæ Fauſtæ ſacer eſt.

XIX. JOHANAES II. electus eſt eodem anno menſis Octobris initio. Invenit monaſterium multo ære alieno gravatum. Significavit id fratribus ordinis Ciſtercienſis, Divione Synodum celebrantibus, â quibus facto Decreto conceſſa eſt ipſi facultas vendendi bona nonnulla quæ erant in urbe Brunſviga. Verba Decreti hæc ſunt: *Petitio Abbatis de Valle S. Mariæ, qui petit, ut pro utilitate monaſterii ſui, & ſolutione debitorum poſſit vendere penſiones ad vitam, ſeu reditus minus utiles, & parvas poſſeſſiones, vel etiam permutare, ſalva ordinatione Papæ, & dentur Abbates vicini de Riddagshuſen, & de Bezingerode, exauditur: Permittitq; generale Capitulum dictis Abbatibus ut ad dictum monaſterium perſonaliter accedentes videant & inqvirant de neceſſitate dicti monaſterii, vel utilitate, voluntate patris Abbatis, & inde faciant & referant, qvid faciendum vel referendum ſit, juxta ordinationes prædictas. Datum in Divione.* Decretum hoc approbavit Philippus Abbas Aldenbergenſis, tanqvam Ordinarius Viſitator Vallis Mariæ, qui cum coram adeſſe non poſſet, vices ſuas demandavit Amelunxbornio Præſuli. Inſequente igitur anno MCCCXXXVII die S. Margaretæ, in monaſterio Vallis Mariæ convenerunt Henricus Amelunxbornius, Theodorus Riddagshuſanus, & Johannes Mariærodanus Abbates, & inſtituta diligenti inquiſitione de ſtatu monaſterii dederunt abbati Johanni Licentiam vendendi domum quandam in urbe Brunſviga, cui nomen curia longa. Eam dato precio ſuo monaſterio, comparavit Riddagshuſanus. Tempore iſtius venditionis erant in Valle Mariæ monachi XXXIV. & inter hos Hildebrandus Bartenslevius, Ludolfus Velthemius, Fridericus Hordorpius, Fridericus Berwincelius, equeſtris ordinis hominibus nati. Nono anno poſt Guncelinus Bartenslevius, ejusque frater Wernerus fundarunt aram in ſacello iſto quod eorum parentes in Valle extrui curarant. In hoc ſacello mandat Guncelin⁹ ſacrum annuum fieri in memoriam conjugis ſuæ Mechtildis, & hoc nomine cœnobitis eleemmoſynam largitur.

Familia hæc *Bartenslevioru m* etiamnum ſuper eſt, amplificata hæreditate Comitum Oſterburgiorum. Ultimi enim hujus familiæ Sigefridi filiam duxit Guncelinus Bartenslevius, & ex ea duos genuit filios Guntherum & Hildebrandum.

Guncelinus Bartenslevius, Uxor N. Filia Sigefridi Comitis Oſterburgij.

Guntherus caſtrenſis in Vorsfelde 1288. — *Hildebrandus citatur in literis anno 1268. & 1272. à Conrado Archiepiſcopo Magdeburgenſi. Vixit adhuc anno 1279.*

Guncelinus 1318. — *N. uxor Henrici à VVenden equitis aurati 1318.* — *Borchardus vixit anno 1318. citatur in literis Ottonis Ducis Brunſvicenſis 1330.*

Borchardus obiit ante annum 1346.

Guncelinus eques fundator aræ in Sacello Mariævallenſi 1346. Uxor Mechtildis — *Borchardus* | *Guncelinus.* — *VVernerus eques auratus 1322.* | *VVernerus equus auratus 1366.* — *Guntherus reſidens Rodenbovii anno 1344. Uxor Cunegundis.*

Ludolfus Præpoſitus Soltvvedelenſis 1346. — *Guncelinus Canonicus Merſeburgenſis 1346.* — *Guncelinus eques auratus cognomẽto claudus Giſela uxor* | *Guntherus 1383.* — *Buſſo 1383. Uxor Elſabeth Ludolfi ab Honlage F. deſponſata eſt anno 1384.*

Guntherus 1366. — *Hunerus 1366.* — *Ode nupta N. Berlevio.* — *Elſabeth uxor N. à Plate.* — *Mechtildis conjunx N. Luderitii.*

Joannes Abbas Vallis Mariæ obiit MCCCL.

XX. HENRICUS IV. cœpit eodem anno. Hic cum conſenſu Conventus ſui vendidit totalem decimam in campo in villa Vogelbeke, cum omni jure & proprietate ac libertate, qua monaſterium Vallis à retroactis temporibus iſtum poſſedit, Præpoſito & Conventui Sanctimonialium Fontis S. Mariæ pro CX. marcis Stendalienſis argenti, & V. coris ſiliginis. Teſtes hujus rei ſunt Bodo Prior, Theodoricus Subprior, Ludolfus Cellarius, Ludolfus de Werberg MCCCLVI. die ad Petri vincula. Ipſius tempore graſſabatur peſtis per univerſam Saxoniam, quæ multa monaſteria vacua reddidit. In Valle Mariæ quinque tantum remanſere ſuperſtites, cœteros lues contagioſa abſumſit. Obiit hic Præſul anno MCCCLXI.

XXI. HERMANNUS I. cœpit anno MCCCLXI. præfuit non totum triennium, utiliter tamen. Primo tamen ſtatim anno gubernationis coactus eſt vendere Meinhardo Præpoſito & Lucardi Priorisſæ monaſterii Montis Mariæ prope Helmæſtadium, decimam in agro Bendorfienſi pro L. marcis argenti puri. Nominantur in literis Otto Prior, Jordanus Burſarius, Joannes Subprior, Albertus Cuſtos. Verum mox à Waltero & Ludovico Baronibus, ſive nobilibus Dynaſtis Dorſtadiis, emit villas aliquot Oſſendorpii in agro Luneburgenſi. Ibidem poſſidebant bona Kislevii nobiles. Hermannus hæc ſimiliter data pecunia ſuo monaſterio comparavit. Conſenſerunt huic venditioni Hervvigus Gebhardi, & Ludovicus Widekindi FF. ambo Kislevii, anno MCCCLXI. Biennio poſt obiit Hermannus III. Idus Octobris.

XXII. GERHARDUS eligitur anno MCCCLXIII. præfuit ſexennio. Exemplo anteceſſoris poſſeſſiones monaſterii non minus auxit. Nam Walterus & Ludovicus Barones Dorſtadii pagum Rennovv, quem Bartenslevii equites nuper tanquam vaſalli eorum beneficio poſſederant, ſed monachis Mariævallenſibus vendere coacti fuerant, ſua auctoritate monaſterio confirmarunt. Tranquillioris vitæ amore abdicavit ſe munere & privatus deinde inter fratres vixit.

XXIII. HERMANNUS II. eligitur anno MCCCLXIX. præfuit annis IV. & anteceſſoris poſtmodum exemplo muneri ſuo reſignavit. Id qur tam ipſe, quam alii, qui eum in iſto officio ſunt ſequuti, facere voluerint, non invenio annotatum. Hoc deprehendi, in ære alieno fuiſſe monaſterium, quæ cauſa forte eos impulit, ut honori moleſto valedicentes, quieti & otio ſe dederunt.

XXIV. JOHANNES III. cœpit MCCCLXXXIII. Altero gubernationis anno Hermanno Præpoſito ſummi templi Magdeburgi, ex Baronibus Warbergicis, vendidit tres manſos Bornſteti, una cum decimis majoribus & minoribus. Hic Hermannus Warbergius natus eſt avo Hermanno Warbergio, ex N. Wernigerodana Comite. Parens fuit Conradus, in cujus matrimonio fuit Mechtildis fœmina pientiſſima, quæ poſt mariti obitum cum filios ad ordinem Eccleſiaſticum promoviſſet, omnibus exemplo fuit ſingularis cujusdam religionis. Nam Helmæſtadii prope templum San Walburgianum conſenſu ſenatus ejus loci curavit ſibi extrui ædiculam, in qua orationibus & jejuniis vacans ultra XXIV. annos vixit. Filios, ut dixi, ſacris addixit, & Hermannus quidem ex Canonico ſummi templi Magdeburgi electus eſt Decanus, in quo fuit ultra annos XX, demum Præpoſiti munere defunctus. Alter Ludolfus nomine, in Valle Mariæ cucullum induit à Collegis Cellarii munere cohoneſtatus. Eodem anno Conradus Præpoſitus Montis Mariæ prope Helmæſtadium tres manſos dedit cœnobio Mariævallenſi, ut cederent ſibi decimam XIIX. manſorum, in pago Altena. Obiit anno MCCCLXXX. xxx. Octobr.

Quinto anno regiminis Johannis Abbatis Guntherus Bartenslevius, & Otto à Seggerden, prædia monaſterii Mammendorfium & Hakenſtetum abactis pecoribus ſpoliarunt circa feſtum Martini Epiſcopi.

Anno MCCCLXXXIII. fuit Johannes Gifhorni, in agro Luneburgico, cum conſecraretur capella ſive ſacellum prope muros oppidi conſtructum ab Eberhardo & Conrado Marenholtiis: gubernante Ducatum Alberto, ex Laoburgicis principibus Saxoniæ Duce.

Obiit Johannes anno MCCCLXXXIII.

XXV.

XXV. HENRICUS V. ex Borgiorum familia natus, præfuit monaſterio annis XIII. uſus eſt hoſte præpotente, quodam ordinis equeſtris viro, qui non nominatur quidem, multa tamen damna monaſterio intulit. Abegit enim ſemel atque iterum pecora tam ex monaſterio, quam prædiis, huic ſubjectis. Cumq; manipulum prædatorum Rottorfii graſſantem quinque monachi & novem coloni perſequerentur, ab illo ita excepti ſunt, ut pariter omnes occubuerint. Cum luctu domum relati, quod in eadem cauſa, eodem letho occubuiſſent, uno in ſepulchro conditi ſunt. Anno MCCCLXXXIV. monaſterio Hujesburgenſi Henricus conceſſit agros nonnullos, ſitos in campis Hamerslevienſibus & Wederslevienſibus, recipiens ab illis annuum cenſum: marcam nempe Brandeburgenſem unam cum ſemiſſe. Obiit Henricus anno MCCCXCVI. quo ipſo paulo ante obitum vendidit Conventus ſeoatui Helmæſtadienſi lapicidinas ſuas, ut libere ex iis lapides in oppidi uſum cædere ipſis liceret, pro Marcis X. Brandenburgenſibus: annexa clauſula, ut ſoluta eadem pecuniæ ſumma liberum maneret monaſterio lapicidinas ſuas redimere. Factum id in octava Petri & Pauli.

XXVI. JOHANNES IV. electus eſt eodem anno, præfuit annis XVI. Infeſtarunt eum nonnihil Alvenslebii, Calbæ tum temporis habitantes: cum quibus tamen paullo poſt rediit in gratiam, cum pro dato damno ei ſatisfeciſſent. Abdicavit ſe præſulatu Johannes anno MCCCCXII.

XXVII. UDALRICUS, qui in quibusdam literis, eſt Olricus, rexit monaſterium annis XX. Altero ab electione anno à Ludolfo & Johanne, patre & filio, Honlagiis, emit quidquid juris illi habebant in Oſſendorpio, agri Luneburgenſis pago. Barones Warbergios habuit patronos. Cum enim Buſſo Jerxheimius pomarium quoddam monaſterio Vallis Mariæ vendidiſſet Scheningæ ſitum, Ludolfus Warbergius dynaſta, ejusque filii duo Johannes & Gebhardus Domini feudi venditionem ratam habuerunt anno MCCCCXIX.

Contra Veltheimios infenſos expertus eſt anno MCCCCXXVI. Nam cum hi habitarent Hötenslebii, ex eo Warslebium ſemel atque iterum invaſerunt. Status monaſterii tum temporis erat commodus, æs alienum nullum, in promptu pecunia non contemnenda; non minor aliis credita: annona in horreis luculenta. Nihilominus Udalricus, incertum qua de cauſa, honores iſtos amplius ſuſtinere noluit, ſed præſulatu ſe abdicavit, anno MCCCCXXXII.

XXIIX. HERMANUS III. Prior fuit MCCCXCVI. Abbas electus præfuit annis IX. Hujus tempore Baſileæ celebratur concilium, ad quod invitati Bohemi, miſſa iſtuc ſplendida Legatione trecentorum equitum fidei ſuæ rationem reddiderunt. Ad hoc concilium miſit Hermannus, ſui monaſterii monachum quendam, negociorum incertum quorum cauſa.

Anno MCCCCXL. Burchardum Epiſcopum Halberſtadenſem & Joannem Baronem Warbergium apud ſe hoſpites habuit, qui Gebhardo fratri defuncto annuum ſacrum impetrarunt.

XXIX. ALBERTUS reſignante Hermanno eligitur anno MCCCCXLI. die XIIX. Maji. Quamdiu præfuerit, non ſatis compertum habeo. In bibliotheca Vallis-Mariæ habetur Faſciculus temporum, ſive chronologia edita à Wernero Rolevingio, patria Weſtphalo, profeſſione monacho Carthuſiano. Huic libro à monacho philohiſtore nonnulla in quibusdam pagellis adſcripta ſunt. In iis annotatum eſt Albertum renunciaſſe officio ſuo anno MCCCCXLVI. Verum reperio adhuc alibi in literis nomen ejus tanquam Abbatis ad annum MCCCCLXXI. Hoc certum eſt obiiſſe eum V. Eidus Maji ſive die ejus menſis XI. Altero gubernationis anno acceſſerunt ad ipſum Georgius & Hildebrandus conſanguinei ambo Berwincelii, & monaſterio agellum, Tunderslebii ſitum, quem jure feudi & beneficio Comitum Mansfeldiorum poſſidebant, Vallis-Mariæ collegio aſſignarunt.

Familia Bervvinceliorum olim in his regionibus inter cæteras equeſtres non poſtrema fuit. Inveni in diverſis inſtrumentis donationum hujus familiæ non paucos. Quando deſierit, ut non plane inveſtigare potui, ita referendum puto, quod à primario quodam ordinis equeſtris homine, ſtudiis hiſce cum primis dedito, nuper didici

nempe bona Berwinceliorum ad Velthemios tranſiiſſe, atque hinc eſſe, quod familiæ huic quadrifidus ſit clypeus in qua trabes transverſæ, & ſimul termes arboris alterne collocata conſpiciantur. Conſtat autem Veltheimiæ ſtirpis antiquiſſimum inſigne eſſe trabes nigras. Termes igitur erit à Bervincelis. Guncelinus à Bervvinckel anno MCCXLVII. uxorem habuit filiam Bertrami Velthemii.

Anno MCCCLV. nonnulli Ducatus Luneburgici equites prædas agebant ex diœceſi Magdeburgenſi, abactis inprimis pecoribus Hallenslebium. Ea res peperit bellum inter Fridericum Burchardi F. Ducem Luneburgenſem & Fridericum Buchlingium Archiepiſcopum & populum Magdeburgenſem. Obſeſſum fuit caſtrum Klotzke à Magdeburgicis, ſed non occupatum. Dux Fridericus bona hoſtium, ubicumque potuit, detineri juſſit. Demum negocium per arbitros compoſitum eſt, die Helmæſtadii indicta: cui actioni Abbas Albertus compromiſſarius judex rogatus interfuit. Citatur adhuc in literis Hamerslebienſibus ad annum MCCCLX.

XXX. HERMANNUS IV. ſucceſſit Alberto, dubio quo anno. Crediderim tamen id factum anno MCCCLXI. nam eo in literis primum nominatur Hamerslebienſibus, cum Conrado Priore, & Henrico Burſario.

Invenit nomen pietatis, laudem induſtriæ: utrumque meretur noſtrum præconium.

Pauca de eo annotata, peneque nulla. Erat ei lis cum colonis Emmerſtadienſibus, de jure ſaginandi porcos, quod illi ſibi arrogabant in parte quadam nemoris pagi vicini. Hoc litigium compoſuit Dux Brunſuicenſis Wilhelmus anno MCCCCLXXIV.

Sub ipſo parari cœpta eſt *piſcina puerorum* dicta, der Kinderteich.

Anno MCCCCLXXIIX. evocatus eſt Mariærodam, ut viſitationi ibi inſtitutæ intereſſet. Ivit eo ſed non rediit. Nam morbo correptus decubuit ibi aliquamdiu, tandemque exhauſtus viribus fractusque obiit die Barnabæ.

XXXI. HENRICUS VI. patria Scheningenſis, officio Burſarius, eligitur anno MCCCCLXXIIX. Gubernavit monaſterium usque ad annum MCCCCLXXXIV.

Inter hunc & vicinos familiæ *Kislebiæ* equites, qui fuere Henricus & Albertus, Hermannus & Didericus, nec non Hervvigus Gebhardus & Wilkinus, controverſiæ erant de finibus. Has compoſuerunt Ludolfus Marenholtius & Otravus à Bodendick, anno MCCCCLXXIX. Otravus hic ſeptennio poſt cum ſenatu populoque Helmæſtadenſi inimicitias ſuſcipiens, armenta eorum, uti & monaſterii San-Ludgeriani abegit. Secuti ſunt cives armata manu hoſtem: ſed ille jam Ohram fl. tranſierat. Hanc controverſiam Abbas Henricus conſilio & auctoritate ſua diſcuſſit.

Ejusdem Abbatis tempore Wevelingæ ad Alarim habitabat *Laurentius Honlagius*, equeſtris ordinis, ſed ingenii inquieti & varii homo. Is cum propria decoxiſſet, alienis inhiare cœpit. Canonici Walbecenſes finitimos ejus territorio poſſidebant agros & paſcua: hæc invadebat ille, violenterque uſurpabat. Delata eſt res ad illos, qui utrisque imperabant, factumque poſt frequentes admonitiones, ut rei fractarius alienæ rei invaſor abſtentus redderetur. Perculſi eodem ſunt fulmine, quibus ille feriebatur, homines ſeditioſi alii & pacis publicæ turbatores. Et videbatur jam res ſpectare ad hominis everſionem. Miſerti igitur ejus tum vicini, quam neceſſarii, & tum Honlagium, tum Walbecenſes Canonicos invitarunt Haldenslebium, ut ibi negotium componeretur. Erant, quos dixi, vicini Henricus Abbas Mariævallenſis, Joannes Decanus templi S. Nicolai Magdeburgenſis, Fricco Alvenslevius, Buſſonis equitis torquati filius, Joannes Bartenslevius. Hi ablegatos à Collegio Walbecenſi, Wiprechtum à Barbui præpoſitum, Ludovicum Veltheimium Ludolfi filium, Buſſonem Schuleburgium, Buſſonis filium, & alios audiverunt de Honlagio conquerentes: audiverunt accuſati reſponſiones: quibus examinatis viderunt ab hac parte peccatum fuiſſe. Igitur auctores fuere Honlagio, ut reſipiſceret, ablata reſtitueret, alienis moleſtus non eſſet. Conſervatum ipſi tum temporis fuit jus Advocatiæ, in Eccleſiam Walbecenſem, quod majores ejus à multis annis poſſederant, ipſe vero pene perdidiſſe videbatur: conceſſumque ipſi eſt, ut jure iſto more conſueto uteretur de majoribus minoribusque pœnis fontibus irrogandis ſtatueret, ſalvo ſemper Canonicorum jure & privilegiis. Pro damnis Collegio datis, ipſorumque decimis interverſis ſolvit Collegio LX. aureos Rhenenſes. Promiſſa inſuper utrinque mutua benevolentia, defenſio, & ab omni

mni injuria & læſione abſtinentia. Acta ſunt hæc Dominica Judica, anno MCCCCLXXXI. Sexennio poſt Honlagius Wevelingam plane amiſit.

Anno MCCCCLXXXIII. Abbas Henricus una cum Amelunxbornenſi & Ma[illegible]rodenſi Abbatibus interfuit ſolennitati, qua Ecbertus Abbas Riddagshuſanus, civis Brunſvicenſis filius infulâ Epiſcopali à Sixto IV. Pontifice coronabatur. Eodem anno caſtrum Flechting & pagus proximus flammis conflagrarunt: incendio ab [illegible] quadam excitato.

Anno inſequenti, cum Erneſtus Archiepiſcopus Magdeburgius & Halberſtadius, urbem ſuam Halberſtadium obſeſſam domuiſſet, jamque copiæ dimitterentur, præter ſpem & opinionem Helmæſtadenſes cives & monaſterium Mariævallenſe ingens detrimentum acceperunt. Etenim Wunſtorpienſis & Holnſteinii Comitum copiæ ex caſtris evagantes, armenta ac greges tam urbis quam cœnobii abegerunt. Damnum Helmæſtadenſibus factum MDC. florenis æſtimatum fuit. De reſtitutione quidem actum, ſed nihil impetratum. Ea de cauſa Dux Brunſvicenſis utriusq; Comitis ditionem hoſtiliter ingreſſus, par pari retulit, ingentique damno dato ſuos vindicavit.

Abbas hic Henricus murum, qui monaſterium totum ambit, ſpecioſum illum & amplum, quod ruinoſus eſſet, dejecit, & quaqua verſum ab integro reſtauravit.

Magna tum temporis erat annonæ caritas, cui ſimilis vix audita, moleſtior ob id & gravior, quod in annos aliquot protraheretur.

XXXII. JOANNES HANNOVER. De hoc Abbate non multa quæ referam habeo. Inveni in Valle Mariæ librum qui ſequentia continebat. *Anno MCCCCXCI. compoſiti ſunt iſti ſtrenui de Alvensleven & Brunſuicenſes, qui diu ſteterunt in magna diſcordia. Sed Alvenslevenſes magnum damnum Brunſuicenſibus intulerunt per rapinam & incendia villarum: ita quod ex Brunſvicenſibus nullus audebat extra murum exire civitatis. Et hæc compoſitio facta eſt per Dominum Abbatem Joannem & ſtrenuum Fridericum de Alvensleve, & Ludolfum de Marenboltz.* Hactenus liber iſte, quem laudavimus, circumſtantiæ nos fugiunt.

Joannes Abbas adducitur adhuc in litteris Conventus Hamerslebienſis, cum Henningo Burſario ad annum MCCCCXCII. Annus vero obitus non annotatur.

XXXIII. LUDOLFUS ejus nominis ſecundus ſuccedit Joanni, nominaturque primum in literis monaſterii Hamerlebienſis ad annum MCCCCXCIII. Hujus temporibus circa annum jam dictum, & ſequentes in florentiſſimo Italiæ regno circa Neapolim, ubi Carolus IIX. Galliæ rex, cum Alfonſo Aragonico bellum gerebat, graſſari cœpit lues illa quam alii *morbum Gallicum*, quod in Gallorum caſtris [illegible]è ſævuiſſet, alii *Italicum* & *Neapolitanum* à loco in quo ſævire cœpit, alii alio [illegible]mine appellaverunt: hodie, citra nationum injuriam, *Luem Veneream* vocant, [illegible]d per venereum contactum præcipue ab uno in alium propagetur. Ex Italia [illegible]odum non per Europam tantum, ſed univerſum pene orbem diffuſa, nullas non [illegible]ones occupavit. Originem primam alii aquarum in Italia inundationibus, alii [illegible] & maligno ſiderum aſpectui, alii vino leproſorum ſanguine infecto, alii aliis [illegible]s transſcripſerunt. Doctiores à Chriſtophoro Columbo ex Novi Orbis inſulis, [illegible] Ferdinandi Catholici Caſtellæ Regis auſpiciis anno MCCCCXCII. detexerat, in [illegible] lues illa erat endemia, in Hiſpaniam primum atque inde ab infectis militibus in [illegible]m delatam cenſuere. Unde à prima patria, India Orientali nempe, *morbus Indi*[illegible] ab exportatoribus *Hiſpanicus* etiam dictus fuit. Morbus eſt præcipue libidinan[illegible]s & vagæ Veneri deditis familiaris, ipſisque in pœnam à ſummo Numine datus.

Anno MCCCCXCIV. Maximilianus I. Imp. conſenſu Ordinum Imperii ſummum [illegible]*licium Cameræ Spirenſis* inſtituit. Antea enim judicium Imperii Camerale nullo in [illegible] fixum erat, ſed aulam Imperatoris ſequebatur. Introductio facta eſt ab Impe[illegible]re pridie Kal. Novembr. Ludolfus Abbas in litteris Hamerlebientibus etiam ad [illegible] MCCCCXCVII. nominatur: in aliis Ordinum Ducatus Brunſvicenſis nomen [illegible] invenitur adhuc anno MDI: quo diem quoque ſuum obiiſſe conſtat.

XXXIV. HENRICUS ESCHERD, ejus nominis VII, eodem anno, quo Ludolfus obiit, monaſterio per electionem ſuffectus eſt. Sub hoc Abbate anno MDVI. graviſſi-

graviſſima peſtis in urbe Helmæſtadio locisque vicinis deſæviit, quæ multos e[illegible] monachorum Vallis-Mariæ vita exuit.

Anno MDX. Abbas Henricus Priori monaſterii Hamerslebienſis Bernardo [illegible] didit ad annos XXIV. curiam, quæ vocatur der Grawe Hoff. Venditioni interfuere Hermannus Abbas Riddageshuſanus, Henricus nobilis Dominus de Warberg, [illegible] mannus Abbas Hujesburgenſis, Ludolfus à Wenden & Conradus à Veltheim. [illegible] ra de ipſo non invenio, nec annus obitus annotatus eſt.

XXXV. HENRICUS HERWIST, nomine hoc [illegible], quo anno cœp[illegible]t, incertum eſt. Nominatur primum in literis ad annum MDXVII. deinde ad ann[illegible] MDXX. & MDXXIII. obiit vero Kal. Septembr. anno MDXXIII. Sub initium gub[illegible] tionis hujus Abbatis, anno MDXVII. *Martinus Lutherus*, S. Theologiæ Doctor, [illegible] dinis Auguſtinianorum monachus, primas ſuas Propoſiti[illegible]nes contra ind[illegible] Pontificias Tecelii publice diſputandas valvis templi in arce Electorali Witeber[illegible] affixit: atque annis ſubſequentibus Papatum ip[illegible]m maſculè oppugnare c[illegible] vamque quaſi poſtliminio Evangelii lucem per univerſam Euro[illegible] accen[illegible] noſtras etiam non multo poſt oras Dei opt. Max. beneficio illuminavit.

XXXVI. H[illegible]NNINGUS GIFHORNENSIS, ex agro Lu[illegible] monaſterii Prior fuit, cum Supprior eſſet Wichmannus, Andre[illegible] vero MDXXIII. in Abbatem electus, regimini monaſterii præfuit annis XII [illegible] tempora incidit famoſa illa ruſticorum ſeditio, incentore Thom[illegible]a Muncer[illegible] men ab Henrico Juniore Duce Brunſvicenſi, cui ſe Georgius Saxoniæ Dux [illegible] graviusque Haſſiæ Philippus aſſociarant, ad oppidum Franckenhauſen [illegible] ſeditionis dedere, Duce ipſorum capite plexo. Factum id anno MDXXV

Hujus etiam Abbatis tempore regiones haſce invaſit, & immane [illegible] xit lues illa, quam *Sudorem Anglicum* dixerunt, & febrem ſudatoriam. [illegible] in Anglia orta annis ferè XL. eam continuè & graviter afflixerat: inde [illegible] MDXXV, ex Anglia in vicinum Belgium, ac porrò in Daniam ac Nor[illegible] mum Germaniam perrexit, ubi anno MDXXIX. & ſequenti atrociſſimè [illegible] multa millia letho dedit. Ægri ſudoribus diffluebant continuis, qui non a[illegible] nebant, quam morb[9] ſolveretur. Fiebat id intra horarum XXIV. ſpatium, qu[illegible] rabant, convaleſcere ſenſim, reliqui Libitinam ditare ſolebant. Obiit Ab[illegible] ningus anno MDXXXV, ad diem III. Januar.

XXXVII. JOANNES ejus nominis V. cognomento HAMELN el[illegible] Priore monaſterii Abbas anno MDXXV. In annum electionis ejus [illegible] cupatio urbis Monaſterienſis in Weſtphalia, quam Anabaptiſtæ [illegible]ebant. [illegible] pra Rex Anabaptiſticus, *Joannes à Leiden*, complicesque no[illegible] f[illegible] lacerati, & in caveis ferreis de turre ſuſpenſi ſeditionis pœnam luerunt. [illegible] vit Joannes Vallem Mariæ annis tantum IV. non integris. Obiit XVI. Kal. [illegible] MDXL.

XXXIIX. LUDOLFUS DIDERICUS præeſſe cœpit anno eodem [illegible] mox ſequentibus XIX. clavum monaſterii tenuit: verum adeo n[illegible] omnia pudeat. Luxu, otio, & laſcivia diffluens peſſimè apud omnes a[illegible] tumultus bellici, qui tunc temporis inſtar procellarum ac [illegible] infeſtabant, ſupremi magiſtratus officium retardaſſent, tem[illegible]ori[illegible] ſtigio fuiſſet dejectus. Factum tamen id eſt cum menſuram nequitiæ in[illegible] ſpectorum evigilaſſet fidelis & tempeſtiva animad[illegible]o. E[illegible] dagshuſanus & Mariærodenſis Antiſtites, qui de Sententia & volunt[illegible] Archimandritæ Ludolfum convictum, nihil[illegible]e eorum, de qvi[illegible]s ac[illegible]ur[illegible] antem, dignitate privarunt. Qvem tamen ſucceſſ[illegible]rem hab[illegible], hunc eunde[illegible] defunctum vidit: de iſto ſibi gratulans, minime tamen ſolide, [illegible] pœna eſſet. In Abbatis hujus tempora incidit te[illegible]peſtas g[illegible]ue [illegible] tum Brunſvicenſem atrociter afflixit: qua Henricus Junior, Pr[illegible] ſed religioni avitæ pertinacius adhærens, à Smalcaldici fœderis [illegible] ne exutus, tandem etiam ab Haſſiæ Landgrafio captus, & bienn[illegible] in carcere detentus fuit: donec juſſu Caroli V. Imp. anno MDLVII. cui Land[illegible] Halæ Saxonum ſupplex fiebat, dimitteretur, ac ditione[illegible]

XXXIX. JOANNES VI. dictus COLONIENSIS à patriam monaſterio Veteris Campi monachum egit. Inde una cum ſucceſſore ſuo, Caſparo Schoſgen in Mariæ-Vallem accitus, in locum Ludolfi propter luxum & prodigalitatem depoſiti ſucceſſit anno MDLIX, & annis tantum V. præfuit, ſed magna cum laude, monaſteriumque in meliorem ſtatum reducere ſedulo conatus eſt.

Et primo omnium quidem ædificia collapſa inſtaurari fecit, interque ea Refectorium, quod vocant, domum piſcatoriam, hypocauſtum S. Catharinæ cum cubiculo & alia. Piſcinas etiam omnes repurgari juſſit. Verum in medio laudabilis conatus curſu defecit, ſucceſſorique lampada tradidit, & mortales exuvias depoſuit die III. Junii anno MDLXIV, ſepultus in domo, ut vocant, Capitulari.

XL. CASPARUS SCHOSGEN, anteceſſoris ſui compatriota fuit: quo in Abbatem electo, Burſarij munus accepit, defuncto in Abbatis dignitate ſucceſſit. Erant in hoc viro eruditio doctrinæ mediocris, vitæ modeſtia, morumque ſvavitas ſingularis, qui facile omnes perferre ac pati poterat. Præfuit, imo profuit monaſterio annis XXIIX ſimilis per omnia Reinholdo Abbati, cui ego tacitè apud me de utroque cogitans comparare ipſum ſemper ſolitus fui. Monaſterii bonis magnopere imminutis, prædijsque opimis ad alios translatis, ipſe nihilominus in re lauta fuit: præbens Principi, quæ illi jure deberet, aliis quæ humanitas poſtularet. Sibi ipſi, ſuisque non adeo proſpexit, quamvis liceret, neque quisquam invidere, prohibere multo minus poſſet. Verum hoc ei è manibus extorquebant homines miſeri & afflicti, quibus potius de re privata, quam publica ſuccurrere volebat. Religioni repurgatæ nomen primus Abbatum monaſterij ſui dedit. Qua id occaſione factum ſit, memini ex ore ejus non ſemel me audiviſſe. Facturo enim iter in Patriam tranſeunda erat Lemgovia, agri Lippienſis Comitatus urbs non ignobilis. Eò cum perveniſſet, accidit ut dies Dominicus eſſet, & in templo publicè concio ad populum haberetur. Hic, etſi alienus erat à religione noſtra Schoſgius, tamen ut ſacris intereſſet, templum ingredi & verbi Divini miniſtrum audire voluit. Docebat ibi id temporis Hildebrandus Grathuſius, vir pius, doctus & ſingularis modeſtiæ ac integritatis, qui deinde fere octuagenarius diem ſuum obiit. Is ſive edoctus ab alio, quem auditorem haberet, ſive fortuitò, pro concione articulum de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo tractandum ſibi ſumpſerat, acriterque refutabat corruptelas Pontificiorum, qvos ille locus in vicinia alebat magno numero. Schoſgius, qvæ ille diceret, audivit attentè, totoque itinere, etiam domum deinde reverſus meditatus eſt ſecum quæ audiverat, cœpitque Lutheri atque aliorum ſcripta diligentius ſcrutari, ac indies in cognitione doctrinæ cœleſtis proficere: adeò, ut cum paullo poſt de reformatione cœnobiorum ageretur ſui Ordinis, ille homines, ſuſpenſo & dubio animo id negotium tractantes, rationibus auderet convincere & in propoſito confirmare. Itaque non ductus animi levitate quadam, ſed lectis & examinatis confeſſionibus noſtrarum Eccleſiarum, ac diligenter auditis Theologorum concionibus, veritatis evidentiâ victus, & ſpiritus Sancti auxilio, Evangelij doctrinam toto animo amplexus eſt. Conſiderans deinde, quam periculoſum ſit extra conjugium vivere, & Apoſtoli illud cogitans, melius eſſe nubere quam uri, conjugem duxit, piam & modeſtam, ex qua filias IV. filium unum ſuscepit. Filiarum una nuptui data eſt Friderico Daſypodio, JCto & Profeſſori Academiæ Juliæ clariſſimo, altera Guilhelmo Bokelio JCto & reipubl. Helmæſtadienſis primum Syndico, Ducum Brunſvicenſium deinde Conſiliario, Legationibus abeundis deputato. Liberi reliqui maturè obierunt. In templo Vallis Mariæ Abbas Schoſgius Organa Muſica nova extrui curavit, iisque ſequens Hexaſtichon ſubſcribi juſſit:

Qui ſua ſeq; Deo Caſparus devovet Abbas,
Organa conſtruxit ſumptibus iſta novis.
Ut pia ſe noſtræ dum jungit Muſica voci,
Mulceat æternum laus geminata Deum.
Cedite, qui templis èvertitis Organa rectè
Humana colitur voce manuq; Deus.

Cum reformatione monaſterij, Scholæ etiam novæ inſtitutionem moliri cepit Schoſgius. Noverat enim monaſteria olim in hunc finem condita, ut eſſent Scholæ pietatis, precum, omnisque doctrinæ & eruditionis. Noverat mentem hanc eſſe Julii

Ducis Brunſvicenſis, Patris patriæ, cui refragari fas non eſſet. Inſtituit igitur Scholam, ac pietatem bonaſque literas in ea doceri juſſit, multosque poſt modum ex ipſa prodire viros eruditos & ipſe vidit, & plures viderunt ſucceſſores, ac ditio univerſa.

Eidem Principi Julio, Academiam Juliam in urbe Helmæſtadio fundanti Curiam in eâ ſui monaſterii conceſſit, ut auditoriis Academiæ adaptaretur.

Obdormivit in Domino III. Decembr. anno MDXCII, ante decimam meridianam: ſepultus die V. ejusdem menſis.

Defuncto fautori & amico bene merenti ſequens Epicedium id temporis conſcripſi, & typis exprimi curavi, quod hic etiam extare viſum fuit non inconveniens.

Nata Dei laudem & magnorum geſta virorum
Carminibus celebrare piis, ad munia læto
Pectore Muſa redi: nec te ſors ulla retardet;
Non odium, aut livor noſtrive infamia ſæcli.
SCHOSGÆVS tibi carmen erit, quem Eccleſia Chriſti
Egregium agnovit civem; ſenſere patronum
Pierides, Phœbique chorus; nunc lumine caſſum
Pierides lacrymis & mæſta Eccleſia deflent.
Illum felici genetrix dedit optima partu,
Qua videt algentem turrita COLONIA Rhenum.
Doctrina & ſtudiis infecit cura magiſtri;
Sedulitasque patris nusquam intermiſſa ſeverum
Carpere ſuaſit iter, quod virtus aurea ſternit.
Prava ſuperſtitio juvenem tentavit iniquis
Artibus, involvitque etiam: nam credulus illi
SCHOSGÆVS mundo abſtinuit, tacitique latebras
Cœnobii ingrediens habitu vitaque rigenti
Placari ſuperos, & tolli cenſuit iras.
O tenebræ, ô caligo potens & noxius error!
Non opis eſt noſtræ culpas delere nocentes,
Munus id omne Dei eſt, *ſed eum Papa regna teneret,*
Vendidit hos fumos & falſa oracula mundo.
At qui res Satanæ regnumque evertit ab alto
Omnipotens, cæco tenebrarum è carcere duxit
SCHOSGÆVM (is jam ſceptriferi confinia Rheni
Liquerat & ſe Saxonicis novus advena terris
Intulerat, moresque ſuos ſtudiumque probarat
Patribus, ut mitræ dignatus honoribus, ABBAS
Chriſtiparæ VALLEM MARIÆ lucosque teneret
Irriguos) nam ſcripta legens cæleſtia, & acri
Pectore verba librans, ſe triſti errore teneri
Vidit, & indoluit; non me, dicebat, amictus
Decolor, injuſſævæ preces: non pallida longa
Ora fame, & vacuus ſalvabit conjuge lectus.
Sufficiunt mandata Dei, quæ pondere miti
Colla gravant, humana nefas inventa moleſto
Admiſcent oneri, vitæque pericula gignunt.
Eripiam me, dante Deo, tenebrisque jugoque:
Adſpiciam lucem, nec me furor iſte tenebit.
Talia pervolventem animis vigor ætheris alti

Imbuit ulterius: non jam amplius iſta recondit
Mente, ſed exponit caris fidenter amicis;
Hortaturque eadem ſentire & vera fateri.
Interea patriis nova condere ſecula regnis
Et veteres abolere Deos mentitaque ſacra
Cura fuit GVELFO quæ fama ut venit ad aures
SCHOSGÆI: heu quantos concepit pectore plauſus:
Lætitiâ exultans, nunc tandem perfruar, inquit,
Doctrinæ uſura cæleſtis, & integer ibo
Sanctorum per caſta patrum veſtigia tolle,
Tolle malum Princeps, rebusq; medere ſubactis.
Ipſe meos lapſus & cæca errata fatebor.
Admiſiſſe nefas ſatis eſt, ignoſcite Divi
Incauto nocuere doli, nocuere colores
Nequitiæ admixti: nec me tantum iſta fefellit,
Communis ſed culpa fuit, juſtiſſima tandem
Cui meritam Nemeſis ſancit vindictaque pœnam
Conſilium GVELFI ſanctum, dignosque favore
Conatus, pater omnipotens reſpexit & aura
Deſuper afflavit: quicquid fraus Romula templis
Intulerat vicii: quicquid longæva vetuſtas
Severat errorum, immiſſa pietate fugatum eſt,
Cœnobiis facies ſua reddita, quippe palæſtras
Doctrinæ quondam vitæque fuiſſe probatæ
Perſpicuum eſt. *Sed fuci apibus nocuere, pigrique*
Hauſerunt fructus alienaque pabula ventres.
Cœnobio in melius verſo & pietate reducta,
SCHOSGÆVS caſti petiit ſacra fœdera lecti.
Scilicet ut ſociamque precum, ſociamque laborum
Ærumnæ comitem & ſpem caræ prolis haberet.
Explevit deſiderium, vitæque modeſtæ
Prudentisque animi ſocio ſibi jungit amore
Matronam, fuit illa viro cariſſima dulci
Prole domum ditans: nam quatuor ordine natas
Filiolumque unum ſub luminis edidit oras.
Cætera pene Saræ ſimilis ſanctæque Rebeccæ,
Mente Deo famulans, à luxu aliena ſuperbo,
A levitate vaga, miſerorum provida nutrix.
Ille bis eſt felix, cui contigit auſpice Chriſto
Conjugium felix: cedunt bona cætera, cedunt
Omnes orbis opes thalamo ſine lite quieto.
Impia SCHOSGÆVS poſt nubila luce peritus,
Explicitusque jugo ſpoliatæ compare vitæ,
Promptius officium mandataque munia fecit.
Quippe animo jam liber erat, mandata Iehovæ
Reſpiciens tantum normam ſcribentia cuique
Vivendi: humanas doctrina in cælite leges

Ridebat, fidens animi: nec fulmina Papæ
Horruit, aut morſus carpentis ſingula turbæ.
Cura prior Chriſti de regno animæque ſalute.
Semper erat: quærebat opes in codice ſacro
Illi uni invigilans: templis ubi poſceret hora
Intererat, recta cupiens inflectere vita
Exemploque ſuos neque tantum auditor inanis
Doctrinæ ſalvantis erat, ſed cognita mente
Condidit & fidei fructus procudit amœnos.
Pauperibus patriaque procul regione fugatis
Quam ſeſe mitem dederit, vicinia nobis
Teſtis & accedens peregrinis exul ab oris.
Nunquam indignari, nullum abjurgare ſolebat.
Pro re ſuccurrens miſeris, ſolatia dono
Iungebat fortisque memor Chriſtique monentis.
Noverat utilitas quæ ſurgat ab artibus ipſis,
Commoda quæ præſtent cathedræ, ſociataque templis,
Pulpita Doctorum: nam quod turpisſima quondam
Omnia barbaries fædavit, & imbibit atras
Relligio ſordes, pietasque attrita recesſit,
Neglectus fecit ſtudiorum, ereptaque dactis
Nutrimenta viris, apibus quæ debita quondam
Fucus iners avidam abſumens demerſit in alvum,
Ergo ſcholas, natosque ſcholis ſervire, benigna
Fovit ope, impenſasque dedit clementer egenis,
Queis aliti quondam delubra ſcholasque juvarent.
IVLIADI imprimis mentemque animumque benignum
Exhibuit, præſensque aderat, ſolennia ſi quæ
Feſta celebrabat conſueta academia ritu.
Tum quoque cura fuit miſſis ornare Camænas
Muneribus ſignumque boni monſtrare favoru.
Singula quid memorem? non officioſior illo,
Nec melior vicinus erat, qui ſemper amabat
Derivare ſuos aliena ad commoda fontes.
Interea nil coenobio decedere quicquam,
Nec minui reditus: poterat vigilantia tantum
Indomitusque labor, tempeſtive omnia curans,
Intendensque oculos, unde annuus incrementum
Proventus caperet, ditarentque horrea meſſes.
Gignit opes, pietas, & mens ſibi conſcia recti
Unde minus ſperat lucrum, accipit: exuat auri
Immodicas animo, qui vult diteſcere, curas.
Bellorum rabies atque inclementia lapſi
Temporis abſtulerat, atque interverterat illa,
Quæ quondam dederat priſci devotio ſæcli,
Hæc reparare labor fuit, in meliusque locare.
Aſpice nunc quis rebus honos, quæ gratia cunctis?

Quæ male perdiderat majorum incuria, longe
Splendidiora fides, nulloque gravamine preſſa.
Hæc memorata tenus privatæ induſtria vitæ
Officia, intentusque labor: quæ publica fecit
Non leviora illis, fors & graviora, potentum
Quando Ducum juſſu non parva negocia ſanis
Conſiliis rexit, liteſque incidit obortas.
Non aula hoc neſcit, non conſiſtoria & urbes,
Quas adiit mandata ferens; moderatio in ipſo
Semper viſa fuit nimio minus æqua rigori.
Illam dexteritas mentisque ornabat acumen,
Vt facile in dubiis nervum deprehendere rebus,
Atque ſcopum poſſet digito contingere recto,
Non aberat ſolidæ pietatis opinio juſſam
Sueta tenere viam, & reſpectum ponere rerum,
His meritis famam ſibi mercabatur honeſtam,
Principibusque tribus, quos ſceptra capeſſere vidit,
Et fuit & manſit toto gravisſimus ævo.
Invida fatorum ſeries, & parcere nulli
Docta manus, caſti hoc exemplar præſulis, agri
Saxonici hoc prælustre decus, non amplius orbi
Indulſit, feſſoque graves in corpore morbos
Accendit, fovitque, quibus confecta ſenilis
Concidit, & ſolitis ſpoliata eſt viribus ætas,
Invenitque viæ finem vitæque fugacis.
Luximus hunc caſum communia deplorantes
Damna, ſed inſtantes motus, atque horrida bella
Mente revolventes, te terque quaterque beatum
Dicimus. Exiſti è lacrymis, SCHOSGÆE, nigroque
Carcere; libertas te tandem optata reviſit.
Nos heu multa manent diſcrimina plurimus eheu
Circumſtat metus & torpentia pectora frangit!
Conditio melior noſtrâ tua, vive valeque,
Cura Ducum quondam, nunc ſancti cura IEHOVÆ.

XLI. ADAMUS BALCHEN, monachus non indoctus, vixit in monaſterio Vallis Mariæ ſub Abbate Schoſgio: qui cum reformatæ religioni nomen daret, ipſe etiam veritati reluctari nolens, doctrinam ſalvificam avidè amplexus fuit. Perrexit autem porro in ſtudiis, & eo devenit profectus, ut cui Paſtoris in Eccleſia monaſterii munus demandaretur, dignus viſus fuerit. Huic muneri eâ fide præfuit, ut typus gregis eſſet & haberetur, Abbatisque ſui eum favorem demereret, ut ab ipſo Prioris dignitate honoraretur. Unde factum, ut Anteceſſore iſto ſuo vita functo, in ſummi monaſterii Antiſtitis locum ſurrogaretur. Factum id anno MDXCII. Verum gubernationi præfuit annis VI. tantum, & graſſante peſte vehementiſſima anno MDXCIIX, diem ſuum obiit XXVII. Auguſti, morte quidem ſubitanea, incertum tamen an lue infectus. Sepultus eſt triduo poſt, concionem funebrem habente Daniele Hoffmanno, Theologo magno & Academiæ Juliæ Profeſſore primario.

XLII. PETRUS GIBELIUS electus eſt à conventu in Abbatem eodem ſtatim anno, quo deceſſit *Balchen*, & ab illuſtriſſimo Principe, Henrico Julio, confirmatus. Paſtoris officio ante Præſulatum functus eſt, fideliterque commiſſam ſibi ſpartam ornavit, fructumque multum fecit.

Præſul factus præcipuam ſtatim operam templo ornando impendit. Et primo quidem regiminis anno campanam novam, non exiguæ magnitudinis parari & in turri ſuſpendi fecit, eique ſeqvens diſtichon pro ſui memoria inſcribi:

Officii primo Petrus Gibbelius anno
Obtulit æs domui hoc Chriſte benigne tuæ.

Mox aram novam in altari majori, novumque Baptiſterium extrui, & utrique, ut amans erat poetices, verſus aliquod appingi curavit.

Inſcriptio Aræ.

Chriſte, tuis ſolitus ſervire fideliter aris
Ut ſacra poſcebat functio, Gibbelius,
Hanc tibi, poſtquam Abbas eſt factus condidit aram
Ut fidei & mentis grata ſit arrha pia.

Inſcriptio Baptiſterii.

Templi ornamentum & rem ſacris uſibus aptam,
Gibbelii hic ſtatuit cura benigna Petri.

Sub hujus regimine monaſterium in bonis ſuis bis graviter afflictum non parum damni paſſum fuit. Anno enim MDCII. ſenatus populusque Brunſuicenſis, à Principe ſuo hæreditario Henrico Julio rebellionis rei acti, & rebelles declarati, quod commodum Princeps domo abeſſet, & Pragæ apud Cæſarem commoraretur, conducto milite, quem cives comitabantur, omnia circa urbem Principis loca, oppida minora, monaſteria & pagos ad aliquot milliaria diripuere, armenta ac pecora abegere, ſupellectilemque omnem abſtulere, incolis omnibus peſſime mulctatis, nec monaſterii pagis abſtinuere, eadem barbarie in ipſis uſi. Cum deinde Princeps diu læſus anno MDCV. vindictam ſumere de rebellibus ſuis cogitaret, urbemque primo Brunſuicenſem ſtratagemate quodam tentaret, mox obſidione premeret, eam tamen deinde anno ſequenti ad mandatum Cæſaris, qui utrique parti armorum depoſitionem ſub pœna banni injunxerat, ſolveret, exercitumque dimiſiſſet; Brunſuicenſes more majorum tum ipſi, tum milites ipſorum conſcripti, in ditione Principis omnia denuo devaſtare, prædasque agere cœperunt, etiam hac vice monaſterii ſubditis & bonis minime parcentes. Biennio poſt Abbas Petrus ex lapſu inopinato ex ſcalis decumbere cœpit, ac tandem, XXIX. Maji anno MDCIIX. dies vitæ finivit, cum pene decennium monaſterio præfuiſſet. Concionem ipſi funebrem habuit Baſilius Satlerus Doctor & Generaliſſimus Eccleſiarum Ducatus Brunſuicenſis Superintendens.

XLIII. FRANCISCUS SCHRADERUS eodem ſtatim anno gubernationem monaſterii ſuſcepit. Erat monaſterii Burſarius jam ab anno MDCV. vivebat tamen in aula Guelfica Ducis Brunſuicenſis Henrici Julii concionator aulicus, vir doctus & eloquentiſſimus. Tum vero ex commendatione Principis à Conventu monaſterii in Abbatem electus, & à Principe, confirmatus fuit. Dignitatem ingreſſo tanquam amico veteri, gratulari & fauſta omnia precari, ut debui etiam volui. Indicio eſt ſequens Euchariſticon, quod inaugurato obtuli.

Magna fuit pietas majorum & fervidus ardor
Dogma propagandi cæleſte, alienaque vero
Pectora, non armis (ſacer horret ſpiritus illa)
Sed miti eloquia ſenſa ad meliora trahendi,
Inde tot à priſcis COLLEGIA regibus olim
Munifica ſunt ſtructa manu, ditataque largè:
In quibus haud pauci, quos iſthæc vita juvabat,
Frugali victu contenti habituque ſevero,
In commune bonum ſtudia indiviſa locabant:
[illegible]

Nun

Digitized by Google

Nunc primas pueris artes, nunc enthea adultis
Scripta inculcantes: nullo non tempore caſtis
In precibus toti. Rećturi templa ſcholasque
Inde petebantur, fœcundo ut ſapius horto
Eruitur tenera atque alio traducitur arbos.
Verum, eheu! ſanctis loca conſecrata Jehovæ
Servitiis, quantum turbavit abuſus? ut omnem
Vana ſuperſtitio eliſit pietatis honorem?
Eripuere apibus pigri ſua pabula ventres,
Inque ſacros venere lares ignava ſecuti
Ocia, ferventesque alienis ignibus ollas.
Fallendi cupidis ſubvenit HYPOCRISIS, audax
Faſtidire pios & ineptos fingere cultus:
Cui comitem ſeſe vecors INSCITIA junxit.
Quid faceret, quo ſe pietas oppreſſa referret?
Imploravit opem Chriſti, quo vindice labes
Hac quoque convicta erroris damnataque noſtris
Finibus excludi meruit, gaudete beati
Majorum manes: hilari qua mente dediſtis,
Auctori rerum, non amplius occupat uſus
Degener, aut apibus tollunt nutrimina fuci.
COENOBIIS, facies primæva eſt reddita qualem
Antiqui voluere patres, ſublataque fraus eſt
Commentis hominum divina injuria legi.
Vos, quibus indulſit faſces moderator Olympi
Semidei reges, etiam huc intendite mentes,
Ne qua iterum labes ſacras irrepat in ædes.
Quæ data ſunt Chriſto nullo maculetur abuſu:
Nec metuant avidos HARPYIÆ aut VULTURIS ungues.
Ad clavum ſedeant, quorum prudentia nota:
Quos caros aliis pietas doctrinaque reddit,
Ut præſint proſintque ſimul: ſic ſarta manebunt
Factaque, quæ pietas majorum provida ſanxit.
At tu Chriſtipara cui VALLIS amœna MARIÆ
GUELFIADÆ magni juſſu modo traditur, eſto
Quem tua te pietas nobis SCHRADERE futurum,
Pollicita eſt pridem: grave pondus muneris hujus
Cum noris, teneasque modum normamque regendi
Quæ Chriſto placeat: fueris cum totus in illo
Hactenus, indignum ne quid te forte patrares,
Sis maneasque tui ſimilis, curſumque teneto

Quem bene cœpiſti ? quæ reſtant cætera, Christus
Diriget, & cœlo benedictio proflua ab alto.

Verum ſpes ea omnis, quam de Schradero conceperat tum aula, tum monaſterium multique alii, inopinato decollavit. Vix biennium enim cum præfuiſſet, quod mortale erat depoſuit, vitamqve hanc temporalem cum æterna commutavit. Obiit anno MDCX.

XLIV. JOHANNES ZUNFT, ejus nominis VII. electus eſt IV. Maij anno MDCXI, & monaſterium gubernavit annos IIX. Natus eſt in urbe ditionis Brunſvicenſis non poſtrema, nec ignobili, ad Viſurgim, quæ vulgo Hamelen appellatur.

Gubernante monaſterium Zunftio, memorabilia plurima accidere vicinis in locis: quorum quædam obiter hic annotari merentur. Anno regiminis primo, XXVII. Junij Imperator Rudolfus ſenatum populumque Brunſvicenſem *banno* ferit ipſosq; ut bannitos publice proclamari juſſit. Factum id Halberſtadii, præſente Henrico Julio Duce Brunſvicenſi, & Circuli Saxoniæ inferioris aliquot legatis. Anno ſequenti die XV. Octobr. inauguratum eſt *novum Juleum* in Academia Julia, magnis ſumptibus ædificatum, præſente Friderico Ulrico Duce Brunſvicenſi, commodum ex Gallia & Anglia domum reverſo, cui ſuas vices Sereniſſimus parens Henricus Julius Pragæ tum agens demandârat: ubi & anno inſequenti, die XX. Julij diem ſuum obiit, Princeps incomparabilis.

Anno MDCXV. die IX. Octobr. obiit Calfordæ ubi reſidebat, *Joachimus Carolus*, Dux Brunſvicenſis, Præpoſitus Argentinenſis, frater Henrici Julij Ducis Brunſvicenſis. Exuviæ in monaſterium Mariævallenſe deportatæ debitis ceremoniis terræ matri mandatæ fuerant.

In annum eundem incidit ſecunda urbis Brunſvicenſis obſidio, qua eam preſſit Fridericus Ulricus, Princeps ejus hæreditarius, ſi qua tandem, ut officium ſuum faceret, & Domino legitimo pareret, vel invitam poſſet compellere. Omnia eventu vario fuerunt acta: tandem tamen res compoſita, & Brunſvicenſes Principi, ut Domino ſuo, homagium more majorum ſolenniter præſtiterunt.

Anno MDCXVII, menſe Octobri celebratum fuit per univerſam Germaniam maxima ſolennitate primum *Jubileum Lutheranum.* Anni enim hoc tempore elapſi erant centum integri, ex quo impoſturas Pontificias beatus Lutherus primum detexerat, & cœleſtem doctrinam à fermento commixto repurgarat.

Anno MDCXIIX menſe Novembri primum viſus eſt in his oris terribilis ille Cometa & fatalis toti Europæ & cumprimis Germaniæ: qui bellum illud portendit, horridum bellum, quo tum ſtatim flagrare cœperunt omnia, & jam tantum non penitus conflagrarunt.

Obiit Joannes Zunftius anno MDCXIX die XXVI, Febr.

XLV. JOHANNES ABUSLER, ejus nominis IIX. ſucceſſit Joanni Zunftio. Natus eſt is ex patriciâ nobilique apud Goslariam, urbem Imperialem, famoſa.

Bonis literis & diſciplinis ab ineunte ſtatim ætate imbutus, juri civili eam navavit operam ut plurimos alios longo poſt ſe intervallo, relinquere videretur. Innotuit itaque maturè aulæ Ducum Brunſvicenſium, in Conſiliariorum numerum adoptatus: fidemque ſuam in eo munere illuſtriſſimæ familiæ ita per annos fere XLV. probavit, ut nec frigus in eo ipſum afflaret, & æquè ſummis atque imis gratus haberetur atque acceptus, quod difficillimum eſt in aulica dignitate conſtitutis ab omnibus obtinere. Ut vero demum, poſt exantlatos labores maximos, otium aliquando & quietem indipiſceretur, commendante Principe in Abbatem Vallis Mariæ electus, & à Principe confirmatus eſt. Putavi tum etiam mei officii eſſe fautorem & amicum veterem gratulatorio aliquo proſequi in honoris novi aſſumptione & ſequentem propterea honori ipſius ad aram memoriæ ſuſpendi in academia Julia εὐφημισμῷ:

Sic fieri jus eſt, ut qui compluribus annis
Principibus magnis operam ſtudiumque probarunt;
(Sive obeunda fuit peregre legatio ad aulas

Cauſſa-

Cauſſaque in auguſto gravis exponenda ſenatu
Sive domi calamo ſolerter oportuit uti,
Conſilioque ratam patriæ firmare ſalutem)
Viribus exhauſtis tardaque urgente ſenecta,
Inveniant requiem feſſosque laboribus ægris
Exonerent artus, nec re nec honore minores.
Cygnifer humenteis ubi dividit Occaris agros,
Stirpis honos USLERE, tua, tam pondere dulcis
Eloquii referens, quam Neſtora vertice cano:
Guelfica te Synedrum venerata eſt aula fidelem
Penè novem luſtris: neque tanto tempore quisquam
De te jure queri potuit, moresque notare:
Principibus placuiſſe tribus, nullaque gravatum
Invidia aut odio ſuſceptum ætate virili
Munus ad extremam potuiſſe tenere ſenectam
Uno eodemque loco, nulla vertigine, nullo
Caſu interpoſito, magnum eſt rarisque benigna
Sorte datur. Tibi quantum hoc eſt fortuna ſecundo
Annuit eventu, timuitque infida vocari
Jamque tot annorum ſerie, noctuque dieque
Ardentes æſtus inter frigusque malignum
Suſcepti toties exantlatique labores,
Exorant requiem longæque levamina curæ
Juſtas ante preces effuſaque pectore vota,
Quod decuit factum eſt: quod vix tibi credere promtum
Fatorum decreta parant. Sapientia Guelfi
Caniciem metita tuam, laſſataque membra,
Portum aperit feſtæ tranquillam USLERE carinæ.
Gaude ſorte tua, jam reſpirare licebit
Parte aliqua, atque humeros oneri ſubducere longo.
Jam melius ſacris rebus precibusque vacare
Fas erit: aula tamen quoties matura requiret
Conſilia, admonitusque tuos coëunte ſenatu
Ad veteres operas alacer promptusque redibis:
Donec ad æternam requiem ſedesque beatas.
Sollicito eductum præſentis carcere vitæ,
Transferat indulgens te gratia Numinis almi.

Finis Chronici Marienthalenſis
Meibomiani.

APPENDIX.

BENEVOLO LECTORI

CHRISTOPHORUS SCHRADER.

QVæ de Marienthalenſi cœnobio, ejusque Abbatibus, Vir Clariſſ. Henricus Meibomius, ὁ μακαρίτης, immortale decus Academiæ Juliæ, ad editionem paraverat, ea fide, qua accepimus, adhuc ſunt exſcripta. Chronicon iſtud, inter beati Parentis ſui ἀνέκδοτα aſſervabat, optimus eruditiſſimusque & vir & Medicus, JOHANNES HENRICUS MEIBOMIUS, Archiater Lubecenſis, à quo Magnifici Nobiliſſimique Viri DN. JOANNIS SWARZKOPFII, Cancellarii Gvelfici, Viri patriæ neceſſarii, indicio ac cura redemtum, mihi ut publicarem & appendice augerem, traditum eſt. Feci lubens, eò quod non ſolius Marienthalenſis collegii res, ſed & quædam ad nobilium familiarum ſeriem, ad finitimarum provinciarum totiusque Saxoniæ hiſtoriam pertinentia interſerantur, cujusmodi ſunt, quæ de Palatinis Saxoniæ de Advocatis Eccleſiarum, aliisque referuntur, quorum ſimilia manus ultima [illegible] Auctoris, ſi acceſſiſſet, aſpergere plura potuiſſet: hæc autem cum, ut arbitror, abfuerit, excuſatius eſt, ſi abruptior, quàm cupidus ſciendi Lector optet, alicubi eſt narratio. Enim vero quam Hiſtoriæ, patriæ cumprimis, peritus, ejusque propagandæ ſtudioſus fuerit Meibomius, tot viri monumenta loqvuntur, quæ vel tenebris & ſitu peritura in lucem protulit, vel annotationibus illuſtravit, vel denique ingenio atque induſtria ſua ipſus compoſuit. Viſum autem eſt precium operæ, ea quæ de R. Dn. Johanne Zunftio, Auctori præterita ſunt, & de R. D. Johanne Haſpelmacher [illegible] hoc tempore dum iſta eduntur Cœnobii Abbate certo teſtimonio nobis ſunt comperta, ad telam Meibomianam attexere. Annus agebatur à Servatoris mundi incarnatione milleſimus ſexcenteſimus decimus, cum perquam Reverendus & Amplisſimus Dn. JOHANNES ZUNFT Hamelenſis, Conventualium ſenior, concordibus ſacri cœtus ſuffragiis, in Abbatem electus & a Sereniſſimo & Reverendiſſimo Principe ac Domino, Domino HENRICO JULIO Duce Brunſvicenſi ac Luneburgenſi &c. ritè & clementer eſt confirmatus. Accepimus Virum fuiſſe inſigni & erga Deum pietate & benignitate erga proximum, qui clavo Cœnobii regundi [illegible] gno negocio habuerit eccleſiaſtica pariter & œconomica religiose atque [illegible] ter administrare. Alebantur in monaſterio duodecim plurimùm adoleſcentes, qui ut non tantum demenſum acciperent, ſed & penſum rectè ſuum [illegible] ent; atque [illegible] litteris & bonarum artium rudimentis, ſub Informatore debitos facerent progreſſus, Abbas ſeriò allaborabat. Accedebat juſta morum cenſura, per quam laſcivia [illegible] & petulantiâ ſummotâ, vitæ integritas & honeſtas commendabatur. Ut autem [illegible] ingeniis & doctrina alumnorum eo certius conſtaret, invitabantur ex Academia Julia quotannis terni Profeſſores, qui profectus ſingulorum explorarent, & [illegible] ex cœtu nonnulli Academiæ auditoriis eſſent maturi, decernerent. Quod autem præteriri hoc loco minimè debet, illud eſt, Abbatis Zunftii cura, non fund[illegible] & villas cœnobii, inprimis Warslebienſem & Sigerslebienſem, ædificiis & [illegible] nibus inſigniter inſtauratas, ſed & vigilantia ejusdem atque ſtudio, fructuoſum [illegible] in præpingui agro Magdeburgico ſitum Hakenſterum, unà cum commodis ſuis, Marienthalenſi conventui poſtliminio eſſe rec[illegible]m, poſtquam per ipſos ſexaginta amplius annos eo fuerat deſtitutus. Averterant illud & ad hypotheca[illegible] creditores, Nobiles Dominos à Quitzow, devoluerant fluctus bellorum, qui Henrici junioris Brunſvicenſium & Luneburgenſium Principis ævo, patriam [illegible]. Numeratos dudum à Quitzoviis octies mille numos Imperii Thalenſes è cœnobii bonis reddidit ZUNFTIUS, & creditores hypotheca deceſſerunt. Hakenſtero ita redempto, ut eodem in agro & vetus Branslebia, prædium Cœnobii proprium, ſed fato quodam urgente, Nobiliſſimis Aſſeburgis pignoratum, ad priſcos Dominos reduceretur,

tur, animum & operam convertit. Jamque eò promoverat, ut per Reverendum Dn. Julium Satlerum, conventualem tum ſuum, hodie cœnobii Priorem, & Gandersheimenſis ac vicinarum eccleſiarum Generalem Superindentem, poſſeſſio Branslebienſis prædii apprehenderetur: Sed præmatura mors Abbatis, laudabiles hos conatus intercepit. Luxerunt obitum Viri inprimis Ordines provinciales, quibus in maximis de republica conſultationibus, in negotiis item ad ærarium ſpectantibus, cui conſiliator erat additus, prudentia, fide, animi moderatione, ita ſemper præſto fuerat, ut Sereniſſimi quoque Principes, Henricus Julius & Fridericus Ulricus, Duces Brunſvicenſes & Luneburgenſes, excelſæ memoriæ principes, conſilia viri prudentiæ & fidelitatis plena, reſpectarent, & ardua illi negotia expediunda crebrò committerent. Annus & dies obitus in Chronico eſt annotatus. Deus in ſinu Abrahæ eum reficiat & poſteritati ejus ex alto benedicat.

Anno Chriſti cIɔ Iɔc XXXVII. Sereniſſimus & Celſiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus AUGUSTUS, Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis, Dominus noſter clementiſſimus, poſtquam Gvelfici Ducatus hærediratiam ſucceſſionem, felici auſpicio, adierat, Marienthalenſis Cœnobii Abbatem conſtituit, perquam reverendum, & ampliſſimum virum, Dominum M. Johannem Haſpelmacher/ Hervordiâ Weſtphalum. Functus antea fuerat munere ſacri Oratoris in Celſitudinis ejus aula Hitzigerenſi, ubi propter ſingularem integritatem, peritiam rerum divinarum, & vim dicendi, Principis ſui favorem & ſingularem clementiam ita ſibi conciliaverat, ut alia ſubinde atque alia commoda atque ornamenta, pro meritis conſequeretur. Vacabat haut multo poſt Ducatus Dannenbergici ἐπισκοπῇ & Luchovienſis, cui cum idoneus Antiſtes requireretur, huic ea viro non ambitu eſt petita, ſed Sereniſſimi Principis benigno indultu ultrò tradita. Ita verò ſacram hanc provinciam ſibi gerendam cenſuit ut præter animarum curam, potiſſimam illam ſancti muneris ſui partem, etiam incolarum neceſſitatibus quas aſperrimi belli tempeſtates pleno velo intulerant, ſollicitè & cupidè conſuleret. Sive ergo horridus miles oratione mitigandus, ſive afflicti oppreſſorum animi erigendi, eorumve ſublevanda egeſtas, ſive apud Patriæ patrem cauſſa oranda ſubditorum, ubique ſe gregis ſui ſatagentem & fidisſimum paſtorem exhibuit. Inde à Sereniſſimo Principe & in Senatum ſuum eccleſiaſticum adſcitus, Luchovienſis adminiſtrationis intervalla, eccleſiarum totius ducatus cura diſtinguit, & ut religionis res ſartæ tectæ conſerventur, pro virili adjuvat. Cœnobium porro ſuum, cujus templa, ædes, prædia, villas, inſtrumenta, Mars indomitus, & hæc ævi noſtri truculenta atque pertinax tempeſtas nimium quantum afflixit, diſſipavit, ac propemodum evertit, colligere & inſtaurare, quanta maxima poteſt ope adhuc enititur, erogatis de ſuo in materiam, operas, jumenta magnis ſumptibus. Templum variè deformatum concinnavit, exſtructo impenſis ſuis novo ſuggeſtu, & in locum priſcum repoſito marmoreo baptiſterio, quod illo omnibus Evangelicis ultimam ſervitutem minanti anno hujus ſeculi undetriceſimo, ab invaſoribus monachis Pontificiis fuerat projectum: Tenue eſt, ſed memorandum tamen, ſub initium ſeculi hujus ferventibus inteſtinis patriæ bellis, per duellem militem, præter alia illata damna, vetuſtam matris Domini imaginem, in fronte cœnobii conſpicuam, pro ſcopo jaculis confixiſſe & fœdè mutilaſſe, cujus inſtaurationem ſuæ curæ eſſe Dn. Abbas ideo cenſuit, ut cum in ſancti illius thalami, in quo verbum humanam carnem ſibi deſponſavit, beatam recordationem domum hanc venerandi majores conſecraverint, ditaverintque, memoria ſanctiſſimæ Virginis integra etiam deinceps atque illibata hîc permaneret, & viatoribus vel ad oculi conjectum commendaretur. Porro haut temere totius hujus belli tempeſtate acerbior caſus bonis cœnobii accidit, quam cum prædium Hakenſtedenſe, fortuito incendio correptum omne conflagravit. Ortum illud, unde pleraque agreſtium mala, à manipulo militum, qui columbas ſclopeto petituri, incauti culmen inflammarunt, unde incendio invaleſcente, quicquid ædium erat in cineres eſt redactum. Similis pene caſus Warslebienſem villam, ante decennium abſumſerat, niſi benignior aura ſtitiſſet flammam, & unum alterumque ædificium feciſſet reliqvum. Fecit venerandus Antiſtes, quod poſt ejusmodi cladem fieri par erat, & novis ex integro domibus excitatis, colono, jumentis, frugibus receptacula commoda reddidit. Decima agri

 Wackers-

Wackerslebienſis & Nienſtetenſis, Magdeburgenſi præfecturæ Hötenslebienſi, pignori oppoſita erat, ob ter mille leviculos Thalenſes, eo nimirum tempore numeratos, quo ad ærufcatorum immanes offucias fato quodam ſuo cæcutiebat Germania. Devenerat inde decima hæc ad Nobiliſſimum Johannem ab Aſſeburg Scherembeccæ Dominum, à quo magno nixu Dn. Abbatis, per legum quamvis tarda auxilia receptum tandem pignus & Valli S. Mariæ eſt reſtitutum. Proxima cura fuit, fundos per fatalem temporis rabiem incultos novis colonis frequentare, quod cum in Hakenſtetenſi, Warslebienſi, Sigerslebienſi, feliciter cœptum ſit, pariter in ceteris eo venit ſperandum certius, quo deſideratiſſimæ pacis ſpes affulget propius. Abſolvat modo optimus maximus Deus, quod operari cœpit, & inclinatæ Germanæ ſuccurrat benignus, ut multis magnisque peccatis noſtris conflata, heu! diuturna tempeſtas, ponat tandem penitus & aurea tempora redeant, quibus

Bos tutus rura perambulet
Pingat rura Ceres: almaque Fauſtitas.
Pacatum volitent per mare navita
Culpari metuat fides.

Servet idem Deus, & diutiſſimè ſoſpitet eccleſiæ, cœnobii ejusque ſubditorum & familiæ ſuæ bono perquam reverendum Dn. Abbatem eique & animum hunc confirmet & ſucceſſus aſpiret, quo laceram labantemque iſtam Domini domum feliciter porro reficere & ita inſtaurare valeat, ut & pio conditorum inſtituto, & eccleſiæ atque reip. neceſſitatibus, & quæ ſupra omnia eſt, Dei gloriæ ſubſerviatur atque ſatisfiat.

Scripſi in Academia Julia Helmſtadii Kal. Maij cIɔ Iɔc XLIX.

FINIS.

HENRI-

HENRICI MEIBOMII
CHRONICON
BERGENSE.

VIRO

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. SEBASTIANO GOEBELIO

Imperialis Monaſterii Bergenſis

ABBATI

Domino & Fautori plur. honorando

HENRICVS MEIBOMIVS

S. P. D.

VEnit tandem ad Te Chronicon Bergenſe ab Avo meo HENRICO MEIBOMIO, Hiſtorico non incelebri, magno labore congeſtum, plus vice ſimplici à Te deſideratum, typis tamen exſcriptum, ut ad omnes ſimul, eâdemque opera & Te demerear, & ſi quis talium patriæque hiſtoriæ curioſus eſt, eritque impoſterum. Equidem de Avitis paternisqve ſcriptis publicandis, quantum per alia, quæ interjungo, ſtudia, licet, nunquam non ſollicitus ſum, etiam apud bonos quosque, profeſſione illa pietatis, non illaudatus: ad hujus tamen poſthumi operis editionem Tua, venerabilis Abbas, autoritate non parum me fateor inſtigatum. Deduxit id Avus meus ab ultima origine ad ſua usque tempora, pervenitque ad me ipſius manu nitide ſatis ſcriptum, ac ſi editioni jam paratum eſſet. Non dubito tamen quædam ultima ejus curæ accedere adhuc potuiſſe, ſi ipſi edere licuiſſet: ego nihilominus veniæ apud bonos ſecurus, edidi omnia, ut inveni, ſingulis retentis verbis. Tibi equidem, venerande Antiſtes, quæ de Anteceſſoribus tuis hic memorantur, pleraque & fortè plura eſſe dudum cognita ſcio, ex iis, quæ in Archivo veſtro aſſervatis, monumentis: non parum tamen ut ſpero delectabit lectio eorum, quæ ex aliis ſcriptoribus, quibus iſta memorata, adduxit Avus meus, quæque interſperſit eodem tempore acta, res veſtras illuſtrantia. Cui verò iſta minus cognita (ceu ſunt plurimi exterarum rerum avidi, noſtrarum incurioſi) ille non ſine jucunditate in hoc Chronico intuebitur variam Monaſterii veſtri faciem nunc nitidam, nunc miſere deformatam, non una ſemper de cauſa. Nam & aliquando miſera Reip. noſtræ fortuna & Saxonici orbis calamitas monaſterium veſtrum eâdem involvit, ut optimi quoque Abbates pares illi ferendæ eſſe vellent magis, quam poſſent. Non defuerunt etiam ſubinde ex Abbatibus ipſis (ut in humanis contingit) qui ad dignitatem illam mores afferrent malos, & quo illuſtriores, eò plus nocerent & publice magis. Fuerunt etiam aliquando in cœtu

veſtro

veſtro fruſtra contra nitentibus præſulibus, qui cœtera diſcordes in commun e exitium conſpirarent, ſubminiſtrantes fomenta rogo, quo deflagrarent univerſi, conſumerentur ſinguli. Imo fuit tempus, cum rerum veris vocabulis amiſſis, ut olim querebatur Cato, monachi non amplius eſſent monachi. Iſthæc omnia memorare debuit Hiſtoricus. Nec omiſit temere quicquam, cujus notitiam haberet. Neminem certe, quem laude quid dignum geſſiſſe conſtaret, ea carere paſſus eſt. Quamvis forte nonnullorum merita majora fuiſſe credam, deficientibus qui annotarent, fatali quadam ævi calamitate. Referuntur autem omnia ſimplici ſtylo, ſine verborum phaleris, cum laus omnis, quo verior eo magis amet ſimplicitatem, hoc ipſo ornata, quod ornamenta contemnat.

Quod vero Chronicon hoc Tuo, venerande Præſul, ampliſſimo nomini inſcribam, æquo animo feres, & hanc meam, ſi qua eſt, temeritatem honeſtis condonabis exemplis. Offero enim ſcriptum Tibi, quod tuum quodammodo jam eſt, certe ad neminem propius pertinet, de illis conſcriptum, quorum locum Principali clementia meritoque tuo tenes. Accepit monaſterium veſtrum ultimis annis veram Evangelii lucem, præfueruntque illi Antiſtites, ſi non propter publicas calamitates feliciores, meliores certe multis Anteceſſoribus ſuis, conſervaturque id hodie Tua quoque induſtria, tamque nunc abeſt à ſummo flore, quam prope aliquoties à ruina extrema. Majores forte qvondam reditus fuerunt & ſplendidiora ædificia. Sed nemo prudens domibus aut tectis aut congeſtu lapidum monaſteriorum nomen abſolvi credat. Muta iſta ac inanima intercidere ac reparari promiſcua ſunt: veris autem pietatis exercitiis & irrequieto nominis divini ſinceroque cultu ſalus & gloria monaſteriorum conſtat. Ad quæ omnia promovenda cum totus feraris, gratulor his temporibus & monaſterio de tali Antiſtite, qui prudentia & autoritate regit omnia, ad pietatem indefeſſus provocat, & quod maximum eſt, quodque imprimis Nazianzenus requirebat, διδάσκειν τοῖς τρόποις. Precor igitur Deum Opt. Max. ut Te diutiſsime ſervet incolumem, avertatque publicas calamitates ut quos ad monaſterii tutelam & incrementum affers, conatus, tanto ſint feliciores, quanto infeliciores ſæpe fuerunt Anteceſſorum tuorum, ceu ſunt natura infirmitatis humanæ tardiora remedia, qvam mala. Helmeſtadij, Idibus Auguſti.

cIↃ IↃc LXIX.

HEN-

HENRICI MEIBOMII CHRONICON MONASTERII BERGENSIS AD ALBIM PROPE MAGDEBURGUM.

COmmunis eſt opinio hiſtoricorum noſtratium illuſtre monaſterium familiæ Benedictinæ prope Magdeburgum in monte, unde ei nomen, ſitum ab Ottone Magno, Henrici Aucupis, Primi ex Saxonibus Imperatoris Auguſti, filio & ſucceſſore, conditum eſſe Anno Chriſti 936. qui regni ejus primus. Hujus ſententiæ confirmandæ ergo Georgius Torquatus Theologus & Hiſtoricus Magdeburgenſis producit Diploma fundatoris, quod ex MSC. auctoris Chron. integrum ſubjiciam. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ clementia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos ob amorem Dei omniumq; Sanctorum in loco Magdeburg nominato, eccleſiam conſtituere ſtuduimus, Sancti Petri Principis Apoſtolorum Sanctorumq; martyrum Mauricij, Innocentij ſociorumq; eorum patrociniis intereſſe, illorumq; obſequia, quantum ſuppetit humanitas inibi, ut agantur, cupientes. Ad eosdem verò ſanctos & ad uſum nutrimenq; congregationis illic eis ſervientis, ob memoriam patris noſtri & pro remedio animæ ipſius, venerandæque matris noſtræ, noſtrique & conjugis noſtræ. Cujus & prædictus locus Dos fuit & prolis noſtræ omniumque debitorum noſtrorum, nec non & Rudolphi Regis, qui nobis Sanctum tranſmiſit Innocentium, conſiliantibus nobis Epiſcopis, qui tunc in præſenti erant, Friderico videlicet & Adeldago, archiepiſcopis: Balderico, Thiethardo, Ebergeſo, Amalrico, Odalrico, Burchardo, Bernhardo, & Amalungo Epiſcopis res noſtræ proprietatis, quæ ſubnotantur, in proprium damus. In pago Northuringâ & in comitatu Thietmari in Magdeburg curtem noſtram cum ædificio & territorium illuc pertinens, cum omnibus locis ex occidentali parte Albiæ fluminis ad eandem Civitatem pertinentibus vel ſervientibus, cujuscunq; ſint beneficia, hoc eſt, Fridumaresleba, Pretalitze, Buchovvi, Froſa, Ruethardesdorp, Harthardeſtorp, Thetmundesdorp, Otteresleba, Oſtervvartiga, Suldorp, Nucrovvattinga, Iſtaresdorp, Dudulou, Wateneſuneg, Mantesleba, Witterichsdorp, Unundiſcunburg, Bizunici, Zieboltesdorp, Trumpſice, quatuor hobas in Valedorp, & quicquid ad prædictum locum pertinens habuimus ex Aquilonari parte Horaba fluminis in locis ita nominatis: Moſau, Pelnuſi, Unzoborg, Welbuchi, Zelici: & in comitatu Geronis in Bigera tres familias litorum & in comitatu Chriſtiani in Grimereslebâ quindecim familias Sclavorum & omnis cenſus & venundationis, acquiſitionisq; decimam in Motſani, Ligrice & Heveldun, præfatæ congregationi concedimus, & liceat, ut ligna & herbæ in uſus ſint & porci ſaginentur. Omnes præfatorum locorum familias cum cunctis ad hæc jure pertinentibus, mancipiis, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, piſcationibus, quæſitis & inquirendis, jure perenni in proprium damus: Et condonamus eidem congregationi, ut familiæ eorum coram nullo niſi Advocato eorum Juſtitiam ſecularem cogantur agere: & nulli niſi eidem congregationi ſerviant, & illa niſi Deo & ſanctis, niſi ſingulis annis tantum Regi unum cavallum, ſcutumq; lanceas vel duas cruſinas dent, ut ſciant in mundiburdio Regis ſe eſſe. Electionem eis conceſſimus Abbatem inter ſe elegendi & Advocatum quemcunq; velint, Abbatem tamen dignum. Et ut hæc noſtræ traditionis autoritas plena vigeat firmitate, juſſimus hoc præceptum conſcribi, per quod ſancimus, ut nullus ſucceſſorum vel hæredum temere illud præſumat infringere. Et ſi ullus homo in eisdem rebus aliquid injuriæ facere præſumſerit, ſummæ judicis vindictæ ſubjaceat, iramque prænominatorum martyrum incurrat. Et ut hoc à fidelibus noſtris verius credatur, manu noſtra ſubtus illud firmavimus & annulo noſtro ſignari præcepimus. Data 11. Kal.*

Octobris

Octobris, anno Dominicæ incarnationis 936. Indictione 11. anno verò Ottonis Piiſſimi Regis Secundo. Actum in Magdeburch civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum Domini Ottonis  *Invictiſſimi Regis*

Poppo Cancellarius ad Vicem Friderici archi-capellani recognovi.

TOrquatum ſequuntur Johannes Pomarius & Andreas Wernerus uterque annalibus archiepiſcopæ Magdeburgenſis. Diſſentit Trithemius Chronico Hirſaugienſi, annum fundationis inculcans 940. Indict. 14. cum quo facit Chronicon Saxon. vernaculum. Longius ab hac Sententiâ recedit Ditmarus Merſepurgenſis iſtis temporibus vicinus. Is lib. 2. differens de prælio contra Avares, qui & Ungari, commiſſo, deqve illuſtri victoriâ, omniumque tripudio tandem addit: *Interim Rex Saxoniam reviſens lætus patriam, à cunctis principibus à longe ſibi obviantibus ſummis excipitur ſtudiis diuque exſpectatus à venerabili ſuamet genetrice profuſis præ gaudio lacrymis, amplectitur. Quibus ſuum illico aperiens promiſſum, qualiter hoc ad unguem perduceret, eorundem ad hoc conſilium enixè petiit & ſuffragium. His tandem id collaudantibus, piæque petitioni adſpirantibus, ſtatim rex Abbatiam in Magdeburgenſi Civitate, incipiens eccleſiam mirum in modum in loco, ubi ſancta requieſcit Edith & juxta quam poſt obitum ſuimet pauſare deſideraverat ipſe.* Hactenus Ditmarus. Pugnatum eſt autem contra Ungaros anno Chriſti 955. Ut Frodoardus, Regino, Schafnaburgenſis, Contractus, Friſingenſis & alii. Marianus Scotus ponit annum 956. Sigebertus Gemblacenſis 957. Quæ differentia eſt biennij. Diſcrepantes ſcriptorum ſententiæ conciliari non incommodè poſſe videntur, ſi credamus Ottonem Auguſtum maturè de condendo monaſterio conſilium cepiſſe, aliquid conatum, ſed bellis civilibus, aliisque impedimentis intervenientibus, ante victoriam contra Ungaros pium negotium conficere non potuiſſe. De ultimis urbis Magdeburgenſis antiquitatibus, incertis conjecturis nitentibus, nihil hic addendum putamus, quod veritate nititur, minimè diſſimulandum. Tempore Caroli Magni aliquid celebritatis habuiſſe conſtat ex Anſegiſo, Conſtitut. Caroli M. lib. 3. cap. 6. Ubi ſequentia verba leguntur: *De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Havarorum pergunt, quousque procedere cum ſuis negotiis debeant, id eſt partibus Saxoniæ, uſque ad Bardenvvich, & ad Magdeburg, & ad Erpesfurd, & ad Halaxſtad, & ad Forachheim & ad Breemberg & ad Reginisburg, & ad Lauriacum: & ut arma & brunias non ducant ad venumdandum. Quod ſi inventi fuerint portantes, omnis ſubſtantia eorum auferatur ab eis, dlmidia quidem pars partibus Palatij, altera vero medietas inter jam dictos Miſſos & inventorem dividatur.* In hac conſtitutione Brunia non ſignificat thoracem, ſive loricam, ut Fridericus Lindenbrogius gloſſario ad veteres Germanorum leges annotavit, ſed galeam, eamque criſtatam, ut placet Luthero in Etymologiis Germanicorum nominum. Frequens vocabuli Brinne uſus in antiquis Heroum carminibus, ubi expreſsè à clypeo diſtinguitur. Miſſi fuêre iidem cum Impp. Regumque legatis. In exſtructione monaſterij San-Mauriciani Otto Auguſtus uſus eſt fideli opera Billingi Comitis, ut alio diplomate notum facit Imp. idem. Hic Billingus conditor eſt familiæ Ducalis, cui ab eo Billinganæ nomen inditum, Parens Hermanni qui primus in familiam ſuam hoc dignitatis faſtigium intulit. Non autem propter amœnitatem ſolummodo loci Magdeburgum condendo monaſterio elegit Otto, ſed quod perſvaſum haberet, finitimas gentes Henetas, immanes & barbaras, verique Dei hoſtes, fide & induſtria religioſorum novi hujus collegii Patrum ab Idolomania Ethnica avocari & ad profesſionem doctrinæ cœleſtis invitari & adduci poſſe, in quo nequaquam opinione ſua falſus eſt. *Etenim hæc amatrix, ſpeculum & exemplar totius religionis: hæc æmula ſupernæ congregationis in continuâ laude Regis cœlorum & ceremoniis, multorum venerabilium Epiſcoporum & Abbatum nutrix facta. Cbriſti bono odore diverſas terrarum Eccleſias reſperſit, & inter omnes cœnobitas melioris teſtimonij regulare iter S. Patris Benedicti irreprehenſibiliter hactenus inceſſit,* utor verbis Chronic. Magdeb. MSC.

 Abſo-

Abſolutis, quantum opus erat, præter fanum ipſum, omnis generis ædificiis, de coloniâ monachorum huc transferendâ deliberabatur. Florebat illâ ætate famâ pietatis, ſtudiorum & diſciplinæ antiquisſimum S. Maximini ad pervetuſtam Trevirorum urbem familiæ Benedictinæ cænobium ſub Ogone (aliis eſt Hugo) ejus loci Abbate triceſimo ſexto. Ab eo Imperator impetravit ANNONEM honeſtisſimâ apud Cattos famliâ natum, ſpectatæ doctrinæ & integritatis virum: quem cum ſodalitio ſuo in Saxoniam adventantem, dici vix poteſt, quàm comiter Cæſar exceperit, quàm benignè tractarit, quantis beneficiis affecerit, traditis ei regiæ ſtirpis procerum filiis moribus & pietate inſtruendis. Trithemius translationem hanc collocat in annum 940. & Annonem vocat *virum in ſcripturis tam divinis, quam ſecularibus, multùm eruditum, & non minus integritate morum quam ſcientia venerabilem.* Quatuordecim annis præfuit *gregem multiplicans, eique verbo & exemplo invigilans*, ut Chronicon Magdeb. MSC. Accidit autem, ut Wormacienſis Antiſtes Richowo (Frodoardo eſt Richoo, aliis Richovicus) vitam cum morte commutaret, cui cum idoneus quæreretur ſucceſſor, Annonem eò Cæſar miſit. Quam verò utiliter fideliterque epiſcopatui iſti per totos 24. præfuerit annos, docent Wormacienſium Annales. Hoc non diſſimulandum, defuncto Boſone primo Merſeburgenſi Epiſcopo Annonis ſvaſu inductum eſſe Cæſarem, ut Giſelarium hominem naturâ *mobilem* (ut habet codex MSC. Ditmari, nam in edito legitur *nobilem*) ei ſubſtitueret: quâ in re, tam Imperator, quam Anno, opinione ſua vehementer falſi ſunt.

Etenim Giſelarius mediocritate non contentus, impellente eum magis magisque impotenti ambitione, ad majores honores animum adjecit, quos demum inſignitâ fraudulentia impetravit, Cæſare circumvento, Romanis primatibus, quod ei proclive, auro corruptis, Magdeburgenſis archiepiſcopus deſignatus eſt. Tum verò actum fuit de Epiſcopâ Merſpurgenſi, cujus potiorem partem Giſelarius ſibi vendicavit, reliqua, ne quam pateretur invidiam, inter vicinos Epiſcopos Fridericum Cicenſem & Volcholdum Miſnenſem, diſpertitus eſt. Jurisdictionem Eccleſiaſticam commiſit Antiſtiti Halberſtadenſi. Utque ſupereſſet Merſpurgi aliquod cultus divini veſtigium, omnisque poſtliminio inſtaurandi Epiſcopatus deſiri occaſio erepta videretur, collegium ibi monachorum inſtituit, gubernatione commiſſâ Otrado, cœnobitæ Bergenſi, quo paullo-poſt demortuo, ſubſtituit ei Heimonem, ejusdem Sodalitii monachum. Verum Henricus Imp. hæc omnia in integrum reſtituit anno 1005.

II. Annoni Berbetomagum ad Vangiones miſſo, ſucceſſor datur OTHWINUS, quemadmodum à monumentis Magdeburgicis & Eggehardo catalogo Epiſcoporum Hildesheimenſium appellatur, nam Caſparo Bruſchio *Ochwing*, Ditmaro eſt *Aduinus*. Factum id anno 950. ut editus Abbatum Bergenſium catalogus annotavit, à quo diſſentiens Bruſchius hiſtoriâ Epiſcoporum Hildesheimenſium annum 955. inculcat.

Evocabatur Othwinus ex monaſterio Augienſi in inſulâ lacus Bodanici prope Conſtantiam ſito: gubernavit ſcholam ſuam monaſticam annis circiter novem, *doctus & zelo religionis fervidus*, ut Trithemius Chron. Hirſaug. translatus deinde Hildesheimium, ubi Dethardo viam univerſæ carnis ingreſſo, alius deſiderabatur. Vixit in arduo munere annos 29. Sub hoc Abbate Otto Imperator bello aggreſſus eſt Slavos, quibus fuſis, fugatisque victor domum reverſus ſpolia & manubias patribus Bergenſibus donavit anno 955. quo eodem Ottoni Imp. ex Adelheida Auguſtâ natus eſt filius cognominis, poſt in imperio ſucceſſor.

III. RICHARIUS cœpit anno 959. Hujus tempore Otto Imp. ardens ſtudio propagandæ religionis Chriſtianæ Magdeburgi archiepiſcopatum condidit. Molitus fuerat pium hoc negotium ab aliquammultis annis, neque quicquam ei obſtabat, præterquam conſenſus Epiſcopi Halberſtadenſis, ſub cujus Jurisdictione eccleſiaſticâ erat Magdeburgum cum vicino tractu. Mortuo Bernhardo (id erat Pontifici nomen) Cæſar ſubſtituit ei Hillebardum, ex comitibus Werlenſibus in Weſtvaliâ progenitum: Cujus parens Ericus, vir fortis & magnanimus, exceptoque uno iſto facinore, omnium Judiciis probatus propter conſpirationem contra Cæſarem nuper capite truncatus fuerat. Is epiſcopus, ut erat tractabilis & manſvetus, Imperatori

denuo

denuo negocium urgenti, ampliſſimæ diœceſis ſuæ partem non modicam conceſſit, Hattone Moguntino Archiepiſcopo Metropolitano, & Joanne tertiodecimo Pontifice Romano rem confirmantibus. Ita initium habuit archiepiſcopa Magdeburgenſis anno filii Dei 968. ut plærique omnes annotarunt. Cui cum Præſulem idoneum Cæſar quæreret, Anno Berbetomagenſis & Othwinus Hildesheimenſis, Antiſtites, nuper archimandritæ Bergenſes, auctores fuere, ut Richarium abbatem, quem propter ſingularem eruditionem ac prudentiam itineris Romani comitem habuerat, archiepiſcopum crearet: Verum aulicorum quorundam ſycophantiæ effecerunt, ut Richario, ejus rei gratiâ accerſito, neglecto, alium Adelbertum videlicet, eccleſiæ præficeret.

Quid crimine datum ſit viro innocenti, non exponitur: ex Ditmaro & annalibus Magdeburgicis conſtat, Cæſarem lectâ quadam epiſtolâ clanculo ipſi obtruſâ animum à Richario prorſus avertiſſe. Ferebat ille repulſam iniquo admodum animo, deque ignominia vindicanda totus cogitabat: Verum divinâ factum eſt prudentia, ut non multò poſt de vita decederet, ne fortè per imprudentiam ultione doloris religioſa perſonâ indigna ſeſe pollueret, vir alia omni laude cumulatus.

Quam verò diu in ipſa urbe Magdeburgo habitarint monachi, quove tempore in novum extra urbem immigrarint domicilium, difficile erit pronunciare. Sunt qui annum egreſſionis nominent 965. ut ſtatuatur in priore eos monaſterio degiſſe annos 29. Etſi autem loco opportuno & commodo, in colliculo prope Albim urbi vicino, quem ex Chron. Magdeburg. MSC. Brotufius montem Riddagi indigitat, fanum ipſis ædificatum, habitationes etiam prioribus non inferiores præparatæ eſſent, ut locum tantum, non hoſpitium mutaſſe viderentur, invitiſſimè tamen opido in ſuburbana exibant monachi, ſuam, deplorantes infelicitatem, quod à Mauſoleo S. Edgides Auguſtæ, cujus beneficio primùm ibi conſediſſent, nullâ ſuâ culpâ avellerentur: quos Cæſar novis fundis & cenſibus collegio collatis placavit. Emigrationis dies nominatur nonus Sextilis, in Faſtis Eccleſiæ Latinæ Divo Romano martyri ſacer, divique Laurentii feſtum proximè antecedens, ab illo tempore ſubſequentibus aliquot ſeculis ſemper acerbus, ſemper luctuoſus. Etenim cœnobitæ omnes & ſinguli recurrente hac egreſſionis ſuæ die, ut ſibi perſvadebant, inauſpicatâ, bini pullis veſtimentis induti & diſcalceati monaſterio exibant, templumque ingreſſi cathedrale ſacro ſolemni memoriam exſilii renovabant. Sed mos iſte nullâ ratione ſuffultus per reformationem abrogatus eſt. Anno 968. regni ſui 33. Imperii 7. Otto Auguſtus monaſterium jam conſummatum, poſſeſſionibus etiam & proventibus annuis ſufficienter donatum, archiepiſcopo Magdeburgenſi ſubjecit, ut ille inſpector collegii, ephorus & ἱεροδιώκτης eſſet perpetuus.

Hoc ipſo anno mortem obiit Richarius, à Georgio Fabricio perperam Richardus appellatus, nam in priore nomine conſentiunt Ditmarus Epiſcopus & Annales Magdeburgici.

IV. HERDINGUS, cœpit anno 968. præfuit annis 22. Quinto gubernationis anno amiſit Phrontiſterii ſui conditorē & Evergetam munificentiſſimum, Ottonem M. Imp. Auguſtum, quem Abbas Urſpergenſis *amorem generis humani* nominat: Marſilius Patavinus *conſilio prudentem, Judicio Juſtum, bello ſtrenuum clementiâ admirandum, omni honeſtate & pietate eximium fuiſſe, affirmare nullus dubitat.* Obiit Herdingus 990. Non. Sextilis.

V. RIDDAGUS, Ditmaro lib. 4. Riddagus, eodem menſe electus inauguratur à Giſelero Archiepiſcopo Magdeburgio, præfuit annis 15. utiliterne, an ſecus exploratum non habeo. Nono gubernationis anno Adelheidis Auguſta, altera Ottonis M. conjux, naturæ ſatisfecit, ſecuta filiam Mathildan ſummam ſacerdotem in Parthenone Quedlinburgenſi. Auguſta moritura collegio Bergenſi legavit vineas, quas in vicinia poſſidebat: item manſos aliquot agri, litteræ veteres houbas nominant. Anno 1003. Riddagus cum Henrico 2. Imp. quem Claudum appellant, interfuit inaugurationi monaſterii Monachonaumpurgii (Ditmarus lib. 7. *novam civitatem* vocat) ut referunt annales, quibus ſi fides adhibenda, neceſſe eſt cœnobium hoc aliquandiu deſolatum fuiſſe: eſt enim antiquius, ut infrà patebit. Removetur ab officio Riddagus à Dagano (Ditmaro eſt Tagino) Archiepiſcopo Magdeburgio: cauſam an-

nales non exprimunt, haud obſcurè tamen innuunt, invidorum malevolentiam & calumnias innocenti infortunium importaſſe. Quod facilè apud me fidem invenit, locum enim non honorem amiſit, translatus Luneburgum ad Monaſterium S. Michaëlis, ab Hermanno Saxoniæ duce Comitis Bilingii F. anno 971. conditum. In eo cœnobio vivens Riddagus, ab Henrico Claudo Imp. donatur prædio quodam Latheburum, pagi Hartegani, ſub comitatu Ludingeri, menſe Decembri. Diploma habet appendix Chronici Mindenſis, editi ab Johanne Piſtorio. Catalogus Abbatum monaſterii Luneburgici à Davide Chytreo lib. 20. Saxoniæ ſuæ inſertus, admodum vitioſè *Riccaſum* appellat, qui error fortè à Librario. Ad honorem & famam Abbatis Riddagi totiusque Phrontiſterii Bergenſis non parum facit, quod in eo circa hæc tempora vixit Ditmarus ex Comitibus Walbecenſibus in Holtlandia prope Helmæſtadium ad Alarim fl. habitantibus, originem ducens, qui poſtea Walbecæ in canonicorum collegio, à majoribus ſuis inſtituto, Præpoſitum, demum Merſeburgi ad Salam Epiſcopum egit. Scribit ille lib. 4. hiſtoriæ, triennium in ſchola monaſtica Bergenſi conſumſiſſe. Sunt qui affirmant, S. Brunonem dynaſtam Querfurtenſem, propter annunciatum de Chriſto Dei filio Evangelium à Boruſſis idololatris martyrio coronatum, in eodem Phrontiſterio hoc tempore vixiſſe: de quo certi nihil affirmare poſſum. Ditmarus quidem lib. 2. Brunonem ſuum *conſcholaſticum* vocat, quod an de ſcholâ cathedrali Magdeburgica, in qua uterque à Giddone Philoſopho inſtitutus eſt, an verò de Bergenſi cœnobio intelligendum ſit, equidem non ſatis ſcio.

VI. ALFKERUS cœpit anno 1005. quo anteceſſor exauctoratus eſt. Evocavit eum Daganus Archiepiſcopus ex cœnobio Poledenſi, olim à Mathilda Auguſta, Henrici aucupis conjuge, exſtructo. Monaſterium illud Dagenus, neſcio qua auctoritate, in Præpoſituram converterat, collocatis ibi clericis parùm religioſè viventibus, quâ in re adjutor ei Alfkerus. Uterque inconſultè egiſſe creditus juſtam rectius judicantium reprehenſionem evitare minimè potuit. Verum peccat & ſapiente ſapientior. Crediderim Ditmarum Merſepurgenſem lib. 7. de hoc Abbate loqui, locum ideo integrum adſcribam: *Inſuper*, inquit, *pii Abbatis Alſkeri quandam actionem egregiam in exemplum imitabile profero: Hic præter cæteras virtutes ſuas hoc in uſu habuit, quòd nomen ſuum ſuper Altare quodlibet ſcripſit, & dum ipſe Miſſam caneret, in tantum flevit, ut maxima corporalis pars humectaretur, nil hæſitans, quod ſic ſcriptum eſt, lacrymæ pro peccatis corde tenus effuſæ, divinam non modò poſcunt veniam, ſed etiam impetravit. Et ut liberius cœleſte ſuffugium implorare ſibi voluiſſet, cunctis debitoribus ſuis miſericors fuit.* Hæc ille. Migravit ex hac vita Alfkerus anno 1009. Kal. Quintilis.

VII. SIGFRIDUS, hujus nominis primus ſucceſſit Alfkero, natus ex comitibus Walbecenſibus, proavo Lothario, avo Henrico, patre Sigfrido: frater ejus fuit Dichmarus Merſepurgenſis Antiſtes toties à nobis laudatus. Sumſit Sigfridus veſtem ſacram in monaſterio Bergenſi admodum Adoleſcens: cumque tempore Riddagi pro avunculo *Sigfrido Stadenſi comite* ab Aſchomannis Piratis capto, obſes à matre *Cunigunde*, Henrici *Marchionis Stadenſis filia*, deſtinaretur, à Riddago ei denegatur. Hiſtoria exſtat ap. Dithmar. lib. 4. Abbatis dignitatem promeruit doctrinæ eruditione, qua pollebat eximia, ſatisque conſtat, eo præſidente ſtudia litterarum & pietatis exercitia in hoc Phrontiſterio maximè viguiſſe.

Unum ſaltim dabo exemplum. Henricus Claudus Aug. condidit Epiſcopam Papebergenſem magno ſumtu. Eam liberalem beneficentiam æmulata Auguſta *Cunegundis, Sigfridi Comitis Palatini F.* ad eandem urbem exſtruxit monaſterium S. Michaelis, quod vulgo montem Monachorum appellant. Ei præfectus eſt abbas *Rathdus*, vir optimus, qui in ſchola ſua rectè conſtituenda fideli conſilio & opera Sigfridi Bergenſis uſus, collegit nobiles & ingenuos adoleſcentes, pietate & litteris imbuendos, qui ubi progreſſus in moribus & doctrina feciſſent, vocarentur inde ad majores dignitates. Ita de voluntate Cæſaris ad imitationem ſcholæ Bergenſis novum Franciæ cœnobium confirmatum eſt. In officii adminiſtratione perquam gnavus & vigilans erat Sigfridus, delectatus ſtructuris ſplendidis & magnificis. Jecit fundamentum novi presbyterii ſive chori, in templo Joanni Baptiſtæ & Apoſtolorum principibus Petro

& Paullo

& Paullo conſecrato, perfecturus totum ſacræ ædis ædificium, niſi ingens & inſperata calamitas interveniſſet, eam ex lib. 7. Ditmari libet hic apponere. *Interea in monte S. Joannis Baptiſtæ, qui juxta Parthenopolin poſitus, eidem eſt cum appertinentibus univerſis ſubditus, res admodum miſerabilis 12. Kal. Auguſti & Dominica nocte accidit. Horum in dormitorio confratrum lucerna quædam ardens major ſolito illuxit, & proxima occupans, hoc ibidem quieſcentibus, id ſero intelligentibus, voraci flamma conſumſit: Et cum tale periculum omnes evaderent, unum ex his cauſa ſacerdotalem eripiendi apparatum ſubito regreſſum, & in medio ignis peccata ſuimet confitentem, perdiderunt. Hujus nomen erat Henricus. Dehinc monaſterium ab ejusdem loci Abbate Sigfrido octo annis optime elaboratum, ardens præſentium poſteaque advenientium corda turbavit. Inſuper duas ejusdem capellas cum refectorio, cæterisque adhærentibus officinis, ignis late flagrans abſorbuit: de cujus avaris faucibus divina pietas & confluentium ſumma devotio, omnes ſanctorum reliquias, & maximam theſauri partem eripuit. Facto autem mane, urbis prædictæ habitatores, & qui ibidem præſidio ab Imperatore relicti fuerant, conveniunt: detrimentum tale nimio mœrore conqueſti. Corporis autem peruſti tenues favillas mane fratres ſummopere colligentis ſuis appoſuere prædeceſſoribus, Abbatique ſuo tunc abſenti per nunctum ſuimet eventum miſerabilem indixere: qui ut hæc comperit, ſuis ſpecialiter accidiſſe peccatis cognoſcens, quia emendare nequivit, honeſta gravitate tulit.* Hucusque Ditmarus. Incidit hæc calamitas in annum 1017. Studuit reparationi Sigfredus, quantum potuit, adjuvante pios conatus Cæſare aliisque ex nobilitate proceribus, quorum munificentiam non pauci de plebe æmulabantur ſtudioſe. Multam comparabat monaſterio ſuppellectilem eccleſiaſticam argenteam & auream, & in his crucem auro gemmisque coruſcantem: capſulas duas argenteas reliquias ſanctorum continentes: calicem prægrandem inauratum. Præterea veſtes ſacras ſericas & damaſcenas, libros rituales, thuribula & æramenta. Munificentiam iſtam adjuvabant, fratres Germani Ditmarus Epiſcopus, Henricus & Fridericus, ejusdem generis, nec diſparis precii donaria cœnobio conferentes.

Eo ipſo anno, quo infortunium Bergam opprimebat, Sigfridus Abbas fuit in comitatu Cæſaris Henrici introducentis in monaſterium Munchenaumburgenſe Abbatem Herdingum ſuccedentem Echardo, viro doctrina & virtute ornatiſſimo, qui cum iſti collegio ſecundus in ordine annis 23. menſibus 5. præfuiſſet laudabiliter, ad Epiſcopatum Pragenſem transferri meruit. In hiſtoriis Boëmicis nominatur *vir pius & honeſtæ converſationis.*

Triennio poſt, increbeſcente fama de præclara Sigfridi pietate, eruditione & prudentia, à clero populoque Monaſterienſi in Weſtvalia ad gubernationem diœceſis iſtius honorifice evocatur. Geſſit morem collegio, idque eo libentius, quod meminiſſet ejus loci Antiſtitem Theodoricum, ſanguine proximo ſibi cojunctum, apud ſubditos & vicinos integritatis & moderationis famam promeruiſſe, quam cum Jehova bene juvante imitaturum ſe animo conſtitutum habebat. Crancius Metropol. lib. 4. cap. 5. ſcribit, eum ſingulari ſtudio præbendas & facultates Eccleſiæ uberiores reddidiſſe, intusque & foris omnia in meliorem & uberiorem ſtatum redegiſſe.

IIX. MARQUARDUS, cœpit anno 1020. fuit in functione annis 5. mortuus anno CIↃXXV. De rebus ejus geſtis nihil invenio. Proximo ante ipſum anno rebus humanis Grondæ ad Viſurgim exceſſit Henricus 2. Imp. qui à fœnore luxato *Claudus*, à manſuetudine *Humilis*, à vitæ integritate *Sanctus* appellari promeruit. Monachi vulgo parentem ſuum nominarunt, teſte Chronico Laurisheimenſi. Vixit annos 52. imperavit 23. menſes 5. obiit 3. Idus Quintilis.

IX. BRUNO, comes Walbecenſis, Sigfridi filius, Ditmari Epiſcopi & Sigfridi Abbatis frater. Puer in ſcholam Corbejenſem ad Viſurgim à parentibus ablegatus, initia doctrinæ cœleſtis, litteras bonasque artes ſtudioſe addidicit. Miſſus deinde Magdeburgum in monaſterio Joannis Baptiſtæ ſacram veſtem induit, ſumtam è manibus Sigfridi fratris, præſentibus Henrico & Friderico itidem germanis.

Cum non pœniteret collegium Bergenſe familiæ Walbecenſis, demortuo Marquardo, concordibus ſuffragiis Abbas eligitur, neque multo poſt cœnobii Munchenaumburgenſis gubernator deſignatur, ſic ut raro exemplo duob9 monachorum ſodalitatibus ſimul præeſſet. Pugnabat hoc inſtitutum cum moribus ſuperioris ævi: pu-

gnabat cum piorum Impp. ſanctionibus. Superat enim apud Anſegiſum in capitulis Karoli M. & Ludovici Impp. lib. 6. cap. 153. hujus ſententiæ lex: *Unum abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere.* Sed hæc majorum decreta, utut pia & ſalutaria, paullatim antiquata ſunt. Munchenaumburgum, ut & hoc in transcurſu addam, præclarum ad Salam fl. cœnobium conditū eſt à Gerone archiepiſcopo Colonienſe & Ditmaro marchione Luſatiæ fratrib⁹ germanis, Chriſtiani comitis Luſatiæ ex Hidda Geronis Saxonici marchionis F. filiis, anno 975. Ultra novennium in ſchola ſua monaſtica Bruno commorari non potuit, nam Ditmaro Verdenſi antiſtite defuncto, ei ſucceſſor mittitur anno 1034. A Tritthemio lib. 4. de illuſtribus viris ordinis Divi Benedicti, cap. 239. vocatur *vir magni ingenii, animum dignum Pontifice poſſidens, qui non minus in ſpiritualibus, quam temporalibus profuerit.*

X. SIDAGUS. Brunone Verdam translato, ex cœnobio Hirsfeldenſi evocantur duo, Sidagus & Albuinus: hic miſſus eſt Munchenaumburgum, illi commiſſa eſt Berga. Experientia docuerat, non eſſe è re & utilitate monaſteriorum, ut ab uno duo vel plura gubernarentur: enaſci inde detrimentum tam religioni, quam rei familiari. Hirsfeldenſe cœnobium, ne hoc negligam, olim illuſtri ſchola monaſtica celebre, fundavit Pipinus rex Franciæ, Karoli Magni parens, anno 738. attributis ei plurimis in Haſſia & Thuringia prædiis ac cenſibus. Fuit in gubernatione Bergenſis cœnobii Sidagus annis 17. Tempore ejus ex hoc loco deducta eſt colonia ad ripam orientalem Viſurgis fl. è regione urbis epiſcopalis Mindæ, auſpice Brunone ejus loci Antiſtite 15. ex illuſtri familia Saxonica profato. Is cum perquam eſſet religioſus, ut cultum divinum in ſua diœceſi amplificaret, monaſterium condidit in ripa Viſurgis, quam dixi, & abſolutum perfectumque monachis, è Bergenſi cœnobio evocatis, habitandum contradidit. Ante epiſcopatum fuerat Baſilicæ Magdeburgenſis Canonicus, familiaris Sidago ejusque anteceſſori Brunoni, archimandritis Bergenſibus. Novum igitur monaſterium Divo Mauricio, Magdeburgenſium patrono tutelari, in memoriam beneficiorum illic acceptorum conſecrari voluit. Sic ut alium adjungeret Patronum *Simeonem* eremitam, forte famoſum illum *Styliten*, de quo Græci ſcriptores eccleſiaſtici multa perquam inepte fabulati ſunt. Referuntur hæc ad annum 1042. qui Brunonis Pontificis tertius. Primus loci abbas memoratur *Meinvvardus*: cujus ſucceſſores cum per aliquot ſecula Viſurgim accoluiſſent ejusque frequentes exundationes damnoſas, præterea raptorum incurſiones ſuſtinuiſſent, pertæſi injuriarum loci & hominum de conſenſu Epiſcopi & majoris capituli, ut vocant, civibus nonnihil obſtrepentibus, in urbem immigrarunt, condito novo cœnobio, quod hodieque ſuperat S. Simeonis nomine, quod cum vicina porta communicat, notum. Facta eſt mutatio ſub Epiſcopo *Wulbrando* Hallermundio anno 1435. Dominica Lætare. Sed ad Sidagum redeo. Is Priorem, quem vocant, habebat Ditmarum, ex hereditate paterna opulentum, qui erga monaſterium ſumma utens liberalitate, in ſacros uſus calices, hierothecas, aliaq; ejus generis vaſa & inſtrumenta argentea & aurea in ſui memoriam relinquebat. Abiit è vita Sidagus 17. Kal. Decembr. anno 1051.

XI. BERNHARDUS, cæpit anno eodem, præfuit annis 25. obiit 1076. Nonis Junii, quem diem emortualem ut cænobitæ ſacro annuo inſignirent animæque in purgatorio pœnis ſubjacenti parentatione opem ferrent, villam *Brumbejenſem* monaſterio legavit. Erant tum temporis magni in toto Imperio Romano motus, ad clavum ſedente Henrico 4. qui in adoleſcentia negligenter educatus in juventute inſolentiſſime rempublicam adminiſtrabat, in reliqua tota vita adverſarios expertus multiplices, juxtaque implacabiles. Qui Pontifices maximi tum erant Romæ, oppugnabant Cæſarem, gerebant bella, totique politicis implicati & immerſi negociis eccleſiaſtica, quæ ipſorum propria, ſupine negligebant, unde evenit, ut regularis obſervantia, tam in canonicorum collegiis, quam monachorum contuberniis, protrita & conculcata evaneſceret, totusque ordo eccleſiaſticus, olim merito ſuo venerabilis & honoratus, deſpicatui eſſet proque nihilo duceretur. De monachis hunc in modum differit Henricus de Erfordia, lib. de rebus memorabilibus. *Illo tempore quorundam Pſeudomonachorum privata ignavia nomen monachorum valde infamavit. Illi ommiſſo ſtudio divinarum rerum, operam totam pecuniis & quæſtibus inſumebant. Illi pro Abbatiis & Epiſcopatibus aures Principum oportune detundebant, & per ambitionis præruptum & male*

parta-

partarum pecuniarum profuſionem graſſabantur ad eccleſiaſticas dignitates ſeculares & emtores largitionis ſuæ immoderantia excludentes. Nec venditor tantum audebat expoſcere, quantum emptor paratus erat exſolvere. Mirabatur mundus, unde iſte fluvius ſcaturiret pecuniarum; Unde Cræſi & Tantali opes in privatos homines congeſtæ fuiſſent, & eos potiſſimum homines qui Crucis ſcandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter ſimplicem victum & veſtitum nihil rei familiaris ſe habere mentirentur. Iſta Dominici agri zizania, hæc vineæ Domini arida ſarmenta & ſtipulas, æterni ignis præparamenta ſacri gregis corpus quaſi tabo quodam infecerant.

XII. BERNHARDUS II. cæpit anno 1076. ordinatus à *Wernero* (auctor apologiæ pro Henrico IV. Imp. *Wezelinum* vocat) archiepiſcopo Magdeburgio. Fuit ſpectamen & exemplar irreligioſi Paſtoris & prodigi Patris familias. Majorum anathemata & ſacra legata ipſe degener heres nefaria ſacrilegaque manu; ab altaribus avulſit, ex ſcriniis eruit, perſonisque indignis dilargitus eſt. Hirſaugiæ, alias ſatis locupleti, partem ſpoliorum transmiſit, partem archiepiſcopo dedit: nonnulla ceſſerunt hominibus profanis, quibus paraſitis & adulatoribus gaudebat. In annalibus ab Eccleſia alienata commemorantur ſingula; nos omittimus. Diſtracta tum fuerunt & diſſipata piorum Imperatorum, Regum & Principum donaria, religioſæ pietatis, & munificentiæ præclara monumenta, quæ in ſui memoriam & pro remedio animarum (ſic enim perſuaſi erant) aſſervanda reliquerant. Hic infidelis diſpenſator & ſervus nequam, non Paſtor, ſed mercenarius, non parens, ſed vitricus, ab archiepiſcopo loco motus eſt, idque Jure & merito: Non deſunt, qui ſua ſponte, urgente conſcientia, quod incredibili apud ſuos invidia deflagraret, paſſimque male audiret, munus reſignaſſe ſcribunt. Factum anno 1096.

XIII. HILDEBOLDUS, (annalibus Magdeburgicis MSC. eſt *Hildebodo*) poſtquam toto biennio monaſterium ſine præſide fuiſſet, agente interim curam ejus Hartwico archiepiſcopo, ex Cœnobio Hirſaugienſi evocatus ſolemniter inauguratur anno 1098. Eruditionis nomine plurimum prædicatur, rigoroſam agens vitam, aſſuefactus ad eam in collegio Hirſaugienſi ſub *Wilhelmo XII.* ejus loci antiſtite, viro ut credebatur, resque ipſa fidem faciebat, ſancto. Introduxit Hildeboldus in cœnobium ſuum *Reformationem Cluniacenſem*: de qua ut per occaſionem aliquid intexam, non videtur abs re eſſe. *Odo* primus Cluniacenſis in Burgundia Abbas, animadvertens regulam à Divo Benedicto monachis olim præſcriptam, plane antiquatam, minimeque obſervari amplius, id ſibi negocium datum credidit, ut fugientem quaſi ſiſteret, obſcuratam illuſtraret, ſuoque collegio, & ſi fieri poſſet, aliis etiam commendatiorem redderet. Quod inſtitutum cum ex animi ſententia ceſſiſſet, collapſi ordinis Benedictini inſtaurator, juxtaq; ſocietatis Cluniacenſis auſpex habitus eſt. Hujus familiæ ritus & conſuetudines deſcripſere unus & alter, à quibus peti poſſunt. Quia vero Cluniacenſes religioſius, quam alii monachi vivere crederentur, ei ſectæ à loco nomen inditum eſt, quæ poſtea ob novitatem longe lateque diſſeminabatur. Trithemius numerat ultra 70. monaſteria, quæ cum Cluniacenſib. & Hirſaugienſibus ſocietatem inierant eosdemque ritus ſequebantur. Sed hanc ordinis reformationem obſcuravit *Bursfeldenſis* in Saxonia nata, de qua ſuo loco aliquid dicendum veniet. Cluniacenſe cœnobium, ne hoc diſſimulemus, condidit *Berno Comes Burgundus & Abbas Gigniacenſis* anno 895. teſtes Sigebertus & Trithemius Chronico Hirſaug. Introducta in Bergam normâ vivendi Cluniacenſi, ceſſavit mos ſuprà memoratus, quo monachi cœnobio egreſſi in in ſummum ſe templum recipiebant, ſuæque emigrationis memoriam non ſine dolore renovabant.

Obiit Hildeboldus 6. Idus Junii anno 1113. cum triennio ante monaſterium Hildenslebienſe ad Oram fluvium ex Præpoſitura in abbatiam mutaſſet, Alberico primo Abbate ex collegio ſuo eo transmiſſo. Conditum ſcribitur Hildeslebium 958. habuitque initio virgines ſancti moniales, quæ fugatæ inde, cum Imperante Ottone tertio à Sclavis cremaretur.

XIV. HUGO ex ſchola Hirſaugienſi per *Adelgotum* archiepiſcopum Magdepurgenſem accitus ſubſtituitur Hildeboldo condiſcipulo. Deſignatus fuerat alio in loco Abbas, verum quod collegio minus probaretur, excluſus Hirſaugiam redire ibique meliorem fortunam exſpectare coactus eſt. Florebat tum temporis Hirſaugia doctrinæ cæleſtis, omnium diſciplinarum artiumque liberalium ſtudiis, ut uno eodemque tempo-

tempore plures centum quinquaginta ſecum habuerit monachos Abbas *Wilhelmus*, cujus ſupra meminimus. Hi omnes vacabant ſtudiis litterarum piisque precum, cantionumque exercitiis: Oeconomicos labores procurabant converſi, ſive laici, quorum non pauciores quadragenis ibi viſebantur. Ex eruditioribus deſumebantur, qui vel ad Epiſcopatus, vel monachorum collegia gubernanda mitterentur. Recenſet Trithemius Chronico Hirſaugienſi ad annum 1083. quinquaginta octo Abbates diverſis temporibus ex Hirſaugia ad alia monaſteria amandatos. In horum numero eſt Hugo Bergenſis, eidem Trithemio *vir magnæ prudentiæ, honeſtatis & religionis.* Ut autem palam fiat quæ aut quibus, tam in Canonicorum, quam cœnobitarum collegiis ſtudia fuerint & exercitia, inſignem ex vita Meinwerci Epiſcopi Paderbornenſis narrationem hic inſeram, quæ talis eſt. *Studiorum multiplicia ſub eo floruerunt exercitia. Et bonæ indolis juvenes & pueri ſtrenue inſtituebantur, norma regulari proficientes, haud ſegniter in clauſtrali diſciplina: omniumque litterarum doctrina claruit hic ſub Imado epiſcopo: ſub quo in Paderbornenſi eccleſia publica floruerunt ſtudia: quando ibi Muſici fuerunt & Dialectici enituerunt, Rhetorici clarique Grammatici: quando magiſtri artium exercebant trivium, quibus omne ſtudium erat circa quadrivium. Ubi mathematici claruerunt & Aſtronomici habebantur, Phyſici atque Geometrici. Viguit Horatius magnusque Virgilius, Criſpus & Salluſtius & Urbanus Statius. Ludusque fuit omnibus, inſudare verſibus & dictaminibus jucundisque cantibus. Quorum in ſcriptura & pictura jugis inſtantia claret multipliciter hodierna experientia, dum ſtudium nobilium clericorum uſu perpenditur utilium librorum.* Hactenus vita Meinwerci. Nos revertimur ad Hugonem Bergenſem.

Non diu ille præfuit, neque quicquam de eo reperi, præterquam quod memoratur interfuiſſe inaugurationi monaſterii Sanctægidiani apud Brunonis vicum anno 1115. Condidit Ægidianum *Gertrudis Ecberti primi marchionis Saxoniæ F.* Uxor *Henrici Craſſi Comitis Northemii*, cui profectitiam dotem attulit Brunſvigam cum ei adhærente peramplo diſtrictu. Inaugurationi adfuit Gertrudis gener *Lotharius*, Saxoniæ dux, ejusque uxor *Richenſa*, & *Theodorus* Pontificis Romani in Germaniam legatus. Sacrum, quod officium vulgo vocant, peragit *Reinerus* Halberſtadenſis Epiſcopus. Inſpectio novi collegii demandata eſt *Henrico* Abbati Bursfeldenſi, cujus Phrontiſterium Ægidiano ſedecim annis antiquius cæpit anno 1099. auſpice Henrico Craſſo Comite Northemio, quem ſupra nominavi. Exceſſit è vivis Hugo 1119. pridie Idus Decembris, cum biennio ante præmiſiſſet *Bernhardum* Baronem ſive Dynaſtam Domeslebium, qui non adeo nuper religione tactus, quod monachatus inter præcipua pietatis inſtituta haberetur, cucullum induerat, ſeque fratribus conjunxerat Bergenſibus. Moriturus *Domeslebius* avitum familiæ ſuæ domicilium archiepiſcopatui, *Ileburgum* & *Honhamen* Phrontiſterio Bergenſi legavit. Dies ejus emortualis incidit in Kalendas Decembris.

XV. ARNOLDUS. Eodem menſe, quo Anteceſſor fatis conceſſit, electus eſt, inauguratus à Gumperto Havelbergenſi Antiſtite. Anno 1130. menſe Februario adfuit Lothario Imp. comitia habenti Goslariæ. Data eſt archiepiſcopæ Magdeburgenſi Abbatia Alslebienſis in ripa Salæ, exorato Imperatore à Nortberto Antiſtite. Magnæ fuit auctoritatis Arnoldus apud ſummi templi Canonicos: Cum enim defuncto Rotgero novus eligendus eſſet archiepiſcopus, & plerique *Conradum*, *Gerhardi F.* Dynaſtam Querfurtenſem Canonicum primariæ ædis deſignarent, Arnoldus pertracto in ſententiam ſuam præpoſito Friderico, electionem impedivit, prætendens, illum, qui ſubdiaconus eſſet, nec poſſe nec debere eligi. Idem ſua auctoritate effecit, ut vacante iterum poſt mortem Friderici archiepiſcopatu, *Wigmannus Bavarus* in cathedram Magdepurgenſem collocaretur.

Anno regiminis 15. monaſterium Munchenaumburgenſe gubernandum accepit, *Alberone* Abbate ad Epiſcopatum *Baſileenſem* à Lothario Imp. tranſlato Chriſtianus Urſtiſius Chron. Baſileenſis lib. 2. *Adalberonem* vocat, facitque Comitem *Friburgium*. Quæ præterea in tempus gubernationis annotatu digna inciderunt, ordine percurremus. Erat *Ballenſteti* ad Sylvam Hercyniam collegiata canonicorum eccleſia, ab *Eſico* IV. *Ottonis* III. Comitis Ballenſtedii & Aſcanienſis F. anno 943. conditæ. In monaſterium illud Otto cognomento Dives Eſici V. filius introduxit familiæ Benedi-

ctinæ

ſtinæ, cui nomen dediſſet, incrementa amplificationemque etiam in ſolo patrio quærebat. Brotuſius ſecutus Henricum Baſſeum Monachum Ballenſtadenſem, auctor eſt, factum eſſe anno 1100. qui centeſimus eſt & quinquageſimus ſeptimus poſt primam monaſterii fundationem. Ab hac ſententia diſcedit Trithemius, Chronico Hirſaugienſi nominans annum 1124. cui adſtipulatur Paulus Langius Chronico Citizenſi. Miſſus eſt Ballenſterum primus Abbas *Joannes*.

Non multo poſt Arnoldus alio coloniam è ſua ſchola deduxit; res ita ſe habet. Erat *Ammenslebii* in diœceſi Magdepurgica collegium canonicorum ſecularium, ut cœnobii annales volunt (antiquitates *Hamerslebienſes* exhibentes bullam *Honorii* Secundi Pontificis, Ammenslebium referunt inter cœnobia ordinis Divi Auguſtini, ſive canonicorum regularium,) conditum anno 1120. à Theodoro comite Gribenſi, ejusque conjuge Amelrada. Piis hiſce fundatoribus demortuis, liberi & hæredes *Hermannus, Otto, Theodoricus* Canonicus Magdepurgenſis, *Milo* & *Bia* locum à parentibus Deo dicatum ſuo etiam dignati Patrocinio, multis modis ornarunt, amplificarunt. Ottoni tribuitur conjux *Berta*: Miloni *Luiburgis*. Quo in Bohemia, ubi Lothario Aug. militabat, cœſo, *Hermannus* & *Otto* fratres, quæcunque eos religio inceſſerit, à Nortberto archiepiſcopo Magdepurgenſi Præmonſtratenſium monachorum patriarcha, mutationem loci in melius, ut ſperabant, impetrarunt, ſic ut Canonicis Monachi ſuccederent Benedictini. Utebantur in expeditione hujus negocii conſilio & opera Arnoldi Abbatis Bergenſis Nortberto familiaris & neceſſarii, qui & ordinis & collegii ſui honori & emolumento intentus, nonnullos è fratribus ſuis Ammenslebium ablegavit, triennio poſt cædem Milonis. Adminiſtrationem monaſterii nondum bene conſtituti Arnoldus ſibi retinuit. Eodem anno, quo Benedictini Ammenslebium occuparunt, Nortbertus in ædem Divæ virginis Magdepurgi, amotis Canonicis tenuiter ſe alentibus, ordinis Præmonſtratenſis monachos introducere moliebatur. Vi tamen rem agere inconſultum ratus, ut cederent, bonis perſuaſit verbis. Tranſtulit horum nonnullos in alia collegia, quibusdam certos unde honeſte viverent reditus aſſignavit. Sic ædes San-Mariana cum ſuis fundis & provencibus ceſſit familiæ Præmonſtratenſi. Negocium tractatum & confectum eſt in monte Joannis Baptiſtæ, adjuvante rem Arnoldo Abbate.

Lotharius Cæſar, quod auſpicato faſces Imperii adeptus eſſet, contra æmulos & adverſarios feliciter pugnaſſet, pacemque optatam poſt diuturnos bellorum plusquam civilium tumultus ac tempeſtates poſtliminio reſtituiſſet, atque inde meritiſſimo *patris patriæ* elogio honeſtaretur, cum de cultu divino augmentando maxime eſſet ſolicitus, ſimulque glorioſum ſui nominis monumentum in patria & apud ſuos relinquere vellet, in opidulo *Lutter* ad fluviolum [illegible], monaſterium Sanctimonialium olim a Bernhardo Comite Haldenslebio conditum, verum laxata diſciplina moribusque corruptis, monialibus, quotquot inveniebantur, Trubecum ad ſylvam Hercyniam traductis, in collegium ordinis divi Benedicti convertit, ac *Regalem Lutteram* indigitavit. Novum etiam multoque priori auguſtius & ſplendidius ſinum ædificavit, cujus fundamenta cum jacerentur, primos ille, more antiquis Principibus familiari, cum conjuge Richenſâ poſuit lapides. Primus ejus loci Cœnobiarcha fuit Eberhardus, ex Phrontiſterio Bergenſi cum ſex monachis eò miſſus, qui novam auſpicati ſcholam ita eam illuſtrarunt, auxerunt, ut non multò poſt octoginta Monachi, qui profeſſi dicuntur, uno eodemque tempore ibi viverent piisque exercitiis vacarent. Vidi litteras Henrici Leonis Bajoariæ & Saxoniæ ducis, priores Lutteræ, anno 1130. alteras quæ Quedlinburgi 1147. datas, in quibus teſtis adducitur Eberhardus Lutteranus.

Adminiſtratio collegii Ammenslebienſis manſit, ut diximus, penès Arnoldum Bergenſem, quo vel ſponte ſuâ, vel à fratribus exorato, onus illud ab humeris amoliente, miſſus eſt, Bergâ Ammenslebium anno 1140. Bartoldus vir maturæ ætatis, expertæ induſtriæ & mediocris eruditionis: præfuit monaſterio annis bene multis, moriens ſui deſiderium ſuperſtitibus relinquens. Quinquennio antequam eo mitteretur fanum Ammenslebienſe innovarunt & ad uſum Benedictini ordinis accommodatum ſolemni uſitatoque ritu in auguratum eſt, rem peragente Conrado Archiepiſcopo Magdeburgio, qui Nortberto recens ſucceſſerat. Interfuerunt ædini Theo-

Digitized by Google

doricus canonicus Magdeburgius & Otto Comes Gribenſis fratres eorumque ſoror Bia ſanctimonialis.

Obiit Arnoldus Bergenſis peractâ feliciter ætate maturâque ſenectute, cum undequadraginta annos ſcholæ decenter præfuiſſet ſuique famam nominis apud multos relinqueret ſempiternam. Monchenaumpurgii per obitum ipſius rectore deſtituti iterum ex collegio elegerunt Abbatem Eberhardum, quo tamen ultra quinquennium non ſunt gaviſi.

XVI. SIGFRIDUS II. ad dignitatem pervenit non legitimâ electione, ſed per Wigmannum archiantiſtitem collegio obtruſus. Erat tamen, qui omnium calculis iſto & fortaſſis majore honore dignus cenſeretur. Cum Monchenau[illegible]urgii denuo præſule & moderatore Eberhardo anno 1171. orbati eſſent, adminiſtra[illegible]io iterum demandata eſt Sigfrido Bergenſi, quas dignitates cum novem annos fu[illegible]ntiſſet, Hirsfeldium ad gubernationem Cœnobii accitur, cui vocationi aſſenſit quidem, ſed Munchenaumburgum Prælaturam minime dimiſit, juſſus tamen ut id faceret anno 1195. ſuccedente ei Heidenrico.

XVII. HENRICUS ejus nominis primus, è conventu Montis Joannis Ba[illegible]ſtæ eligitur anno 1180. qui propter incendium Magdeburgi in Sacroſanctis Pentecoſtes feriis exortum, quo magna urbis pars, & in ea tum fana, tum ædificia p[illegible]blica & præclara in cineres redacta ſunt, luctuoſiſſimus fuit. Graſſabantur eodem tempore invicinis regionibus bella civilia, quæ paſſim incendiis, depopulationibus & rapinis miſeros colonos dolenter adficiebant. Cum decennium in munere fuiſſet, Henricus finem vivendi fecit anno 1190. 14. Kal. Aprilis.

XIIX. REINBODO, ſive ut annales MSC. habent, *Heidebodo*, cœpit eodem anno & menſe. Impenſè delectatus fuit ſtructuris & ex ædificationibus, [illegible]lapſa & ruinoſa ædificia inſtaurans, nova erigens: Sacellum Divæ Mariæ Ma[illegible]æ inaugurari curavit: aliud in periſtylio erexit Divæ Mariæ virgini ſacrum. Conradus Epiſcopus Halberſtadenſis, & hujus & Roberti Abbatis Hujesburge[illegible]is meminit ad annum 1202. Exceſſit è vita 1028. Kal. Februarii.

XIX. HENRICUS II. confirmatur conſecraturque à Ludolpho archiepiſcopo Magdeburgio, qui perobſcuro loco natus, per eruditionem & vi[illegible]d hoc dignitatis & honoris faſtigium aſcendit: Henricus Abbas laudatur à beneficentia & liberalitate erga tenuioris fortunæ homines, quos ſe cum quotidie hab[illegible]agno numero. Pridie Joannis Baptiſtæ, quamdiu vixit, & poſt obitum ſuum e[illegible] luit eleemoſynas largiſſimas, ſic ut inter quadraginta ſcholaſticos, & viginti [illegible] quos vocant, certa pecuniæ ſumma diſtribueretur.

Vagabantur tum temporis per Germaniam emiſſarii quidam Romani Pontificis, qui ſecundum decretum, nuper in Synodo Lateranenſi factum, ho[illegible]cujuscunque ordinis, propoſitis æternæ vitæ præmiis, ad bellum ſacrum con[illegible]cenos invitabant. Eam militiam profeſſi cruce tanquam teſſerâ ſigna[illegible] quo[illegible] inæſtimanda erat colluvies. Bergenſis Abbas, etſi nec valetudine ſatis firmâ, [illegible] ob ſenectutem longinquo permoleſtoque itineri aptus, expediti[illegible]i tamen in[illegible] voluit, in Palæſtinam profectus. Qua perluſtrata de Rom[illegible] invi[illegible]da [illegible]gi[illegible] reditu montem acceſſit Caſſinum, ut Divi Benedicti monachorum Occiden[illegible] Patriarchæ & coryphæi mauſoleum, ipſumque monaſterium r[illegible]quorum p[illegible] ſam Europam matrem coram intueretur. Hoc in loco acutiſſima febre correptus corpore ſenio prius delibato fractoque, occubuit, 4. Kal. Apri[illegible] 1219.

XX. FRIDERICUS ultra triennium non præfuit, toto gubernationis te[illegible]pore valetudine uſus infirma & ægra. Vivebat cum ipſo fraterculus q[illegible]dam [illegible]cus nomine, qui Patronum ſuum Divum Pancratium martyrem, cu[illegible] mand[illegible]lam habere ſuperſtitioſè credebat, debitè veneraturus reliquias ipſas c[illegible] ex auro argentoque in formam capitis humani fabrefactæ incluſit, [illegible]liceq[illegible] altari ſpectandam obtulit. Meminit Spangenbergius Chron. Querfurt. [illegible]. 2. [illegible] Friderici Abbatis Bergenſis, qui ſimul fuerit in primaria æde ſ[illegible]e baſ[illegible] Co[illegible] & defuncto Conrado Querfurtano ad apicem archiepiſcopatus Magdeburg[illegible] ev[illegible]ſit. Quæ narratio vix fidem meretur, neque enim præter hunc de q[illegible]o n[illegible]c agimus

mus quisquam Fridericus Bergæ Abbatem egit neque qui monachatum profitetur inter canonicos locum habere poteſt.

Obiit Fridericus abbas 8. Idus Martii, anno 1221.

XXI. BERTRAMUS, hujus tempore magnæ iſtoque & ordine & profeſſione indignæ diſſenſiones in cœnobio Bergenſi exardeſcebant. Cum enim ſenioribus monachis ſubinde adjungerentur Juniores, pars ex ſcholis nuper elapſi, agreſtes plerique & inhumani illiteratique, cœperunt inſoleſcere & efferre ſeſe, iſtosque contumeliis exagitare, preces & exercitia monaſtica interdiu noctuque garritu, cachinnis & ſtrepitu interturbare. Quam petulantiam & ſi comprimere ac inſolentiæ protervixque frenum injicere Abbas Bertramus conatus eſt, ea tamen perverſorum hominum contumacia erat, ut bene monentem riſu exciperent, ludibrioque haberent. Quod igitur ſuperabat unicum & fidenter egit. Itum eſt ad Albertum Archiepiſcopum, ſupremum monaſterii inſpectorem & cuſtodem, explicatum negotium turbulentum, imploratum tempeſtivum auxilium. Adjunxit ille ſibi Wilhelmum Epiſcopum Havelburgenſem, nec non ex collegio primario quosdam Bergamque ingreſſus luxuriantes iſtos refractariosque fraterculos comparere juſſit. Rebellionis & ſcelerum convictis impoſitæ ſunt pro arbitrio pœnæ, detruſi quidam in carceres, in alia nonnulli monaſteria deportati. Facta ſunt hæc anno 1229. Nimia & intempeſtiva indulgentia juventutis animos corrumpit, ut à quibus comiter habentur, eos deſpicere incipiant: quamobrem prudentia hic opus & circumſpectione, præſertim in rebus lautis. Monuit præclare Salomon proverb. cap. 29. v. 21. Delicatè nutritus à pueritia ſervus ad extremum ſuperbit quaſi ſit liber. Studuit Bertramus amplificationi redituum annuorum cenſuumque tam frugum quam pecuniæ ad quod ipſi ſuccurrit piorum quorundam religioſa liberalitas. Nominatur in annalibus *Hugo* quidam civis Magdeburgius, qui cum ex conjuge Otilia ſobolem nullam ſuſciperet, Chriſto ejusque præcurſori heredium ſuum teſtamento transſcripſit: pecunia legata omnis in pios uſus depenſa eſt. Emit præterea Bertramus à Joanne & Ottone Marchionibus Brandenburgicis villam Belling ſtorpiam, neque multò poſt à collegio Merſepurgio comparavit prædium Tunderslebium, quæ venditio facta eſt anno 1233. Friderico ibi Epiſcopum agente.

Decennio pòſt Bertramus hominem exuit Idib. Januarii.

XXII. ACHILLES, cæpit anno 1243. rexit collegium annis ſeptem, inauguratur ab Alberto Archiepiſcopo è comitibus Hallermundiis nato, qui paullo poſt obiit: hoc uno commendatus, quod eccleſiæ ſuæ acquiſierit emtionis titulo bona Sonnebergica. Obiit anno 1248. Idibus Sextilis.

XXIII. RUDOLFUS, præfuit annis 15. Ineunte anno 1252. contendit Brunſvigam ad Wilhelmum Hollandiæ comitem electum Romanorum Regem, imploraturus ſummi magiſtratus auxilium, contra quorundam centaurorum injurias, qui timore Dei reſpectuque æquitatis poſthabito, contemptis etiam fulminibus eccleſiaſticis, prædia & colonos monaſterii invadebant, deſpoliabant, diripiebant. Cæſar in protectionem receptum novisque privilegiis contra prædones munitum Abbatem domum remiſit. Studuit Rodolphus pro virili bona monaſterii augere, comparato agro Wolmerslebienſi quem collegio condonavit, ut die ſuo emortuali poſt ſacrum quotannis celebratum, monachi ſolito lautius tractarentur. Voluit præterea in ſacello Beatæ virginis Mariæ ſingulis diebus ſine intermiſſione ſacrum celebrari, ut animæ ſuæ iſto cultu ſubveniretur. Obiit 1263. 12. Kal. Junii. Hoc tempore ſtudia doctrinarum à prima inſtitutione in monaſticis ſcholis Benedictinorum præclarè exculta, inde emigrare quodammodo & in mendicantium fraterculorum ergaſtula ſe paullatim recipere animadvertebantur. Res deploranda deteſtandaque, homines Nazaræos, pietati ocioque litterario obſtrictos, deditos, eamque ob cauſſam, magnatum aliorumque fortunatorum hominum munificentiâ locupletatos, ita à ſe ipſis deſciſcere, & degenerare, ita in ignaviam, ſocordiam, luxumque prolabi, ut veteris ſanctimoniæ ſedulitatis & induſtriæ ſuperſit nihil: atque ubi nuper apicularum alveoli fuerint, ibi nunc inertium fucorum latibula conſpiciantur.

XXIV. GEBHARDUS cœpit anno 1262. menſe Junio, Ruperto Mansfeldio Magdeburgi Antiſtitem agente, de quo ut pauca in litteras relata ſunt, ita de Gebhar-

do annales nihil commemorant, excepto eo quod diem ſuum anniverſarium ſi [illegible]tum eſſe voluit, depenſis ad iſtam ſolennitatem annuis duorum man[illegible]uum in pago Plumerding reditibus. Obiit 1278. Idibus Februarii.

XXV. JOANNES I. concordibus à collegio ſuffragiis electus invitiſſime onus illud ſibi imponi paſſus eſt. Norat omnibus exploratius corruptiſſimum monaſterii ſtatum, ſive debita immodicè conflata cumulataqve, ſive diſciplinam ſolutam ſpectaret: neque ſuarum credebat virium vel illam inſtaurare, vel hoc ſe l[illegible]erare. Erat in ſecretioribus monaſterii theſauris tabula ex ſolido auro fabrefacta, ea conflata eſt & divendita, ſolutæ inde creditoribus marcæ ducentæ, ſed quid illæ ad tantam æris alienæ molem, quæ per ſe immenſa indies uſuris augebatur? Obiit Joannes anno 1281. 18. Kal. Maij.

XXVI. HEIDENRICUS. Infelix fuit hujus gubernatio: infirmâ enim aſſidue utebatur valetudine, quod atri & feculenti humores ſive vapores, in mentis ſedem irrepentes, animi compotem eſſe prohiberent. Fatebatur ingenuè familiaribus, morbum iſtum pernicialem divinitus ſibi immiſſum, quòd conſultò peccatis indulgens divinis commonefactionibus poſthabitis, de vitæ emendatione parum nihilve cogitaſſet. Hanc occaſionem qui cum eo aſſidue erant avidè accipientes pravis artibus Sinoniiſque aucupiis à mente capto bona monaſterii facile impetrabant ſuisque applicabant uſibus: quæ res πανωλεθρίαν acceleratura videbatur. Obiit Heidenricus anno 1287.

XXVII. HEIDOLFUS, præfuit monaſterio ſexennium. Secundo gubernationis anno acceſſit ad comitia Erfordenſia, quibus Archiepiſcopi tres, epiſcopi duodecim, Abbates & Comites interfuere plurimi. Interim domi Heidolfum urgebat æs alienum adeo, ut neceſſe habuerit vendere æramentum majus, ſive campanam, Judæis contraditam. Hi fuêre fructus officii neglecti, pietatis poſthabitæ, luxus petulantiæque admiſſæ. Rei erant ſubditi: ſed maxima culpa in ipſis reſidebat Præſulibus, qui neque amplius docebant rectè neque integrè incorrupteque vivebant. Quid igitur mirum ſi benedictione divinâ per peccata eliminata, omnis generis mala & incommoda ſeſe ingerant. *Uſu enim compertum eſt, ut ubi cultus ſupernæ majeſtatis in pretio eſt, omnia ſuccedant abundanter: ſed illa abundantia, niſi proſpexeris, creſcit in luxum: ille antiquat religionem: proſtrata religio facit paupertatem*, v[illegible] ſui Crancii Metropol. lib. 9. cap. 8.

Statutum hujus Abbatis memoratur, ſubdiaconos non habere poteſtatem [illegible]ventu ſeu capitulo dicendæ ſententiæ: neque integrum ipſis eſſe egredi monaſteri[illegible] quæcunque cogat neceſſitas. Obiit anno 1293. 6. Idus Auguſti.

XXIIX. BODO I. In annalibus nomen habet, de rebus geſtis altum ſilenti[illegible] æs tantum inculcatur alienum marcarum ſcilicet quingentarum, quæ noſtræ monetæ faciunt Rhenenſes ter mille, quingentos & quod excurrit. Graves erant monaſterio exhauſto deploratoque uſuræ, quæ tam Chriſtianis quam Judæis pendeb[illegible]tur: neque aliunde apparebant ſuppetiæ. Quaproptèr moleſtias illas & diffic[illegible]tes honori ærumnoſo copulatas pertæſus Bodo munere ſuo ſe abdi[illegible]vit. Q[illegible] præfuerit, quoque anno loco ceſſerit, annales non definiunt, mortuus ſ[illegible]ibitur 6. I[illegible] Martii.

XXIX. ARNOLDUS II. Invenit monaſterium intolerabili æris alieni mo[illegible] oppreſſum: cui conflando videbatur occaſionem præbuiſſe anteceſſor[illegible] in bonis monaſterii tum oppignorandis, tum prorſus divendendis, inconſiderata fac[illegible] Huic rei ut præverteret, de conſenſu totius collegii ſancivit, ut qui in poſteru[illegible] gerentur Abbates, ſub id tempus quo conventum ſibi obligarent, Juramento ſole[illegible] interpoſito conceptis verbis promitterent, quod nec per alios, nec ipſimet [illegible]rium ultra 70. marcas oneraturi eſſent. Quod ſi fecerint, neceſſe habean[illegible] perjurii pœnam incurrerint, poſſintque à collegio tanquam infames exauctor[illegible] Hoc modo immoderatæ profuſioni prælatorum, ſimulque harpyarum i[illegible] ex[illegible] rapacitati obſiſtere voluit. Laboravit multum, ut onus æris alieni mitigaret, in [illegible] à fortuna non eſt deſertus, etſi id Ætna gravius experiretur. Omnia tentanti [illegible] currit unicum, qvod profuturum arbitrabatur, conſilium: ſed opinione ſu[illegible] lo[illegible] falſus eſt. Cum enim hactenus communi uti ſuiſſent monachi convictorio, ipſe ſin-

gulis

gulis ſuos, unde viverent, aſſignavit reditus, ſibi ſuisque ſucceſſoribus uberiore proventuum parte reſervatâ: quod reſtabat exſolvendis debitis deſtinabatur. Hoc modo prohibere ſatagebat, ne quid ſinguli privatim, communiter omnes à monaſterio alienarent. Verùm res non male cogitata peſſimè cecidit. Vita enim communis hactenus monachis uſitata quæque religioni plurimum conducebat, antiquata eſt: cœperuntque qui paupertatem nuper profeſſi erant propria poſſidere propalam & abſque rubore in foro & compitis oberrare, licitari, emere, vendere; domi peculio ſe oblectare, paullatimque avaritiæ, quæ Eraſmo in adagiis teſtificante pietatis πανολεθρία, totos ſe mancipare, non ſine gravi intuentium ſcandalo, propriæ verò ipſorum ſalutis certiſſimo periculo. Duravit hæc ἀταξία, Benedictinæ regulæ prorſus contraria, ad reformationem usque Burſfeldenſem, de quâ ſuo loco. Quindecim annis præfuit Arnoldus, profuit multum, præſtiturus plura, niſi omnia deperdita inveniſſet & deplorata. Vivendi finem fecit 8. Kal. Octobr. anno 1313.

XXX. BODO ejus nominis ſecundus originem habuit è Baronibus Wanslebianis. Recenſetur hæc familia inter illuſtres Saxoniæ Dynaſtias à Theodorico Langio, Canonico Embecenſi & Goslarienſi Poëmatio de laudibus Saxoniæ MSC. Verſus, etſi rudes & inconcinnos, addam tamen.

Barones, Comites tenet & Saxonia dites:
Nobilitas illos ornat magnosque puſillos.
Everſtein, Daſſel, Hardenberg, addito Pleſſe.
Woldenborg, Heimborg, Wernigrod, poſtque ſit Homborg
Sladem, Barbuje, poſt Hademersleve, Hoige,
Wantsleve, *Schartfelde, Blanckenborg, Querenevorde,*
Mansvelt, Valckenſtein, Werberge ſive Regenſtein,
Lindaw, Schowenburg, Dannenberg, Schermbeke, Wunſtorp:
Hi principantur multis caſtris dominantur,
Montibus & ſita ſervant ſua caſtra polita.

Vixit auctor annos anteducentos circiter. Antiquiſſimum ex Wanslebianis inveni Henricum, qui teſtis adducitur à Theodorico Antiſtite Halberſtadiano literis Anno 1192. datis, ubi Nobilis indigitatur, quod nequaquam de equeſtri ordine ſed Baronatu accipiendum. Etenim iſtis temporibus in nobilitate ultimi erant Barones, teſte Crancio Metrop. lib. 3. cap. 11. Bodonis Abbatis parens fuit Ericus, quem teſtem laudat Burchardus archiepiſcopus Magdeburgenſis anno 1309. Frater Ludovicus archidiaconus & Canonicus ſummi templi apud Halberſtadenſes memoratur ab Alberto Antiſtite ad annum 1334. Beneficia ſive feuda, familiæ hujus hereditaria, partim ab archiepiſcopatu Magdeburgico, partim ab Abbatiſſa Gandersheimenſi dependentia, ad familiam Alvenslebianam devoluta ſunt. Hundesburgum Buſſo Wanslebius vendidit Ludolfo, Buſſoni & Gebhardo fratribus Alvenslebiis. Conſenſit venditioni Fridericus archiepiſcopus Magdeburgius, emptoribus in fidem & clientelam receptis. Facta ſunt hæc anno 1453. Superfuit adhuc Buſſo anno 1476. Feuda Gandeſiana eidem familiæ obvenerunt, poſtquam extincto Wernero Wanslebio ea conferret Alvenslebiis Sophia Antiſtes Gandershemiana, quod contigit anno 1477. In his duobus familia olim perilluſtris opibusque valens, cum ad paucos redacta eſſet, tandem defeciſſe exiſtimatur, Wanslebium arcem, à quâ familiæ avitum nomen, integram ſuæ diœceſi adjunxit Petrus archiepiſcopus Magdeburgius anno 1472. cum anteceſſor Theodoricus quartam ejus partem nuper emiſſet. Sed ad Bodonem Abbatem redeundum. Ei fortuna amiciorem magisque benevolam ſe exhibuit, quam ab annis aliquot ulli anteceſſorum feciſſe viſa eſt. Multi enim ex vicinis religioſi & fortunati animarum ſuarum ſaluti, ut perſvadebantur, conſultum ituri, partim agros partim pecunias monaſterio ſunt largiti. Ex quorum reditibus promovendi divini cultus ergò erecta ſunt altaria Divorum Andreæ, Benedicti & Catharinæ, ad quæ ſingulis ſeptimanis ſacra pro defunctorum requie peragebantur. Idem Bodo à veteris Marchiæ monaſterio Jerichonio emit decimam frugum in agro Wanslebienſi, expoſitis 375. marcis argenti Stendalienſis, anno 1317. Toto iſto tempore, quo Monaſterium gubernavit Bodo, perturbatus fuit & confuſus reipublicæ in Epiſcopatu Magdeburgico ſtatus, archiantiſtite Burchardo, origine Dynaſta Schrapelovio

 imma-

inhumaniter omnia vertente & immutante. Gerebat ille initiò inimicitias cum civibus Magdeburgicis variis eos affligens modis: non multò poſt in diſcordiam venit cum omnibus diœceſis ordinibus: unde fœdera & conſpirationes contra eum facta: ipſe cum vicinis principibus pactiones ſocietatesque faciens contrà ſe munivit: ſecutæ hoſtiles impreſſiones, rapinæ & cædes. Tentatæ tamen ſunt aliquoties per pacis publicæ tranquillitatisque amantes reconciliationes, ut qui præter meritum acerbè nimis affligerentur, in gratiam revenirent: ſed nullus apud hominem pertinacem & difficilem æquitatis moderationisque reſpectus. Invenit tandem Deo permittente, dignam inhumanitate iſtâ mercedem per privatam improborum vindictam miſerâ luctuoſaque morte extinctus. Circumfertur ejus epitaphium, breve ſed argutum, multum ipſi tribuens, quod ſubjicio.

Hic jacet omnis homo, quicquid virtutis in illo
Particulare fuit, hoc ſimul omnis erat.

Sed nec impune abierunt conſcelerati Patricidæ, cui crudeli exemplo, impias manus inviolabili magiſtratus divinitus ordinati ſanguine contaminare non ſunt veriti, æternâ in annalibus notati infamia. Impeditis illis & perquam moleſtis temporibus ſummâ uſus eſt Bodo antiſtes prudentia modisque cavit omnibus, ne ferocientis Epiſcopi animum ulla re offenderet: vicinis etiam, quantum poterat hortator erat, remiſſiores eſſent in injuria, ſi quam accepiſſe putarent, ulciſcenda, cogitarent ab illo profectas, qui ſupremi numinis ſanctione, non fortuito, clavum imperii teneret: cui temere contradicere nefas, rebellare ſcelus ſit inexpiabile. Obiit anno 1328. 5. Nonas Maji.

XXXI. ANNO. De hoc nihil, quod operæ pretium annotatum eſt. Feſta quædam inſtituit, quorum tamen plus ſatis improvida ſuperiorum temporum ſuperſtitio excogitarat: addidit proventus annuos: diem etiam ſuum emortualem ſolemnem eſſe ſacroque perpetuo & dapſili cohoneſtare ordinavit. Deſiit inter homines eſſe an. 1333. 5. Idus Novembris.

XXXII. ZLAUCO, adminiſtravit monaſterium per annos 12. Nomen pere[illegible]num, arguit vel Bœmum vel Polonum fuiſſe: confirmant mores homi[illegible] [illegible]poſiti & perverſi: cui cum collegio perpetuæ altercationes & controverſiæ monachis i[illegible]tolerabilem faſtum, cumque eo conjunctam prodigalitatem averſantibus. [illegible] ſus tempore in Phrontiſterio Bergenſi monachi duo, equeſtribus nati f[illegible], E[illegible]hardus à Wulven & Andreas ab Insleve, qui cum bæreditatis aliquid haberent, [illegible] id impenderunt uſibus. Ille Divæ Barbaræ, hic Divæ Margaritæ, [illegible] cœnobio celebrare ordinavit, eum admodum, quo dies S. Catharinæ martyris [illegible] quotannis perageretur. Uterque certos ad feſtivitatem iſtam cenſus [illegible]. O[illegible] Zlauco anno 1345.

XXXIII. THEODORICUS, cognomento Leo, cœpit eodem anno, [illegible] natus omnino ædis ſuæ bono. Fanum à Sigfrido, ſeptimo cœnobii Abbate incoatum, ſed à ſucceſſoribus neglectum, ipſe poſt trecentos & triginta annos aggreſſ[illegible] conſummavit. Habebat cognomentum naturæ & moribus co[illegible]en[illegible]s, quippe [illegible] quo animi magnitudo & celſitas roburque emineret. Pilas teſtudines, fen[illegible] bonem, periſtylium, pavimentum, omniaque ſacella, templo adhærentia, pa[illegible] novo exſtruxit, partim ita interpolavit, ut adminiſtrationi eſſent ſpectan[illegible], [illegible] quidem demirabantur, hominem eccleſiaſticum, opibus mi[illegible]ime val[illegible] rem tam [illegible]peroſam, tantæque molis animo concipere auſum, ſuaque demum induſtria [illegible] potuiſſe. Commodum autem evenit, ut eo ipſo tempore, quo ſtructura fa[illegible] Berg[illegible]ſis abſoluta erat, Theodoricus Archiepiſcopus Magdepurgius, obſcuro quidem [illegible] natus, ſed cordatus & acris animique magni homo Baſilicam ſive templ[illegible] quod anteceſſores ſumptuum magnitudine deterriti, tentare auſi non [illegible] Inauguraturus eſſet, hujusque rei gratia vicinos, Antiſtites, Præl[illegible], Pri[illegible], C[illegible] & Barones magno ſecum haberet numero. Conſecrata receptis cer[illegible] æde [illegible]minica, poſtridie templum Bergenſe Sancti Joannis, præſentibus iisdem P[illegible], pari ſolemnitate inauguratum eſt. Acta ſunt hæc anno 1363. e. eunte [illegible]. F[illegible]perientia docet nomina ſæpe numero eſſe fatalia, cujus rei exemplum e[illegible] fu[illegible] hoc Epiſcopo & Abbate, coævis: quibus idem fuit nomen & id quidem auſpicatum

(ſonat

(ſonat enim Theodoricus Germanorum lingua Dei divitem, ſive Deo plenum) ſic æque præclare de ſparta ſua ornanda uterque cogitavit. Quadriennio poſt conſecrationem Theodoricus Abbas ab Annone archimandrita Lutterano emit 21. manſos in pago in Santerslebe. Vidi litteras venditionis, in quibus oſtendit Anno ad diſtractionem agrorum neceſſitate ſe compulſum: ſic enim ſcribit: *Notum eſſe volumus, tam præſentibus quam futuris, quod nos diſcretorum ac providorum maturo conſilio perſuadente, ac inter nos deliberatione ac moderatione diligenti præhabita & præmiſſa propter diverſa & pene incredibilia damna & pericula noſtræ eccleſiæ incumbentia, de communi conſenſu ac unanimi totius capituli voluntate vendidimus ære.* Atq; hanc pecuniam non ex ærario cœnobii habuit Theodoricus, ſed patrimonialis erat, tota in pios uſus eroganda. Superſtitioſum fuiſſe innuunt Annales, nova enim feſta prioribus addidit, perinde ac ſi in eo Chriſtiana religio conſiſteret. Diem conceptionis Joannis Baptiſtæ non minori ſolennitate celebrari voluit, quam reliquorum patronorum feſtivitates. Inſtituit etiam, ut ſingulis diebus Sabbati caneretur idololatricus hymnus *Salve Regina*, utque ante ædiculam, in qua euchariſtia aſſervatur, vulgo ciborium vocant, quotidie lampas arderet. Ad hæc omnia annuos proventus conſtituit. Laudabilius his eſt, quod ipſi adſcribitur, nimirum operam dediſſe, ut controverſiæ & litigia, quæ multo tempore inter Abbatem & collegium fuerant, placide & amice componerentur. Deceſſit annorum ſatur, cum præfuiſſet annis 27. defunctus 14. Kal. Martii, an. 1372.

XXXIV. JOANNES II. de Ensleve, ſive ut alii, de Rusleve. Privatus conſtrui fecit & reditibus donavit altare D. Mariæ Magdalenæ, ante quod poſt mortem humari voluit. Rerum potitus nihil remiſit de ardore & ſolicitudine reſarciendi incommoda eccleſiæ ſuæ, totus integer ſincerus & apertus. De voluntate collegii decretum fecit, rigidum quidem, ſed quod neceſſitas extorſiſſet. Statuit, ut ſi quis inter fratres ſacrilegii convinceretur, perpetuo eſſet infamis: abſtineret inpoſterum à publicis deliberationibus: neque dicendæ ſententiæ jus haberet: locum in templo occuparet retineretque infimum, quamdiu ibi commoraretur: neque hanc ignominiam mitigaret aut tolleret, vel generis amplitudo vel interceſſio ſive deprecatio. Hac ſeveritate obviam ire voluit quorundam improborum rapacitati, qui nullis admonitionibus, nullis minis adduci potuerunt, ut à clandeſtinis ſacrilegiis ſe abſtinerent: mortem obiit anno 1380. 4. Idus Decembris.

XXXV. HENNINGUS, præfuit triennium. Vidit tragicum exitum Ludovici archiepiſcopi Magdepurgici, perilluſtri familia nati, qui cum muneris ſui oblitus præter morem ac decorum leviculus choros celebraret, excitato inopinate repentino incendio, cum convivæ perturbati ad gradus properarent, in caput cadens ita alliſus eſt, ut tertiis Bacchanalibus, cum id pridie factum eſſet, exſpiraret. Moritur 1383. 12. Kal. Junii.

XXXVI. ALBERTUS, ex generoſa & perantiqua Dynaſtarum Querfurdianorum familia natus, opera fratris Germani ejusdem nominis, archiepiſcopi Madgepurgici ad hunc dignitatis gradum pervenit, ſed ignave, ſegniter & inutiliter adminiſtravit. Nec enim ſuo ſe norat modulo ac pede metiri, neque quod diſcriminis eſſet inter archiepiſcopum & monachum intelligebat. Vix ab onere debitorum reſpirarat aliquantulum monaſterium, quæ ille nova contraxit: cætera bona oppignorabat, alienabat, dilapidabat, adeo, ut nec unde viveretur, aut creditoribus uſuræ ſolverentur, prodigo ſupereſſet. Interrogatus aliquando à fratre laudabiliter magiſtratum adminiſtrante, quid abſumptis omnibus bonis manducaturus eſſet, parum civiliter reſpondiſſe fertur, deficientibus eſculentis monachos ſe devoraturum. Tulit gurgitem hunc & helluonem infelix monaſterium totis novem annis, quibus immane quantum bonorum profuderit, diſſiparit. Genealogia comitum ſive Dynaſtarum Querfurtenſium in Chronico pervetuſtæ hujus familiæ ſolerter deducta, nullam Alberti hujus facit mentionem, quod equidem miror: de diligentia auctoris nullum eſt dubium neque de induſtria præteritum credibile eſt: mihi annalium fidem & famam publicam qui collibitum fuit. Obdormuit hic gulo 4. Non. Sextilis anno 1392.

XXXVII. ARNOLDUS III. in civitate Magdepurgenſi natus eſt familia antiqua & honeſta, cui nomen Harckſtro. Ejus tempore Romæ Pontificem agebat Bonifacius 9. qui qualis fuerit, ipſi Pontificii Scriptores non diſſimulant. Is ut inexplebi-

lem

lem ſaturaret avaritiam, Jubileum ſive aureum annum, ut paſſim alibi, ita Magdepurgi promulgavit, quem qui viſitarent, plenam haberent omnium peccatorum condonationem, non minus vel ſecus, ac qui Romam ejus rei gratia peregrinarentur. Ad quinquaginta miliaria quoquo verſus hoc inſtitutum publicabatur. Quatuor fana quæ Magdepurgi interviſere oportebat, erant, Dominicum, ſive Baſilica S. S. Petri & Paulli, S. Joannis Bergenſe, & Auguſtinianum. Pecunia credulæ plebi per impoſturas extorta ceſſit partim pontifici, partim templis, quæ dixi, Magdeburgiis. Acta ſunt hæc anno 1395. Vivebat id temporis in monaſterio Eberhardus quidam, officio Prior, quem vocant, is ut cultum divinum amplificaret, in honorem Divæ Margaritæ Virginis curavit exſtrui aram, eique de patrimonio, quod habebat luculentum, dotem aſſignabat: reditus præterea nonnullos reliquit monaſterio: obiit anno 1404. Quem Arnoldus Abbas poſt quadriennium ſecutus eſt, defunctus Idibus Decembris Luciæ virgini ſacris.

XXXIIX. HENRICUS III. cognomento Schozzo, patriam ibidem habuit Magdepurgum: triennio ab electione exacto juſſus eſt munere ſe abdicare. Hæc ex catalogo Abbatum typis impreſſo, & altero MS. refero. Chronicon monaſterii Hujespurgenſis meminit cujusdam ejus loci Antiſtitis Bergam hoc tempore translati: ſed verba auctoris addo: *Viceſimus ſeptimus (Abbas) Henricus Schvvegerken annis 13. præfuit, debita contraxit, communiter excommunicatus reſignat poſt novem annos. Inde factus Abbas in Madgeborg, reliquit etiam iſtam abbatiam & in Prioratu Ammenslebienſi finivit vitam.* Hæc ibi. Neſcio autem, an unus hic & idem ſit Henricus, qui duobus in locis præfuit: Circumſtantiæ in quibusdam conſentiunt: de cognomine & obitu diſcordant. Bergenſes affirmant ſuum Antiſtitem poſt exauctorationem vixiſſe annos ſeptendecim, vitam cum morte commutaſſe anno 1425. ſepultum ante aram Divi Thomæ. Hujesburgenſis exabbas ſcribitur vitam clauſiſſe Ammerslebii. Sed hæc diſquiſitio forte non tanti.

XXXIX. FRANCISCUS Beil, Stendaliæ veteris Marchiæ urbe non ignobili oriundus, ultra quadriennium non fuit cum regimine. Erat tum temporis ſtatus monaſterii corruptiſſimus. Etenim quibus religioſe ſe obſtrinxerant degeneres monachi, palam & ſine verecundia negligebantur. Erant illa paupertas, continentia & obedientia, monachatus, ut loquuntur vulgo, ſubſtantialia. Quæ vero ibi paupertas ubi ſuos reditus quilibet, ſuum poſſidebat peculium? Pro continentia viſebatur luxus continuus, & ex eo libidinum incendia. Parerent vero, qui ſinguli imperare geſtiebant? maxime, qui præ reliquis effrenes & malitioſi, quorum ferociæ modeſtiores cedere cogebantur. Obiit Franciſcus 9. Kal. Septembr. an. 1415.

XL. HENRICUS IV. de Bukenow, procurantibus in aula Halenſi conſanguineis, ab archiepiſcopo Magdeburgio Gunthero evocatur ex Regali Luttera. In eo abbatem tunc temporis agebat Bartoldus Kegelius, vir ſumma integritate innocentiaque, Reformationis, à Concilio Baſileenſi Patribus Benedictinis demandatæ, promotor & conſervator vigilantiſſimus. Ab hujus diſcipulo Henrico Bukenovio ſperabatur Bergenſis collegii emendatio, ſed fruſtra. Moritur anno 1429. 4. Idus Maji.

XLI. HENRICUS V. de Moſekow ex Bergenſi monacho eligitur Abbas, confirmatur ab eodem archiepiſcopo Gunthero, ex comitibus Suartcepurgiis oriundo. Non defuit homini pio ſedulitas & induſtria in emendando vitioſo prolabentis monaſterii ſtatu quantum ad rem familiarem attinebat, verum de diſciplina corrupta protritaque, vel nulla, vel minima cura: quo rei maximè neceſſariæ neglectu obſcuratur tota laus illa, quam alias à diligentia promeritus fuiſſet. Ejus tempore in pago Tunderslebe fanum deſolatum erat & collapſum, neque ejus reparandi facultas. Ceſſit igitur Henricus Antiſtes & templum & jus Patronatus, cum dote & ſupellectile eccleſiaſtica monaſterio Vallis Marianæ prope Helmæſtadium, tribuens ei facultatem reparandi templi & reſtituendi in eo cultum divinum: utque majori cœnobitas ejus loci ornaret beneficio plenam perfectamque fraternitatem cum eis communicavit, participes ipſos faciens omnium bonorum operum, quæ in collegio Bergenſi noctu diuque perpetrarentur. Cum mandræ ſuæ præfuiſſet annis 20. obiit 3. Non. Sextilis anno 1449.

XLII. HERMANNUS. Defuncto Henrico V. conventuales Bergenſes unani-

miter poſtularunt Bartoldum Mejerum, Juris Pontificii Doctorem, monachum Sanctægidianum apud Brunonis Vicum: ut Poſtulationem ratam haberet archiepiſcopus Fridericus nullo modo adduci potuit. Agebat is ab aliquot annis, ut monaſterium Bergenſe ad normam & præſcriptum Societatis Bursfeldenſis reformaret, ſtrictamque Divi Benedicti regulam, titulo tenus retentam, reverà eliminatam & antiquatam, monachis vel invitis obtruderet. Uſus ergo occaſione interregni antiſtitem Bursfeldenſem è cœnobio ſuo evocatum in conſilium adhibuit, eique tandem Bergam ab inveteratis ſordibus inquinamentisque repurgandam priſtinoque nitori reſtituendam affectu verè paterno commendavit. Adduxerat ſecum Bursfeldenſis Hermannum Molitorem, Bilfeldiæ in comitatu veteris Saxoniæ Ravenſpurgico natum, virum ſingulari bonitate & modeſtia præditum, ei Bergam gubernandam commiſit. Pergraviter tulit repulſam Bertoldus Sanctægidianus, Romamque è veſtigio profectus in aula Pontificis prece & precio tantum effecit, ut tam archiepiſcopus, quam ab eo confirmatus Abbas ad dicendam cauſſam evocarentur. Quibus non comparentibus ſententia pronunciata condemnati ſunt ambo. Accidit autem non multo poſt, ut Brunſuigæ Abbas eligeretur Bertoldus; quo facto inter diſſidentes conſtituta eſt concordia, ea ratione, ut Bertoldus acceptis ducentis aureis Rhenenſibus, juri per poſtulationem legitimam acquiſito renunciaret, Hermannus Prælaturam ſine contradictione retineret. In hac compoſitione caute & conſilio omnia egit Hermannus, ingenue faſſus in controverſo negocio habere ſe conſcientiam perturbatiorem, metuebat enim, ne qua Simoniæ labes interveniſſet. Sex monachos Bursfeldenſis Bergam ſecum adduxit, quibus officia primaria demandavit, ipſe ab Archiepiſcopo confirmatus honoris ſui avitum inſigne infulam bicornem accepit 4. Idus Sextilis.

Hoc loco operæ pretium puto, ut de Reformatione Bursfeldenſi aliquid ſubnectam, cum annos 150. omnibus in ore fuerit, neque adhuc nomen ejus & dignatio obliterata ſit. Recenſentur aliquot ordinis Divi Benedicti propter immodicas opes quotidie affluentes degenerantis luxuriantisque prudenti maturoque conſilio inſtitutæ reformationes, puta Carolina à Carolo M. Imperatore introducta, & à filio ejus & ſucceſſore Ludovico Pio repetita: Cluniacenſis oppidò fama celebris, quippe quæ in ſocietatem ſuam pertraxiſſe ſcribitur circiter mille quingenta monaſteria: Caſſinenſis item, Fuldenſis, Hirsfeldenſis, Trevirenſis, Colonienſis, Hirſaugienſis, Caſtellenſis & Mellicenſis. Singularum auſpices annalibus memorantur: pleræque cito defecere, nullis conſtans permanſit ſtabilitas: Bursfeldenſis firmitatem habuit, quod ſolidis niteretur fundamentis, eaque urgeret maxime, quæ ad vitam religioſam pertinent, voluntariam intellige paupertatem, ſinceram caſtitatem & obedientiæ ſubjectionem. Eſt autem Bursfeldia antiquum Ducatus Brunovicenſis monaſterium, ab Henrico comite Northæmio in honorem Thomæ & Nicolai anno 1099. conditum. In eo poſt aliquot ſecula Antiſtitem agebat Joannes, Mindæ ad occidentalem Viſurgis ripam honeſto loco natus, nuper cœnobii Reinhuſenſis prope Gottingam monachus, ſuique Prælati nomine ad Synodum Conſtantienſem legatus. Unde reverſus ſtudioque reformandi ordinis ſui exardeſcens, auctoritate Ottonis, cognomento Coclitis, Ducis Brunovicenſis, ab Hagne conjuge, principe Haſſiaca, fœmina religioſiſſima, de hominis pietate edocti, cœnobio Cluſenſi prope Gandershemium præfectus eſt an. 1330. Eo in loco cœpit toto cogitare animo, quantum ordo Benedictinus à prima inſtitutione degenerarit, quanta licentia, enormitas, diſſolutio & profanitas in ejus familiæ collegiis & ſodalitatibus inveniatur: quæ tamen reliquo hominum generi exemplis pietatis, modeſtiæ, caſtitatis & temperantiæ prælucere debebant: fieri non poſſe, quin iſta diſciplinæ laxitate morumque corruptione, dum ea quæ libeant cuivis liceant, infiniti in æternum præcipitentur exitium. Salutarem ergo molitus emendationem, facto initio à prælectione Regulæ Divi Benedicti, ejus ſingulas ſententias, ſingulos apices, cum cura & diligentia expendit, ponderavit, quidque ab ipſis requireretur, auditoribus expoſuit ſubinde inculcans quod in capite 58. Regulæ dicitur, *quod qui eam ſervare promiſerit, & non ſervaverit, ſciat ſe à Deo damnari quem irrideat.* Singularis erat in homine morum gravitas, conjuncta cum humanitate & manſuetudine, ſermonisque aliqua elegantia quibus donis effecit, ut ſodales ſuos in re honeſtiſſima invenerit obſequentes, promptos, paratos, ejurata enormi & profana vita, legibus & inſti-

tutis majorum reverenter & modeſte ſe ſubmittere. Atque hoc modo ex Cluſa iſta Saxonica excluſa eſt inveterata vitæ monaſticæ irregularitas, ſubſtituta ſanctimonia & integritate profeſſioni datæque fidei conformi. Non multo poſt Joannes Cluſenſis auctoritate memorati Ottonis Ducis Brunſuicenſis, ejusque conjugis Hagnes, translatus eſt Burſfeldiam: quod quidem monaſterium *eo tempore ad tantam miſeriam & deſolationem pervenerat, quod multis annis monachus tantum in eo degebat, cui præſuſtentatione præter unicam vaccam cenſus nullus erat: eccleſia ſtraminibus tecta ſtabulum fuit adventantium pecorum, quæ olim cantantium chorus fuerat monachorum*, ut verba habent Trithemii Chronico Spanheimenſi ad annum 1429. Quæ abſterrere quemvis potuiſſent, loci videlicet ſolitudo, omniumque rerum extrema inopia, ea Joannem Cluſenſem invitabant maxime, ut cum pauperculo ſuo cœtu mandram Burſfeldenſem ingrederetur, plenus fiduciæ de benedictione divina honeſto inſtituto nunquam defutura. Penitus etiam ſibi perſuadebat, fieri poſſe, ut pium ſalutaris reformationis, quam animo deſtinarat, negocium divina ope fultum promotumque, in florentiſſimas utriusque Saxoniæ regiones fama ſe diffunderet, magnique Principes, Dei Optimi Maximi Vicarii, de corrigendis ſuarum ditionum monaſteriis curam officio dignam ſuſciperent. Ipſos etiam monachos, niſi plane à ſe ipſis deſperati ſint & relicti, illuſtre eſt & expreſſum antiquioris Sanctimoniæ probatæque diſciplinæ poſtliminio reſtitutæ exemplum comminus intuentes, relicta probroſa & contaminata vita, ad frugem animum applicaturos. Atque hæc ſunt initia, & quaſi incunabula Burſfeldenſis Reformationis à Joanne ab Hagen, ſive de Indagine, qui alter à reformatione Burſfeldiæ Abbas fuit, feliciter propagatæ. Intuentes enim vicini Principes, tam eccleſiaſtici quam Politici, morem vivendi apud Burſfeldiam probatiſſimum, de ſuis quoque monaſteriis in integrum reſtituendis, piam curam ſuſcipiebant. Fama deinceps rei honeſtiſſimæ ad remotiſſimas pervenit gentes, ita ut in Societatem Burſfeldenſem brevi coaluerint monaſteria præter propter ſeptuaginta; à Joanne Trithemio Chronico Spanheimenſi enumerata. Saxonica, quæ intra Rhenum ſunt & Albim, libet ſubjungere. Abdinckovium Padebornæ, Ammenslebienſe, Ballenſtedenſe, Bergenſe ad Magdeburgum, Sanblaſianum prope Northeimium, Ciſmarienſe in Holſatia, Cluſenſe, Gerrodenſe ad ſilvam Hercyniam, Gothardinum Hildeſiæ, Hildenslebienſe, Iburgenſe, Ilſenburgenſe, Leisbornenſe, Ludgerianum prope Helmæſtadium, Lutteranum Mariæ monaſterium, Michaelitanum Hildeſiæ, Munchenaumpurgium, San-Paullinum ad muros urbis Bremæ, Reinhuſanum, Ringelheimenſe, Schinnenſe, Sanſimeonis Mindæ, Tuitienſe ad Rhenum, Ulſenſe, Werdinenſe, Wimmelspurgenſe. Horum Abbates, & qui præterea ex aliis nationibus præſules hanc ſocietatem agnoſcebant ad annuas Synodos, vulgus barbare Capitula vocat, convenire, ibique de Regula Divi Benedicti in collegiis ſarta tecta conſervanda, conſultare, ac inſimul decreta & ſtatuta ſalutaria condere ſolebant. Extat de origine Unionis Burſfeldenſis carmen Paulli Langii Cygnæi monachi Benedictini, quod ſubjungam.

Cluſa monaſterium fuit humile, ſed venerandum
Saxoniæ flos, relligionis apex, honor orbi.
Cluſa domus celebris, campeſtris, amœna, jocunda
Congrua clauſtricolis, tranquilla, ſituque ſalubris
Sola quieta jacens: hinc recte cluſa vocatur,
Clauſa malis, reſerata bonis, ſervire Tonanti
Qui cupiunt & mente polum penetrare ſupernum
Unde ſalutifera nuper fluxere fluenta
Quæ procul almifluum circumfudere liquorem.
Anno milleno quadringento atque triceno
Tempore quo clauſtri geſtabat ſceptra Joannes
De Mindâ natus paſtor probitate coruſcus.
Quem tribus elapſis annis Burſfeldia poſt hæc
Poſcit habere Patrem renovare vetuſta volentem
Qui veniens iſtbic vitam introduxit honeſtam,
Quam patris angelici ſacra norma docet Benedicti.
Sicque reformatum divino numine clauſtrum

Burſ-

Burſfelt eximium fuit in novitate ſecundum
In quo continuò nova tunc plantatio creſcens
Clauſtra reformando divinum ſparſit odorem
Per ſtudium Abbatum, curamque Patrum ſapientum
Quos domus hæc aluit multos virtute nitentes
Quoſque inter primos vita & doctrina Joannes
Claruit excellens Hagen cognomine dictus.

Joannes Trithemius in opuſculis Theologicis, prolixius Chronico Sponheimenſi, cujus rem repetens, primordia reformationis refert ad Monaſterium S. Matthiæ, quod eſt ad antiquiſſimam Trevirorum urbem, pervetuſtum, præpotens & magnificum familiæ Benedictinæ collegium, ejuſque Antiſtitem Magiſtrum Joannem Rhodinum, ex Metenſis eccleſiæ Canonico ſanctique Simeonis apud Treviros præpoſito, monachum Carthuſienſem deindè verò juſſu Pontificis Romani & auctoritate Ottonis archiepiſcopi Trevirenſis, cœnobii Sancti Matthiæ Abbatem, à quo & monachos nonnullos & normam religioſè vivendi impetrarit Joannes Mindanus, primò Cluſenſis, deinde Burſfeldendis Antiſtes, cujus ut & ſucceſſoris Joannis ab Hagens felici induſtria cum plurima reformata eſſent cœnobia, obliterato Cluſæ matris nomine, Burſfeldiam præeminuiſſe. Caſpar Bruſchius, Hiſtoria monaſteriorum, eadem de Rhodio, quem 15. monaſterii S. Matthiæ Abbatem facit, commemorat, [illegible]um, quòd per provinciam Rhenenſem plurima utriusque ſexus collegia re[illegible]it, adeoque regularis obſervantiæ per Germaniam inſtaurator exſtiterit. Nos vir[illegible] excellenter doctum & ardore religionis cultusque divini flagrantem laude ſua nequaquam fraudare voluimus. Unum addam, initium reformationis Burſfeldenſis collocari in annum 1433. Unio ejuſque annua Synodus, confirmata eſt primum à Nicolao Cuſano Cardinali anno 1451. deinde à Pio Secundo P. R. qui & Æneas Silvius, indultis ei inſignibus privilegiis & nominatim illis, quibus congregatio S. Juſtinæ de Padua gaudet, quæ multa ſunt & magna, ut Trithemius Chronico Sponheimenſi annotavit. Sed reflectendus ſermo ad cœnobium Bergenſe, hoc tempore deſolationi proximum, quippe in quo exercitia pietatis penè conticuerant: bona & poſſeſſiones diſtractæ alienatæque, monachi, jugo obedientiæ excuſſo, ocio, luxu, peregrinationibus tempus terebant. Aggreſſus igitur reſtitutionem in integrum novus Abbas, primò fratres ad ſeveritatem vitæ ſolitariæ revocavit, exercitia pietatis noctu diuque peragenda diſtinxit, officia pro ut idonei erant, ſingulis demandavit. Secundum illud demolitus eſt ædes, in quibus hactenus monachi ſeorſim habitarant, inſtaurato communi convictorio, in quo unà cibum caperent, ſimulque dormirent: addidit etiam noſocomion & bibliothecam. Hujus comparandæ indiesque augendæ ſtudioſiſſimus fuit, eamque brevi tempore [illegible]ris modis locupletavit, cum monachi aſſiduè codices ſcriberent, non pauci à beneficis hominibus donarentur. Deteſtabantur ſuperioris temporis monachorum ſupinam negligentiam, quotquot locum bibliothecæ intuebantur, ſordibus & illuvie ſqvalidum, pluteos effractos, luxatosque codices, qui rari, partim laceros & pulvere obſitos, partim à tineis blattisque exeſos: ubi munditiei veſtigium nullum. Ædificia, quæ dixi, primis duobus gubernationis annis perfecit: tertio cellas ſubterraneas, oporothecam, hypogæa & promptuaria addidit: quibus abſolutis, ſibi ſuisque ſucceſſoribus domicilium exſtruxit, conclavia habens diſtincta, ampla, ſingula ſuis uſibus deſtinata. In hoc negocio cum eſſet, non minùs de ære alieno diſſolvendo ſolicitus erat, cumque Magdeburgio Senatui deberet, ei ſatisfecit, poſtmodum aliis quibus obligatus erat. Hactenus bene rectèque omnia, unum eſt, in quo aberraſſe viſus fuit. Etenim, quæ monaſterium trans A[illegible]im ultra Burgum opidum poſſidebat, puta Ileburgum, Parchovium & alia, commutavit pro Pechavienſibus bonis, quæ iſtis duplo meliora exiſtimata ſunt. Circumventus creditur fraudulenta calliditate eorum, quibus tanquam neceſſariis nimium fidebat. Habuiſſe illos majorem privati commodi curam, quàm conſcientiæ & famæ nemo inficias iverit: Veniam facilè meretur Abbas, qui, ut ille inquit, *ignarus erat hominumque locorumque.*

Iſtis temporibus in Germania legati Pontificii munere fungebatur Nicolaus Cuſanus, Cardinalis & Brixienſis Epiſcopus, homo doctiſſimus, cujus ſcripta exſtant per

quam multa. In omnibus ille provinciis, quæ adibat, ſummo adnitebatur ſtudio ut homines eccleſiaſticos, cujuſcunque ordinis eſſent, ab enormi diſſolutaque vita ad priſcam integritatem ſanctimoniamque reduceret. Inaudiens verò in Saxonia de Reformatione Burſfeldenſi ejusque felicibus incrementis Joannem Ha[illegible] Abbatem Burſfeldia evocavit, commendatoque ejus pio ſtudio, totius ordinis Divi Benedicti in Saxonia reformatorem inſtituit. Reddidit præterea ſalutare decretum de annuis ſynodis cogendis, ne reformatio præclarè cœpta paullatim deficeret tandemque penitus evaneſceret. Legatum iſtum Magdeburgum viſurum hoſpitio excepit Bergenſis Abbas Hermannus: ex monaſterio in urbem deſcendenti occurrere turmatim tam clerici quam cives, hi armati, illi ſtolis candidis amicti, Sanctorum reliquias ſecum deferentes hymnosque ſolemnes decantantes. Acta ſunt hæc anno 1451. feriis Pentecoſtes.

Diximus de Antiſtite Hermanno quæ ad laudem ejus pertinent, reſtat unum maximè memoratu dignum. Ammenslebium, cujus ſupra meminimus, ex[illegible] aliorum, ab inſtitutis Divi Benedicti plurimum receſſerat, ut vel nulla vel exigua regulæ cura ſupereſſet: *converſationes monachorum* (verba ſunt Trithemii) *omni honeſtate nudæ, omni turpitudine plenæ eſſent.* Quem uberem vitiorum [illegible] ſecutus eſt defectus omnium rerum miſerrimus. *Sic enim res vadunt: non deficiunt fratribus temporalia, niſi antè defecerint ſpiritualia,* ut rectè Crancius. Domicilia provida majorum cura commodè extructa, abierant in caſas & mapalia [illegible] imbribusque pervia: de fundis quod reſtabat parum erat, melioribus oppign[illegible] Supellex eccleſiaſtica precioſior diſtracta erat, longè viliore ſubſtituta, n[illegible] ſilibus ferè quicquam ſuperabat. Friderico Archiepiſcopo Magdeburg[illegible] comitibus Bichlingiis, dolori erat tam dolenda profanatio & ruina, ſuaq[illegible] in[illegible] cenſebat perſona amplius connivere. Quapropter Hermanno Antiſ[illegible] tradidit Ammenslebium viſitandum, reformandum, corrigendum. Ann[illegible] erat à nato Chriſto 1461. Brevibus explicari non poteſt, quantu[illegible] laboris [illegible] qui ſumtus in hanc inſtaurationem impenſi ſint. Satis conſtat ultra [illegible]le & [illegible]dringentos florenos Rhenenſes intra annos non ita multos redimend[illegible] gnoratis expoſitos fuiſſe. Taceo ſuppellectilem tam ſacram, q[illegible]am p[illegible] ga Ammenslebium miſſam. Atque hæc reformator monaſterio ita con[illegible] ſuit, ut perpetuò apud monachos remanerent, neque pecuniæ repo[illegible] in obſervatione inſtituti Burſfeldenſis perſeverarent, neque impr[illegible] le[illegible] reſilirent: quod ſi facerent, integrum debere eſſe Bergenſibus ſua repetere, ha[illegible] ditione adjecta, ſi & ipſi in ea ſocietate perſiſtant, alias ſuo jure exſutos [illegible] Hæc Auctoritate archiepiſcopi Joannis, Bojariæ Ducis & Palatini ad Rhe[illegible] Friderico Bichlingio ſucceſſerat, confirmata ſunt. Reformatum hoc m[illegible] menslebium Antiſtes Bergenſis per vicarium Priorem gubernavit annis oct[illegible] bus elapſis de ſententia capituli annalis loco iſti datur Abbas Tileman[illegible]s Scho[illegible]cius Tangermundanus, Bergenſis cœnobita, cujus paterna cura re[illegible]io cultus divinus inſtauratus, amiſſa recuperata, nova acquiſita fuêre. Rexit Amme[illegible]le[illegible] annis 16. menſibus 4. obiit 1486.

Anno 1464. Synodus annalis prima Patrum unionis Burſfelden[illegible] Burſfeldiæ, præſidens primarius fuit Joannes Hagius, ſive de In[illegible] bus: adjuncti fuêre Gotfridus Hujesburgenſis & N. Schonanie[illegible] therus Erfordianus & Hermannus Magdeburgenſis, omnes præclari archi[illegible] Triennio pòſt idem Bergenſis antiſtes monaſterium Boſaugienſe refor[illegible] pit. Eſt Boſaugia in Thuringis diœceſis Merſpurgenſis, condita anno [illegible] Theodorico præſulem agente, dedicatum 1124. Primi ejus incolæ [illegible] ti ſunt, dato illis Abbate Echerto inſtituti Cluniacenſis Sectatore [illegible] ipſum, non ut quidam autumant à malignitate loci promanavit, ſed à [illegible] Antiſtite Merſeburgio, qui Berga ad Epiſcopatum vocatus e[illegible] in loco [illegible] ſtruxit. Hoc ipſum monaſterium collapſum & qua religione [illegible] penè ad [illegible]lum dactum, Hermannus Bergenſis Antiſtites reformavit deducto i[illegible] ucellario ſuo T[illegible] mâ, Francofurti ad Oderam nato, viro & religionis zelo & vitæ integritate laud[illegible] Is auxilio Prioris Burſfeldianam vivendi rationem introduxit, paucosque intra a[illegible]

nos

nos Boſaugiam multis modis meliorem reddidit. Reformatio iſta in annum incidit Chriſti nati 1467. Octennio poſt idem Thomas Boſaugiâ translatus eſt Pegaviam Miſniæ, ad monaſterium ejus loci exemptum liberumque, Divo Jacobo Apoſtolo ſacrum: conditum á Wiperto ejus nominis ſecundo, Comite Groicenſi, marchione Luſatiæ, anno redemptoris 1091. Præfuit ei Thomas annis novem laudabiliter, fatis conceſſit 1494.

Anno 1469. Synodus ſive capitulum Provinciale habitum eſt apud Bergam, præſidente Hermanno Antiſtite: adjuncti erant ei Herbordus San-Paulinus apud Bremam & Guntherus Munchenaumburgenſis, Abbates. Inſequenti anno vivendi finem fecit Joannes ab Hagen toties memoratus Bursfeldiæ archimandrita, cum pauperculum ſuum cœnobium mediocriter inſtauraſſet, nomen verò ei relinqueret æviternum. Adjiciam de eo Paulli Langii carmen.

Inter quos magnus fuit Abbas ipſe Secundus
Joannes Hagen, ſeu de Indagine dictus.
Qui decus ordinis eximios perfecit agones
Plurima cœnobia collapſa novando per orbem
Vivere ritè docens Benedicti norma beati
Ut jubet angelica, ſacratus & ordo requirit.
Sic pater aſſiduo conatur tempore longo
Feſſus & attritus tandem conſcendit ad æthra.

Succeſſit Joanni Hagio Theodoricus ex Priore Ammenslebienſi electus Abbas Bursfeldiæ, quem ejus rei gratia hic nomino, quia ex monaſterio Bergenſi Ammenslebium miſſus fuerat. Obiit Bursfeldiæ 4. Non. Maij anno 1485. Priusquam vero hiſtoriæ hujus Antiſtitis finem imponam, quod ſequitur attexam. Habebant monachi Bergenſes fraternitatem, quam vocant, cum Canonicis templi Dominici, ideoque feriatis diebus Baſilicam ingrediebantur, ſacrum vel audituri vel facturi. Similiter Canonici intellecto alicujus ex monachis exceſſu, ad cœnobium accedentes exequiis frequentes intererant. Proceſſioni verò, ut appellant, maximè ſollemni, quæ feſto Euchariſtiæ inſtituitur, monachi ſimiliter frequentes aderant eo ordine & ritu, ut incederent bini, monachus Bergenſis cum Canonico Baſilicæ, ſic ut ille huic dextrum latus clauderet, ſingulis uſitato habitu indutis. Abbas Hermannus arbitratus, non eſſe ex re & utilitate monachorum, ſi frequenter urbem interviſerent, inquinari congreſſu & converſatione cum ſecularibus mores ſolitariorum: præſtare ſolos eſſe, qui mundum ejurarint, hunc morem abrogavit. Permanſit alter, quo die Joannis Baptiſtæ ſacro, monachis cum ſummi templi ſacerdotibus divina pariter celebrantibus, dexter locus illis, his ſiniſter tribuebatur. Quæ conſvetudo, ut Ottonem M. Auguſtum auctorem habere ferebatur, ita in antiquis archiepiſcopæ annalibus ejus extat mentio: credebatur conducere ad mutuam caritatem & concordiam. Sed his paulò prolixius expoſitis ad præſulis hujus vitæ in his terris actæ cataſtrophen delabendum erit. Profectus fuerat Zerbeſtam, veterum Soraborum inclytam metropolim, hodieque illuſtri Gymnaſio nobilitatam, collegium ſanctimonialium ejus loci reformaturus. In eo negocio occupatum invaſit morbus, cum quo diu luctatus tandem defecit, piè vita functus die Agnetis, ut Annales domeſtici, feſto Vincentii martyris, ut Paullus Langius, ſepultus in medio presbiterii ſive chori, anno 1478. vir ſine controverſia ſui ſeculi ornamentum, qui in meliora ſi incidiſſet tempora, majorem apud poſteritatem famam promeruiſſet. Epicedium ei ſcriptum eſt rude & barbarum, quod tamen propter viri memoriam & auctoris erga defunctum gratitudinem non omittam.

Hiccine multorum pater Hermannus monachorum
De Bilfeld natus Moller ſic cognominatus.
Solers Ottonis fuit Abbas bisque decennis
Chriſti Baptiſtæ Paſtor quoque fervidus iſte
Rebus, perſonis reparans multi modè pronis
Natos dilexit flens intimè noxia plexit:
Moribus ornatus, Zeloſus, mente renatus,
Verax is fraudis ſpernendo viam quoque laudis

 Ipſe

Ipſe monarcha pius reformator bene primus
Martyris aſſati clauſtri per hunc renovati
C ſexagenas pater iſto pondere plenas
Pluribus adjunctis donavit providè cunctis
Normas hic omnem docuit legisque rigorem
Ammensleve ſtruxit debitè diu duxit
Abbatem ſiſtens cum fratribus his benedicens
Muſicusque volâ ſua præſtans ſedula dona
Fautor præcipuus fidiſſimus hic fuit hujus
Boſaw paſtorem miſit monachosque priorem
Hi regulæ ritum tunc inſtituere politum
Bursfelt prælatum dedit omnibus bene gratum
Tribus cœnobiis rectores contulit illis
Hildensleve invicti veræ normæ Benedicti
Abbates precibus poſcentibus addidit illis
Inventos fratres adjutoresque ſagaces
Paſtor Nonarum curam gerens animarum
Et mendicorum fratrum urbanum bene morum
Largus ſolator dans munera correnovator
Præſulis eximii piè Johan & Friderici
Fratribus hic moriens lacrymis crebris valedicens
Triſtatis cunctis plorantibus in prece junctis
Anno milleno defunctus ſeptuageno
Octavo Solis C quater de virgine prolis
Agnetis feſto tumulatus tunc memor eſto
Hunc cari plorent fratres, ſuppliciter orent,
Et vos gementes moniales denique flentes,
Ut perpes cernat illum qui cuncta gubernat.

XLIII. ANDREAS Becker, patriâ Magdeburgius, eligitur 6. K[illegible] 1478. Antequam vitæ ſolitariæ ſe manciparet, officialis erat archiepi[illegible] burgicæ, ſub Friderico & Joanne Antiſtibus, in Academia Erfordienſi juris [illegible] Doctor creatus. Verum religione tactus, ut peccata expiaret, vitam mo[illegible] quam Bertoldus Conſtantienſis appendice ad Hermannum Contractum *An*[illegible] vocat, amplexus eſt. Infula decorabatur Juſſu archiepiſcopi Erneſti, ele[illegible]io comprobantis, ab Arnoldo Antiſtite Brandenburgio. Monaſteri[illegible] San-Petrin[illegible] ad Merſeburgum Thuringiæ urbem, aliquandiu Rectore deſtitutum, re[illegible] gubernandumque tradidit Cellario ſuo Thomæ viro induſtrio & laborioſo. Co[illegible]tum eſt Sanpetrinum cœnobium anno 1091. Imperante Henrico quinto Auguſto, Adelgotio Velthemio Magdeburgi Antiſtitem agente. Fundator celebratur Wernerus undecimus antiſtes ejus loci, antea Canonicus Goslarienſis. Prim[illegible] Cœnob[illegible]archa fuit Altmannus ex Franciæ orientalis monaſterio Suartzachienſi, ad Mœn[illegible] fluvium, ab undecimo Abbate Burchardo eò amandatus. Thomas de quo dixi, Bergenſi Cellario Abbas San-Petrinus ſucceſſit Henrico ab Homberg triceſimo [illegible]chimandritæ, qui inde Weiſſenburgum, quod unum ex quatuor Primariis R[illegible]ni Imperii cœnobiis principali dignitate pollet, accitus eſt. Poſt ejus [illegible] S[illegible]petrinum collegium aliquandiu præſide caruit, ſed anno 1484. Magdeburgo T[illegible]mas eò ablegatur. Andreas Bergenſis Antiſtes novis ædificiis mo[illegible] exornavit, prudens ubique & attentus paterfamilias. Quadrienni[illegible] formavit monaſterium Wimmelpurgenſe in agro Mansfeldico, prope [illegible] deducto illuc Nicolao collegii ſui monacho, quem Abbatem [illegible] Ni[illegible]laus adhuc in vivis fuit anno 1517. quo inter i[illegible] & comites M[illegible] co[illegible]verſiæ quædam per arbitros archiepiſcopum Magdeburgium Albertum & [illegible] co[illegible]poſitæ ſunt.

De Wimmelpurgenſis, ſive ut veteres litteræ nominant, Wimodepurg[illegible] cœnobii origine nihil mihi conſtat: verus eſſe didici ex ali[illegible]uot Epiſcoporum [illegible]berſtadenſium diplomatis. Rudolfus ad annum 114[illegible] & ejus ſucceſſor Ulr[illegible]

anno

anno 1150. nominant teſtem Burchardum Wimodepurgenſem Abbatem. Gardolfus ibidem Epiſcopus ad annum 1197. inter cæteros teſtem Hermannum Abbatem, qui fortaſſe diu non ſuperfuit, nam in alio inſtrumento exprimitur Sigfridus Wimodepurgius illo ipſo anno.

Vitam cum morte commutavit Andreas Bergenſis 4. Kal. Quintilis, cum monaſterio præfuiſſet annis 17. menſibus 5. ſepultus in medio presbyterii, anno 1495.

XLIV. MATTHIAS funerato Andreâ Antiſtite exequiiſque de more celebratis electioni dictus eſt dies 4. Idus Julii: quo in monaſterio comparuere Abbates ſex, & in his Joannes Burſfeldenſis, Theodorici cujus meminimus, ſucceſſor. Is habita oratione prolixa efficacique collegio non tam perſvadere, qvam adhibitis minis imperare conabatur, ne quem domeſticum ſed peregrinum eligerent. Diſplicebat imperioſum conſilium conventui, ab extraneo prorſus abhorrenti: vicit tamen pertinax Burſfeldenſis animus, omnibusque pene invitis electus eſt Gregorius Antiſtes Ammenslebius, nuper Berga eò abligatus, homo faſtigio ipſo perquam dignus. Qui tamen accepto de electione nuncio, reſpondit: non poſſe ſe, nec velle quicquam ſtatuere, niſi menſis Quintilis, qui tum papalis erat, priùs exiiſſet. Quarto demum Auguſti cum ipſe exſpectaretur, miſſo Procuratore, adhibitoque tabellione & teſtibus, jus quod per electionem adeptus erat conventui reſignavit. Conſtituta igitur alia electionis die fratres congregati non extraneum ſed è ſuo ſodalitio Abbatem deſignarunt Matthiam Bergerum ex Boruſſia oriundum, id temporis paſtorem animarum in pago monaſterii proprio cui nomen Preſter. Confirmatio petita eſt ab archiepiſcopo ſed propter graſſantem peſtilentiam ad diem usque natalitium Filii Dei dilata eſt. Cùm autem annis ſeptem præfuiſſet Matthias onere depoſito quieti ſe tradidit.

XLV. THOMAS, cœpit anno 1502. Hic idem ille eſt, quem ſupra diximus è collegio Bergenſi Merſepurgum miſſum ad reformandum cœnobium San-Petrinum, cui cum præfuiſſet annis 29. revocatus eſt Bergam. Altero quam cœperat anno, ex Miſnia Magdeburgum venit Raimundus Pyrandus tit S. Mariæ novæ Cardinalis Presbyter, Epiſcopus Gurcenſis in Carinthia, legatus Pontificius, onuſtus indulgentiis promercalibus. Commorabatur Magdeburgi totis quatuor ſeptimanis, ſumtus neceſſarios affatim præbente archiepiſcopo. Hoſpitium habebat in cœnobio Præmonſtratenſium Divæ Mariæ Virgini Deiparæ ſacro, inæſtimandam hiſce in Borealibus regionibus corraſit pecuniam, noſtratibus hypocriſi ejus dementatis. Uſus fuerat ejus opera non ita pridem Innocentius Octavus Pontifex Romanus, cui quod gnavum & induſtrium ſe probaſſet, denuo hoc tempore ab Alexandro Sexto in eandem Meſſem extruſus eſt. Inveni multoties rancidas indulgentiarum litteras in priore legatione venum circumlatas expoſitasque: exemplum propter nunc viventes & qui poſt nos victuri ſunt, aucupiorum iſtorum ignaros hoc loco adjiciam. *Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis Raymundus Perandi archidiaconus Alnifienſis, in Eccleſia Xanctonenſi ſacræ Theologiæ Profeſſor, ſedis Apoſtolicæ prothonotarius & Sanctiſſimi domini noſtri Papæ Referendarius domeſticus, ad Almaniam univerſasque & ſingulas provincias, civitates terras & loca Germaniæ Sacro Romano imperio, illiusque Electoribus & ſubditis ubilibet ſubjectis: nec non Daniæ, Sveciæ, Norwegiæ, Livoniæ, Pruſſiæ & Ruſſiæ regna & Inſulas & provincias & alia Dominia terras atque loca illis adjacentia cum plenâ poteſtate legati de latere, orator nuncius & commiſſarius Apoſtolicus, ſalutem. Notum facimus, quòd Sanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter Dn. Innocentius P P. octavus & modernus conceſſit omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, pro tuitione orthodoxæ fidei contra Turcos, ejusdem fidei inimicos, juxta ordinationem noſtram manus adjutrices porrigentibus, præter Jubileum & alias indulgentias, gratias & facultates, quas Chriſti fideles ipſi obtinere poſſunt viſitando eccleſias, per nos aut commiſſarios noſtros deputandos, ac ſi viſitaſſent baſilicas urbis tempore Jubilei, prout in litteris Apoſtolicis deſuper conceſſis plenius continetur; quod poſſunt eligere confeſſorem udoneum, ſecalarem vel regularem, qui eis ſemel in vitâ ab omnibus & ſingulis peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, etiam ſedi apoſtolicæ generaliter vel ſpecialiter reſervatis, abſolutionem pleniſſimam impendere: ab aliis verò eidem ſedi non reſervatis, vita eis comite totiens*

quotiens eos abſolvere, & in mortis articulo etiam totiens quotiens de eorum morte dubitatur, etiamſi tunc eos decedere non contingit, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem eis impertiri valeat. Indulſit etiam ſanctiſſimus Dn. noſter motu ſuo proprio omnes & ſingulos Chriſti fideles hujusmodi ac eorum parentes & benefactores defunctos, qui cum caritate deceſſerant, in omnibus precibus, ſuffragiis, meſſis, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, diſciplinis & cœteris omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fiunt poterunt, in tota univerſali ſacroſanctâ Chriſti eccleſiâ militante, & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Et ne ſuper præmiſſis à quoquam verti poſſit in dubium, voluit ipſe ſanctiſſimus Dominus noſter, quod præſentibus noſtris litteris, tanta adhibeatur fides, quanta adhiberetur, ſi ſub bullâ ſua plumbeâ expedita forent. Nec non easdem ſub quibuscunque generalibus vel ſpecialibus de ſimilibus gratiis & facultatibus forſan emanandis revocationibus ſuſpenſionibus nullatenus comprehendi debere. Et quia devoti in Chriſti N.N.N. ad ipſius fidei piam ſubventionem & defenſionem juxta ſummi Pontificis intentionem & noſtram ordinationem prout per præſentes litteras ſibi in hujusmodi teſtimonium à nobis traditas, approbamus de ſuis bonis contulerint: ideo auctoritate apoſtolicâ nobis commiſſâ, ipſis ut dictis gratiis & indulgentiis uti & gaudere poſſint & valeant concedimus pariter & indulgemus per præſentes. Datum ſub ſigillo noſtro ab hoc ordinato die primâ menſis Auguſti anno 1489.

Forma abſolutionis in vitâ totiens quotiens.

Miſereatur tui Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus per meritum paſſionis te abſolvat: auctoritate cujus & apoſtolicâ mihi hac in parte conceſſâ ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, Amen.

Forma abſolutionis & pleniſſimæ remiſſionis, ſemel in vitâ & in vero mortis articulo, vel in veri ſimili.

Miſereatur tui Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſolvat, & ego auctoritate ipſius & apoſtolica hac in parte mihi commiſſâ & tibi conceſſa, te abſolvo, primò ab omni ſententia excommunicationis vel majoris vel minoris ſi quam incurriſti: deinde ab omnibus peccatis tuis contritis & confeſſis & oblitis conferendo tibi pleniſſimam omnium peccatorum tuorum remiſſionem, remittendo etiam tibi pœnas purgatorii, in quantum claves ſanctæ matris eccleſiæ ſe extendunt, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen.

Hactenus Bulla Raimundi purpurati: quo per Germaniam obertrante, in locum ſuum migravit Alexander Sextus Papa, *Pontificatu*, ut Jovius hiſtor. lib. 1. ſcribit, *variâ labe polluto*: ſub cujus dominatione plusquam tyrannicâ, Roma, teſte Volaterrano, olim *gentium refugium & Arx populorum, omnibus ſeculis nobilis*, jam carnificina facta erat.

Eodem hoc Anno, qui erat nati Chriſti 1053. Synodus annalis unionis Burſfeldenſis celebrata eſt in cœnobio Divi Jacobi prope Moguntiam, præſidente Joanne Aſch, Abbate Burſfeldenſi, cujus collegæ erant Joannes Sancti Michaelis Hildeſienſis & Gerhardus in Tholeia, Abbates. Interfuit Synodo Thomas Bergenſis Antiſtes, audivitque graviter & ſuaviter perorantem magnum illum Joannem Trithemium ordinis monaſterii ornamentum eximium. Cum octennium Bergam rexiſſet obiit 1510.

XLVI. TILEMANNUS. Poſt Thomæ mortem erant non pauci, qui infulam ſibi & pedum monaſterij deſpondebant. Illi quibus poterant artibus & modis ſibi conciliabant juniores ambitioſè & procaciter omnia agentes. Quibus ſe mutuo impedientibus cum ſub ipſam electionem in diverſas iretur ſententias, præter bonorum ſpem, contraque monaſterii dignitatem & commodum electus eſt quem diximus Tilemannus, Homo ut litterarum expers ſic humanitatis inops, planeque ſtolidus. Tulere graviter & iniquo animo ſaniores monachi inſolens agreſtis ingenij imperium metuentes tam religioni quam fortunis monaſterii. Verum νέμεσις cœleſtis anxios metu liberavit: quod enim toto vitæ tempore nec ſobriè nec temperanter vixiſſet, aquâ intercute plenus hydrope occubuit, ſexto poſtquam cœperat anno.

XLVII. THEODORUS II. de Hamburg eligitur anno 1516. quo tempore gravis peſtilentia infeſtabat univerſam Saxoniam toto biennio degraſſata: Confirmatus eſt ab Alberto Cardinale marchione Brandenburgi archiepiſco, quem non multò

poſt

poſt graviter offendit quòd decimas monaſterii improvidè & damnosè divendidiſſet, recuperavit tamen alienata, ſed non ſine monaſterii ingenti incommodo. Altero regiminis ſui anno divertit ad ipſum Joannes Tecelius monachus σακκοφόρος agyrta & impoſtor, novus indulgentiarum Papalium negociator, quem plærique in urbibus habitantes cœnobitæ averſabantur, quibus enim in locis circulator ille cucullatus vagabatur, ſuasque ſordidas merces vænum exponebat, indulgentiæ olim ſacris ædibus indultæ plebique ſuperſtitiosè diebus feriatis impertiri ſolitæ, quamdiu iſtic locorum hærebant, ſuſpenſæ erant & inefficaces: unde præſens religioſis obventionum diminutio & detrimentum. Effrons improbi nundinatoris imprudentia, tempeſtatem excitavit eccleſiaſticam omni maris commotione ſæviorem: quæ etſi ſubſequentibus annis multum innocentis ſanguinis effudit, tectis agrisque paſſim everſionem intulit, principesque viros in carceres compegit, reſedit tamen Dei beneficio, nobisque veritatem puritatemque religionis illuſtratam, adverſariis opprobrium reliquit ſempiternum. Obiit Theodorus anno 1522.

XLIIX. HENRICUS VI. cognomento Zirow, natus Perlæbergi, opido marchiæ Brandenburgenſis præfectus eſt anno eodem. Tranquilla tum erant tempora, cumque religione repurgatâ ſtudia doctrinarum linguarumque paſſim incrementum accipiebant. Verum felicitatem iſtam interturbabat fatalis inſanientium agricolarum motus & ſeditio per univerſam penè Germaniam præter omnem exſpectationem excitata, quæ deſubito eas vires & progreſſus accepit ut non ſine maximo multorumque diſpendio oppreſſa ſit & reſtincta. Tunc temporis monaſterium hoc à turbulentis prædonibus deſpoliatum eſt & exinanitum. Bello ruſtico, ut vocatur, confecto, cum Magdeburgum, ab irato Cæſare proſcripta, obſidionem, quæ & ſubſecuta eſt, metueret, ne quid inde periculi crearetur urbi, cives eruptione factâ monaſterium ſolo æquarunt, Abbate cum ſuis fratribus in ædem Paullinorum monachorum recepto, ubi ad finem usque belli hujus permanſerunt reditibus ſuis ſine diminutione perfruentes. Templum Divi Nicolai cellam præbebat & horreum. Vaſtatio iſta monaſterii incidit in annum 1549 Annis ſequentibus bona cœnobii vehementer minui & in anguſtum adduci cæpere, unde Zironio antiſtiti multiplices curæ & dolores enati. Quibus perferendis ſuperandisque imparem ſe agnoſcens in Synodo ſive provinciali capitulo Erfordienſi cœnobiarchas congregatos precibus omnibus obteſtatus eſt, darent ſibi collegam adjutorem, qui viventi labores & moleſtias allevaret, mortuo ſucceſſor daretur. Eum accepit Petrum Ulnerum aulicum Wolffenbuteli concionatorem, triginta ſex annorum hominem, qui anno 1560. Dominica prima poſt Trinitatis introductus eſt. Non diu ſupervixit Zironius curis, laboribus & ægrimoniâ exhauſtus 39. anno gubernationis defunctus.

XLIX. PETRUS Ulnerus natus eſt Gladebaci ditionis Juliacenſis opido, in quo inſigne conſpicitur monaſterium familiæ Benedictinæ à Gerone archiepiſcopo conditum. Annus natalis Ulneri indicatur 1523. 15. Kal. Novembr. Parenti nomen fuit Laurentio, qui ſummos in republicâ geſſit magiſtratus, obiit ſeptuagenarius anno 1569. Filium rectè inſtitutum uberioris ingenii cultus capiendi cauſſa miſit Daventriam ubi à multis annis Alexander Hegius Weſtvalus ejusque ſucceſſores florentiſſimam ſcholam habebant. Nam ut de Hegio tantum loquar, ampliſſimum teſtem habemus Joannem Boutzbachium Piemontanum Lacenſis in Euphalia cœnobii priorem, prædicantem in ſchola Hegii Daventriæ uno eodemque ſe tempore habuiſſe condiſcipulos ducentos ſupramille. Ex Daventrienſi ſchola mittitur Ulnerus Buſcumducis Brabantiæ urbem, olim & ipſam ludo litteratio celebrem. Annum agens 19. à parente commendatus eſt Hermanno ab Holte, Imperialium monaſteriorum Werdinæ & Helmæſtadii Abbati reverendiſſimo: è cujus manibus veſte ſacrâ ſumta ordini Benedictinorum initiatus eſt. Quia verò Abbas ipſe litteris inſtructus erat, plurimumque eas amabat, ſuos etiam rectè erudiri cupiebat, Ulnerum, in quo excitatum animadvertebat ingenium, Coloniam Ubiorum miſit, ubi cum aliquamdiu tam Philoſophiæ quam Theologiæ operam navaſſet, munus habendi conciones ad plebem de ſententia totius collegii accepit. Anno 1554. miſſus eſt in Saxoniam ad monaſterium San-Ludgerianum viculo Orientali ad opidum Helmæſtadium contiguum, ut ibi etiam miniſterio docendi fungeretur: Verùm an-

no evoluto ab Henrico Juniore Brunſvicenſium duce, monaſterii San-Ludgeriani patrono & benefactore, aulicum concionatorem deſiderante accitus eſt. Sunt ab aliquot ſeculis Duces Brunſvicenſes monaſterii prædicti Advocati (Germanis Edle/ oder Kaſtenvögte nominantur) quâ dignitate, Judicium ſanguinis ſibi vendicante, longe ante Helmæſtadium precio emtum præpotens illa familia beneficio Abbatum Werdenenſium gaviſa eſt, hodieque gaudet peculiariter. Erat, cum in aulam immigraret, Ulnerus annorum triginta duorum. Ibi triennium vixit carus Principatus proceribus, excellentem ejus doctrinam, vitæ integritatem, morumque ſvavitatem amantibus. Inter alios miniſterii eccleſiaſtici labores, hunc ſibi etiam ſumſit, ut explicationem Evangeliorum Dominicalium Joannis Feri, monachi Dominicani diſertiſſimi, in Epitomen redigeret, quæ Wolfebutteli primum, deinde Coloniæ typis excuſa eſt. Adjutor Antiſtiti Bergenſi declaratus, eo ſe tranſtulit. Verum adverſarium & competitorem invenit equeſtris ordinis hominem, ſupra modum ferocientem, quem tamen patientiâ vicit, voti ſui compos factus. Etenim anno 1560. ab archiepiſcopo Sigiſmundo confirmatus proxime inſequenti, cum Zironius vitam finiiſſet, plenam gubernationem aggreſſus eſt. Fuit in ea annis triginta quinque, quibus plurimum monaſterio profuit, cum primis ædificiis dirutis reparandis reſtituendiſque. Omnibus iſtis beneficiis multo auguſtius eſt, quod Collegium ſuum jugo Papatus excuſſo erroribuſque invectis profligatis, Chriſto reddidit, vereque fecundum Divi Benedicti regulam *Dominici Scholam Servitii* effecit, quæ in vineam meſſemque filii Dei quamplurimos operarios extruſit. Reformationem collegii incoavit anno Chriſti 1565. Dominicâ duodecimâ poſt Trinitatis, biennio ante emendationem in templo cathedrali inſtitutam. Correxit tunc libros rituales, quibus preces ordinariæ & pſalmodiæ continentur, eliminatis & rejectis quotquot Idololatricam ſuperſtitionem redolebant. Munus docendi â reformatione ipſe obivit, habitis concionibus eruditis, ſolidaque pietate refertis. Scholam rectè conſtituit adjunctâ ei bibliothecâ luculentâ, ut in promtu eſſent Theologi veteres & recentes, aliique ſapientiæ magiſtri â monachis nocturna diurnaque manu verſandi: Gymnaſio præfecit Henricum Homelium, virum eximiè doctum ac facundum, qui capita doctrinæ Chriſtianæ diſcentibus ſuccinctè nervoſeque proponeret. Labores ejus pii & docti ſunt in medio, commendationem inſignium Theologorum indepti: Excepta eſt aliquando vox Chriſtophori Mollendorfii, ſummi templi id temporis Decani, Ulnerum eſſe coronam monachorum, quod elogium ab omni adulatione liberum, èque puro veritatiſque amante animo profectum, nemo qui Ulnerum recte noſſet, inficias ire poterat. Propter memoriam fortiſſimi Herois Henrici Ducis Brunſvicenſis, cui in verâ agnitione filii Dei defuncto orationem funebrem habuerat, â filio & hærede Duce Julio reformationi eccleſiarum florentiſſimæ regionis una cum præſtantiſſimis Theologis Martino Chemnitio & Jacobo Andreæ adhibitus eſt anno 1569. Ubi omnia ex ſingulari fide egit & induſtriâ. Non multò poſt ſimili eccleſiaſtico muneri in ampliſſima diœceſi Magdeburgicâ interfuit, & incredibili animi manſvetudine, morum gravitate & ſermonis efficaciâ quam plurimos in ſuperſtitionem demerſos informavit, permovit, emendavit. Quibus ut exemplo præiret, poſt impetratum â ſummo magiſtratu conſenſum, abdicato periculo cœlibatus, uxorem duxit, eamque virginem, Magdeburgi honeſtiſſimo loco natam, Joannis Weſtvali, Reipublicæ Camerarii, filiam: ex qua filium ſuſtulit unum & quatuor filias. Amiſit hanc anno 1586. poſtquam precum & laborum fidelem ſociam habuerat annis 13. duxit enim 1573. die Petri & Paulli Apoſtolorum. Ab obitu conjugis ætate ingraveſcente cœpit & ipſe mortem meditari, ſeque ad beatam ex hac vitâ emigrationem parare, loco ſepulturæ electo, & lapide ſepulcrali curato. Obiit 1595. 9. Idus Septembris, manè intra horam ſextam & ſeptimam, cum climactericum enneaticum octavum, hoc eſt annos 72. ſuperaſſet. Vitæ pietatis plenæ conſentaneus fuit exitus: Piis enim precibus divinam opem ſine intermiſſione implorans inter ſancta ſuſpiria exſpiravit. Concionem ſub deductionem funeris, ritu in eccleſiis noſtris uſitato, habuit Sigfridus Saccus, Doctor Theologus, de vero fundamento & baſi noſtræ ſalutis ex priore ad Corinthios cap. 3. Æternam ſibi ſuoque monaſterio apud rectè credentes famam & gloriam comparavit, quòd ſymboli ſive confeſſionis adverſus corruptelas

noſtro

noſtro hoc ſeculo introductas, cui Formulæ concordiæ nomen tributum, auctores ſive concinnatores, pientiſſimorum principum auctoritate ad id negotium delectos, hoſpitio aliquoties excepit, ſecumque commorantes liberaliter ſemper & magnifice tractavit. Quam beneficentiam, ipſi Deo ſine dubio pergratam, maleferiatis quibusdam hominibus exagitare collibuit, ut & libro ipſi, & ejus concinnatoribus nomen à monaſterio indiderint. Circumferuntur ejus generis cartæ putidæ, libelli famoſi, ſatyræ maledicæ, emiſſæ partim ab infamibus ſcurris & pœtaſtris, partim ab irreligioſis, Matæologis, qui obliti manſvetudinis Chriſtianæ, tum demum officio ſuo ſe præclare functos, ſuæque religioni optimè conſultum arbitrabantur, ſi adverſarios, quantumvis innocentes, bonisque omnibus excuſatos, convitiis Diabolicis, quantum in ſe eſt, proſciderint.

L. CLEMENS Strathuſius natus fuit Werdenæ in Weſtphalia, ad Ruram fluvium, patre Hermanno Strathuſio viro probo & induſtrio. Annus natalis ignoratur: hoc ſaltem conſtat, veniſſe ipſum in Saxoniam anno ætatis XV, cum moreretur, nonagenarium fuiſſe.

FINIS CHRONICI BERGENSIS.

LAVRENTII PASCHÆ
SS. Theol. Doctoris

TETRASTICHA
in Abbates Bergenſes prope Magdeburgum,
primùm edita
ANNO M D LXIV.

ANNO I. ABBAS Magdeburgenſis, poſtea factus Epiſcopus WORMACIENSIS. — Anni Chriſti

PRimus in hoc folio, mandato Cæſaris, ANNO — 936.
Fit Pater, & Fratres quærit ubique pios,
Qui recolant ſecum Dominumque Deumque canendo,
Poſtea Gwarmaticas, paſcit amanter, oves

OTHWINUS II. poſtea Epiſcopus HILDENSHEIMENSIS, & decimus ejus Eccleſiæ Epiſcopus fuit.

PRoximus Othuvinum nobis dedit ordo ſecundum, — 950.
Percelebrem, ſancta ſimplicitate, virum,
Hinc illi tandem Clerus populusque ſacratus,
HILDENSHEIMIACUM dat tribuitque pedum.

RICHARIUS III.

TEmpore Richarii, Monachalem, tranſtulit Otto, — 959.
Sedem, vicinum Montis in usque locum.
Mauritiique ſacram, pugnantis, Epiſcopon, ædem,
Parthenicum, propriam, ſemper habere jubet.

HERDINGUS IIII. ABBAS primus autem Bergenſis.

HErdingus, primus Bergenſis dicitur Abbas, — 968.
Qui modo Baptiſtæ ſigna Johannis habet,
Hoc Patre, fundator Cæſar, feliciter OTTO
Mortuus, ætherei ſubrepit aſtra Poli.

Anni Christi *RIDAGUS V. Poſtea Abbas Luneburgenſis.*

990. RIDAGE, Dageni falſo delatus in aulam,
Pelleris è ſolio, res miſeranda, tuo.
Attamen innotuit, culpa te quando, vacare,
Lunenburgiacam dirigis arte domum.

ALFKERUS VI.

1005. REgnat ut ALFKERUS, caſtiſſima Cæſaris uxor,
Condidit æthereo quæ ſacra templa Deo,
Percelebris, mundum, multa pietate, relinquens,
Scandit ad Angelici, gaudia ſumma, chori.

SIGEFRIDUS I. ABBAS VII. Comes Saxonicus à Walbeck Frater Diethmari Epiſcopi Merſburgenſis, poſtea factus Epiſcopus Monaſterienſis.

1009. REs memoranda quidem, Sigefrido Præſule, montis
Igne Monaſterii res periere novi.
Quod tamen ædificans, iterum Comes ille novavit,
Ditat & ex propriis, ardua templa, bonis.

MARQUARDUS IIX.

1020. LAude nihil dignum Marquardus Presbyter egit,
Dum fuit in Clauſtro, Mons, Pater, alte tuo.
Hinc nihil eſt illi reliquum, niſi rite precemur,
Ut habeat placidum, tempus in omne, Deum.

BRUNO IX. Comes à Walbeck, poſtea Epiſcopus Verdenſis factus.

1025. BRuno Monaſteriis dum præfuit ille duobus,
Poſtea Verdenſis præſulis arma capit,
A puero fuerat quoniam nutritus ad illud,
Ut tenerum Chriſti paſcat Ovile Dei.

SIDAGUS X.

1034. DIthmarus æternos, Prior, ut quoque ferret honores,
Quos Superum ſumma Rector ab arce dabit.
Hoc Patre, Monticolis Monachis, regnante Sidago,
Ante ſuam mortem plurima dona dedit.

BERNHARDUS I. Abbas XI.

1051. A Patre Bernhardo, Brumbei, pietatis amore,
Villa datur Monachis, vomere culta ſatis,
Rumpitur & ſanctæ Monachorum Regula vitæ,
Dum cupiunt aura liberiore frui.

BERNHARDUS II. Abbas XII.

1076. REgula cum Fratrum ceſſat, quoque Regula Patrum
Deſinit, ut hujus Præſulis acta docent,
Nam bona dilapidat proprii dum ſingula Clauſtri,
Dejicitur regno turpiter ipſe ſuo.

HILDEBOLDUS XIII. Ex monaſterio Hirſaugienſi electus.

1098. DUcitur in populo, nullo diſcrimine, raſo,
Hoc, ubi vel brutis, vita nefanda magis,
Ecce venit Hildeboldus, vir doctus & acer,
Qui vocat in juſtum, perdit cuncta, ſtatum.

HUGO XIV. Abbas. Qui & ipſe quoq; ex Hirſaugia adductus.

1113. QVando Domeslebius Bernardus nobilis, eſſet
Ultimus in populo, res memoranda ſuo:
Ecce duas villas Monachis donavit, & unam
Mauritio Montis, cum Pater Hugo fuit.

ARNOL-

ARNOLDUS I. Abbas XV. Bergenſis & Nienburgenſis. Anni Chriſti

PArthenicus factus Nortbertus Epiſcopus, hujus 1119.
Arnoldi ſtudiis atque labore fuit.
Cum tamen electus, Clerici concorde Senatu,
Hunc, quidam, contra, nobilis alter erat.

SIGEFRIDUS II. XIV. Abbas, Bergenſis & Nienburgenſis, poſtea factus Abbas Hirsfeldenſis.

TER ſeptem placidis Sigefridus præfuit annis, 1158.
Et Hirsfeldenſes poſtea quærit agros:
Cum bona, Borgenſi populo, Privilegia, primum
A ſummo precibus Præſule nactus erat.

HINRICUS I. ABBAS XVII.

NOminis Hinrici tantum fit mentio primi 1180.
Hujus, de rebus ſcit Deus ipſe ſuis.
Attamen in Chronicis, cum ſordida crimina, libris,
Nulla lego, juſtum credo fuiſſe virum.

REINBODO XIIX.

CAſtra ſtruens, turresque novans, bona ſacra gubernans, 1190.
Reinbodo, meruit nomen in orbe bonum,
Hinc poterit multis Abbatibus eſſe figura.
Quam ſtudeant oculis propoſuiſſe ſuis.

HINRICUS II. ABBAS XIX.

LArgus hic in miſeros, Hinricus, viſere ſanctam 1208.
Terram, devoto pectore quando cupit,
Deficit in reditu, febri correptus acuta,
Ac in Caſſino Monte ſepultus, obit.

FRIDERICUS XX.

PAncratii capitis Fridericus tempora cingit 1218.
Auro, Reliquias colligit atque ſacras.
Poſtea commutat charam, cum morte, ſalutem
Corporis, & vitam quærit aditque novam.

BERTRAMUS XXI.

TEmpore Bertrami cœpit diſcordia fratrum 1221.
Maxima, tartareo ſigna movente Deo,
Hanc tamen Albertus ſubito compeſcuit Heros
Parthenicus, meritis præmia dando ſuis.

ACHILLES XXII.

BElla velut gladio confecit Achilles Homeri 1243.
Sæpius, & ſpolium victor ab hoſte tulit:
Prælia ſic precibus fecit Bergenſis Achilles,
Victor in horrendi Dæmonis arma ruens.

RUDOLPHUS XXIII.

PRædia Rudolphus, villas manſosque coemit, 1248.
Inſtituens Horas, virgo Maria, tuas.
Denique confectus ſenio multoque dolore,
Redditur Alveolo, putrida terra tuo.

GEBERHARDUS XXIV.

LArgum quandoquidem nomen Geberardus habebat, 1263.
Pauperibus multis munera multa dedit
Fratribus & Monachis, animæ pro pace migrantis,
Ex proprio manſos emerat ære duos.

JOHANNES XXV.

VEndidit ex auro tabulam, quo debita poſſet 1278.
Solvere, contraxit quæ Pater ante ſuus.

Anni Chriſti Nec ſine conventus conſenſu totius hujus,
Qui vel ad hoc, duro tempore, promptus erat.

HEIDENRICUS XXVI.

1281. MEntis erat compos vix Heidenricus, ob æſtum
Cordis, ei quem dux moverat ante Satan,
Hinc iterum conflat quam plurima debita Monti,
Nec, quod adhuc ſupereſt, diripuiſſe timet.

HEIDOLPHUS XXVII.

1287. VEndiderat quamvis tabulam caliceſque Johannes,
Debita quo tandem ſolvere cuncta queat,
Sufficit haud tamen hoc, Judæis venditur ergo
Campana Heidolpho, res miſeranda, Patre.

BODO I. Abbas XXIIX.

1293. Præſulis Heidolphi, poſt ultima funera, Bodo
Eligitur, capitis dexterioris homo.
Debita ſed Clauſtri poſtquam ſe ſolvere poſſe
Hæſitat, impoſitum jure repellit onus.

ARNOLDUS II. Abbas XXIX.

1298. NE, ſine Conventus nutu, quis mutuet aurum,
Arnoldus, pœna conveniente, cavet.
Et bona quæ fuerant pro pignore tradita, rurſum
Liberat in melius ſingula quæque locans.

BODO II. Nobilis de Wansleben Abbas XXX.

1313. AUrea falciferi redierunt ſæcula Regis,
Cum Bodo Montani cœperat arma Chori,
Dives enim ſacris decimis pagiſque redemptis,
Prædia poſſeſſis adjicit, auget, agris.

ANNO II. Abbas XXXI.

1328. ANno ſenex ſummi curat ſolennia templi
Feſta magis, regni quàm colit arva ſui.
Propterea ſtatuit certis cantarier horis,
Perpetuo, Divis, cantica grata, ſuis.

ZLAUCO XXXII.

1333. ZLauco triumphales pompas, ſumptuſque prophanos,
In mundo, tumida carne regente facit,
Cum fuerat melius Monachalem ducere vitam,
Seque vel in Cella continuiſſe ſua.

THEODORICUS LEO I. Abbas XXXIII.

1345. FAna, Sigefridus, quæ condere cœperat ante,
Hæc Theodoricus ſplendidiora facit.
Ac ea Mauricii cum templo dedicat uno
Tempore, Parthenici Præſulis, uncta manus.

JOHANNES II. de Rußleben, Abbas XXXIV.

1372. COndit adhuc Monachus, multis Altaria Sanctis,
Quæ, Pater electus, poſt meliora facit.
Furibus at ſociis legem præſcribit iniquam,
Ne proſit quamvis pœnituiſſe velint.

HENNINGUS XXXV.

1380. HIc tribus integris Henningus præfuit annis,
Demetiens Fratrum pinguia rura ſuûm,
Prætereà referunt nihil hic Annalia nobis,
Carmine quod poſſem commemorare meo.

ALBERTUS de Querfordt: Frater Archiepiſcopi Magdeburgenſis Alberti XXXVI.

1383. ALbertus mundi pomparum ſummus amator,
Prodigit hic, montis quicquid agellus habet.

Et

Et ſi defuerit quondam quod devoret inquit, Anni Chriſti.
Se tandem Monachos velle vorare ſuos.

ARNOLDUS III. Ex Familia de Harckſtro, Abbas XXXVII.

TErtius, haud multos, Arnoldus præſidet annos, 1393.
Qui de Parthenico ſanguine natus erat,
Hic, ubi Luciæ produxit virginis umbram
Phœbus Olympiacas ſcandit aditque domos.

HINRICUS III. Cognomento Schorro. XXXIIX.

COnventus juſſu, frendens, inſignia, Schorro, 1408.
Cogitur officii depoſuiſſe ſui:
Non fuit œconomus quoniam, nec ſacra gubernat
Muneris ut decuit, pro ratione ſui.

FRANCISCUS BEIL. XXXIX.

STendalium genuit Franciſcum, Berga locavit 1411.
Præſulis in ſummum, ſede vacante, locum.
Cujus in imperio rurſum diſcordia Fratrum
Cœpit & in clauſtro vita ſoluta fuit.

HINRICUS IV. de Buckenovv XL.

NObilis, Hinricum, Gunterus Epiſcopus, illum 1415.
Longius ex aliis huc vocat usque locis,
Ut faciat pacem, Monachos, Fratresque reformet,
Vivere Clauſtrali quos ſine lege juvat.

HINRICUS V. de Moſckavv XLI.

LUſtra, regit ſacras, Hinricus, quatuor, Aras 1429.
Has, qui perpetuo vivere dignus erat,
Namque brevi cumulum rutili congeſſerat auri,
Et poterat rebus conſuluiſſe ſacris.

HERMANNUS MOLITORIS XLII.

EX ſtabulo facta eſt, Hermanno Præſule noſtro, 1450.
Splendida collectis Bibliotheca libris.
Ædificat turres, altas & conſtruit ædes.
Poſt, Senior, placida morte, peremptus abit.

ANDREAS BECKER XLIII.

ANdreas Canonum Doctor celeberrimus, olim 1478.
Parthenicus præſtans Officialis erat.
Poſtmodo contemnens mundum, ſubit atria Clauſtri,
In quibus, extremum finit obitque diem.

MATTHIAS XLIV.

COnſecrat Erneſtus Princeps de more Matthiam, 1495.
Vult & ei ſacras impoſuiſſe manus.
Sed ubi ſex totos, tribus & cum menſibus, annos
Rex fuerat, Baculum projicit inde ſuum.

THOMAS XLV.

I Tale, Cardineum geſtans, Raimunde, galerum, 1502.
Quæris ubi nummos hic & ubique tuos.
Cur tibi perplacuit, Montani culmina templi
Viſere quo, Thomas, tempore, Rector erat?

TILEMANNUS XLVI.

ET furor & rabies, tandem petulantia Fratrum, 1510.
Quam ſequitur regni perniciosa fames,
Conſtituunt ſtolidum Tilemannum denique Patrem,
Qui tamen internis, diſperit æger, aquis.

THEODORICUS II. De Hamburg, Abbas XLVII.

VEndidit hic decimas Abbas Theodorus, & ergo, 1516.
Præſul ei ſummus non ſatis æquus erat.

Poſtea

Anni Chriſti.

Poſtea ſed decimas redimit, redimitque favorem
Principis, at regni, non ſine clade, ſui

HENRICUS VI. Cognomine Zyrovv Perlbergenſis XLIIX.

1522. RUſtica colluvies cum graſſaretur in orbe,
Hinricus, timuit rebus, & ipſe, ſuis.
1525. Hinc cito Parthenicum, miſeranda voce, Senatum,
Invocat, hoc, tutus poſſit ut eſſe, loco.

PETRUS ULNERUS. XLIX.

1555. VLnerus, Ducis Henrici, Brunonis ab urbe
Dicti ſacrata Paſtor in æde fuit.
1560. Electum firmans, regali ſtirpe creatus
Sigmundus, mandræ collocat in ſolio.

FINIS.

HENRICUS MEIBOMIUS
Lectori S.

QVæ de Cœnobio Bergenſi, ejusq; Abbatibus Avus meus conſignavit, ut quidem ea ad me pervenere, edidi omnia. Deſiit autem in Clemente, quinquageſimo Abbate, poſt cujus obitum ipſe per aliquot quidem annos adhuc ſuperfuit, de ſucceſſore tamen Iohanne Heidenio nihil annotavit, imò in Clementis Strathuſii hiſtoria juſto parcior eſt. Cum vero modernus Cœnobii illius Imperialis Bergenſis Abbas. Vir maximè Reverendus, Ampliſſimusq;, Dn. SEBASTIANVS GUEBELIVS, mihi in editione hujus Chronici occupato, ultro transmiſerit, unde & Clementis ſuppleri & reliquorum Abbatum vitæ contexi poſſint; digniſſimum judicavi, horum quoque optime de monaſterio meritorum virorum memoriam conſervari, cum præſertim in eo feliciores ſuis anteceſſoribus fuerint, quod ſub illorum regimine hoc monaſterium veræ & ſinceræ religionis ſeminarium non ignobile extiterit.

L. CLEMENS natus eſt prope Werdenam in Weſtphalia ad Ruram fl. in prædio Strathuſo, quod ab avis ejus dudum poſſeſſum, toti familiæ nomen dedit. Fratrem Germanum habuit Antonium Strathuſium, qui in hoc etiam Archiepiſcopatu in ſacro ordine magnos honores adeptus eſt. Primum quidem in Ammenslebienſi monaſterio Conventualis & dein Procurator: mortuo autem Gœbelino Abbate Hildenslebienſi illi ſucceſſit, perque novem annos iſti muneri præfuit. Venerat Clemens ad hunc fratrem ſuum Hildenslebium una cum patre quindecim primum annos natus, ſed cum probis moribus eſſet, modeſtiaque inſigni, Henricum Abbatem Ammenslebienſem ita cepit, ut Ammenslebii ſecum eſſe vellet, & per aliquod quidem tempus ad ſcholam Hallenslebienſem mitteret, dein autem in monaſterium ſuum reciperet, & quibuscunque poſſet modis, ornaret. Igitur & Abbati Bergenſi Henrico Zirow de meliori nota non ſine fructu, commendavit; rebus tamen illius monaſterii male ſe habentibus Ammenslebii manſit, donec Petrus Ulnerus, Henrici ſucceſſor, præſtantiſſimus vir & magnus reſtaurator Cœnobii Clementem ad ſe vocaret. Creverat cum ætate prudentia, ideoque optimi viri benevolentiam ita ſibi conciliavit, ut paterne ab illo diligi videretur. Unde mox Cellarii munere ornatus eſt, in quo adminiſtrando ita ſe geſſit, ut ſpem patroni ſui ſuperaret. Anno 1575. Cœnobio Virginum Meindorffienſi Præpoſitus datus eſt, quod ære alieno, quo penè oppreſſum maximam partem liberavit, non ſine magna nominis ſui fama, in minoris rei cura oſtendens, quid in majori poſſet. Hinc poſt decennium mortuo Ulnero, cum ad eligendum novum Abbatem una cum aliis vocaretur, non comparuit quidem, interim tamen concordibus ſuffragiis in Abbatem electus eſt & à Sereniſſimo Principe Dn. Joachimo

chimo Friderico Marchione Brandenburgico, tum temporis Archiepiſcopatus Adminiſtratore, confirmatus. Solent modeſta ingenia etiam maxime meritos honores quàm diligentiſſime declinare, idque etiam ſincere agebat Clemens, non diu poſt electionem accuſando Conventuales, electionis non benè factæ. Multo enim aptiores alios potuiſſe eligi, ſibi capulari ſeni animi corporisque vires deficere, ſine quibus illa provincia adminiſtrari nequeat. Ita parum ſibi fidebat optimus ſenex. Quamvis enim robur corporis illi pene ſingulare fuiſſe, & in extrema quoque ſenecta acie viſus egregiè cum admiratione omnium valuiſſe conſtans fama ſit, tamen Anno 1608. imbecillitatis nomine ſibi Coadjutorem dari petiit, & impetravit, Paullum Gothofredum, virum egregium, qui poſt annum quartum mortuus eſt, ſuperſtite adhuc Abbate Clemente, cujus humeris ſubire debebat, turbato mortalitatis ordine. Memorari meretur, Abbatem Clementem ſepulcralem lapidem, quem vivus ſibi fieri curaverat, huic Coadjutori ſuo Paullo Gothofredo conceſſiſſe, eoque illum tegi voluiſſe: confeſtim tamen novum ſibi fieri curavit, ut in recenti ſemper memoria mors eſſet, exſpectanda quidem juvenibus, ſed ſenum cervicibus propius impendens. Interim in omnibus monaſterii rebus parem curam & prudentiam adhibuit, maximo cum publico emolumento, nec minore ſui gloria. Reſtauraverat Ulnerus pleraque Cœnobii ædificia, ad quod cum magni ſumptus requirerentur, non parvum æs alienum contraxerat. Illo ut liberaret monaſterium diligenter operam dedit Clemens, ſucceſſitque res tam feliciter, ut non tantum intra viginti ſex, quibus præfuit annos, debita ſolverentur, ſed reditus quoque non parum augerentur, imprimis coemptis prædiis duobus in Preſter & Oſterwittingen. Non minus autem res Eccleſiaſticas, quàm Oeconomicas, ceu dixi, curabat. Vitam ſeverè inſtituebat, nihil eorum, quæ ad religioſum cultum pertinent, intermittens, ipſe in fundendis precibus aſſiduus. Natum quidem illum Parentibus, pontificiis ſuperſtitionibus addictis, conſtat, & iis etiam in tenera ætate imbutum, voluit tamen Deus eum mature reſipere, quippe, qui jam tum anno 1565. cum Monaſterium Bergenſe ſæpius laudatus Ulnerus reformaret, errores agnovit, noſtramque Confeſſionem, Auguſtæ propoſitam, amplexus eſt. Non deſiit igitur exemplo Antecеſſoris ſui pietatem omnibus modis promovere, quæque Ulnerus inſtituerat, ſcholam, Bibliothecam, quæque de Canticis Eccleſiaſticis, de Concionandi exercitiis inter Conventuales, Lectionibus inter edendum pie & prudenter ordinaverat, diligentiſſimè conſervavit. Mortuus eſt 19. Julii 1621. circa noctis meridiem, placida morte, quam ſæpe ardentibus à Deo precibus petierat, inter ſuſpiria & preces conventualium & amicorum. Nonagenarium ſe jam eſſe paullo ante obitum dixit, quamvis de die ipſius natali nihil certo teſtimonio habeatur. Funebrem Concionem, rogatus à conventu, habuit Reinhardus Bakius SS. Theol. Doctor, eo die, quo in templo monaſterii honorificè ſepultus eſt.

LI. JOHANNES HEIDENIUS. Natus eſt anno 1585. Jerslebii, patre viro Reverendo Johanne Heidenio, Paſtore illius loci, quem tamen nimis mature, anno ætatis ſuæ octavo amiſit, ideoque Verdam ad cognatum miſſus eſt, ubi alterum ætatis ſuæ octennium transegit, literis in ſchola publica diligentem operam dando. Rediit dein in patriam, ſed mox miſſus Brandeburgum in Scholam Salderianam, inde Quedlinburgum, donec tandem ſtudiis majoribus aptus ad Academiam Juliam ſeſe conferret, ubi per annum integrum commoratus eſt. Inde Witebergam profectus eſt, ibiq; per biennium vixit, ſed premente eum, quæ bonæ mentis ſoror eſſe ſolet, paupertate rediit, eſtque per Paullum Gothofredum Coadjutorem in Fratrum Cœnobii Bergenſis numerum cooptatus. Diligentia tum ſua & pietate ita ſe commendavit Domino Abbati, ut, mortuo Præpoſito Wolmerſtedenſi, illius locum nanciſceretur. Cui quidem Cœnobio per 6. annos non ſine illuſtribus pietatis & fidelitatis documentis præfuit, donec anno 1621. mortuo Clemente Abbas Bergenſis legitime eligeretur, proclamatione à D. Bakio ſolenniter facta. Fuerunt tum ea tempora ut multis curis laboribusque conſtaret ipſi hæc dignitas. Nam relinquere monaſterium, & in urbe ſe ægre ſuſtentare cogebatur, triſtesque ſemper afferebantur nuncii, qui ſpoliatum monaſterium, abacta pecora, abductas fruges nunciarent: quæ tanto ægrius ferebat, quanto magis ſe obſtrictum remedio ferendo ſciebat, parem autem ſe non inveniebat. Ita quidem moleſta maxime fuit ipſi hæc functio, ſed & brevis.

Mortuus enim quinto ſui regiminis anno, nondum media parte finito, abreptus dyſenteria populariter tum graſſante. Annus ætatis ejus 42. fuiſſe memoratur. Sepultus eſt in templo monaſterii Virginis Mariæ in urbe Magdeburgo, funebrem concionem habente eodem, quem ſupra laudavimus, Bakio.

LII. SAMUEL CRUSIUS. Natus eſt anno 1592. Hundsburgi patre Viro Reverendo Henrico Cruſio, tum temporis Rectore Scholæ Hundsburgenſis, dein Paſtore Glotenſi. Amiſit quidem in prima juventute patrem, ſed defectum illum ſupplevit cognatorum diligens cura. Dedit operam literis in ſchola non una, Brunſvicenſi, Saltzwedelenſique, ubi ſub celebri Rectore Ludovico Prætorio diu vixit, plurimumque profecit, ut anno 1613. qui ætatis erat 21. Witebergam ſe conferret, Academicis ſtudiis aptus, ubi in tertium annum ſacras literas imprimis tractavit ſub magnis Theologis, Leonhardo Huttero, Friderico Balduino, Wolffgango Frantzio, Balthaſare Meiſnero, Jacobo Martini. Quamvis autem publice & privatim ſub illis intra triennium non parum proficeret, & nihil magis optaret, quam bene cœpta feliciter abſolvere, tamen deficientibus ſumptibus medio in curſu interruptus munus qualecunque oblatum accipere coactus eſt. Erat in ſchola monaſterii ſui formanda tum temporis occupatus Abbas Clemens Strathuſius, ad quam regendam vocabatur. Suſcepit ſpartam 14. Auguſti 1615. & in 7. usque annum non parum eam ornavit, donec Abbate Johanne Heidenio, pulveri ſcholaſtico ſubductus in fratrem Cœnobii reciperetur, & poſt annum, qui erat ſeculi hujus 23. in numerum Conventualium, tandemque ſequenti anno Procurator, Conventualium omnium unanimi conſenſu, conſtitueretur. Intervenientibus dein fatalibus belli calamitatibus, mortuoque in urbe Abbate Johanne Heidenio, hic Procurator in illius locum ſucceſſit. Acta ſunt omnia more recepto, juxta tenorem legum. Communi enim conſenſu omnium Conventualium ſingulari Dei providentia per Benedictum Sartorium Notarium publicum præſentibus aliquot teſtibus Abbas Bergenſis rite electus eſt & à D. Reinhardo Bakio in Cathedrali, Templo Concionatore proclamatus, dein à Reverendiſſimo, Sereniſſimo Dn. Auguſto Poſtulato Archiepiſcopatus Magdeb. Adminiſtratore, rite confirmatus eſt. Juramentum præſtitit incurvatis genibus & erectis digitis coram Altari in templo Cathedrali, comitantibus eum Abbatibus Ammenslebienſi, Hildenslebienſi & Præpoſito Monaſterii Mariæ in Magdeb. Verum quibus Anteceſſor ipſius immortuus fuerat calamitatibus, eæ novo quaſi impetu facto in illum irruerunt. A. 28. hujus ſeculi à milite Cæſareo, cleroque Pontificio monaſterio ejectus eſt & expulſus, multaque indigna paſſus, ipſis belli flammis Magdeburgum cingentibus.

Mantua væ! miſeræ nimium vicina Cremonæ!

Illuxit tamen iterum ſol, cumque vigore pacis Pragenſis omnes qui ab anno 1627. ejecti erant, repetere munus locumque ſuum licitè poſſent, ipſe etiam anno 1636. conſenſu Sereniſſimi Dn. Johannis Georgii Ducis Saxoniæ &c. S. R. Imperii Septemviri, tum temporis Plenipotentiarii, in integrum reſtitutus eſt, retinuitque dein locum, & Conventum tenore Fundationis conſervavit, durante adhuc truculentiſſimo bello. Equidem quæ in optimis quoque de conſervando monaſterio conſiliis impedimenta habuerit, quivis facile conjicere poteſt, qui ſilere omnia jura inter arma novit. Reſtauravit tamen ædificia quædam, Ædem ſacram, cum capella prope devaſtatum cœnobium, braxatorium, horreum, molendinum, non quidem ut volebat, ſed ut poterat, cum de neceſſariis magis, quam commodis ſollicitum eſſe cogerent infelicia tempora. Tanta enim erat pecuniæ penuria, ut ad hæc ædificia, maximè tantum neceſſariis uſibus paranda, Prædia Preltenſia ab Abbate Clemente empta, prævio tamen conſenſu Reverendiſſ. Archiepiſcopi, vendere cogeretur. Vitæ fuit inculpatæ, pietatis imprimis amans & ad DEI nutum ſeſe componere promptus. Admirationi plurimis fuit ipſius conſtantia, magnusque in adverſis animus, cum, quibus reliqui dejiciebantur calamitatibus maximis, in illis ſeſe erigeret ipſe, viresque ſumeret â vulnere, ratus cum Lactantio *miſerias* illas *laboresque exercitia & corroboramenta virtutis* eſſe. Uxorem exemplo Ulneri habuit, quam tamen A. 1629. cum nulla recuperandæ dignitatis ſpes ſupereſſet, viduam duxerat, Mariam Hartmannam, honeſto loco natam. Obiit illa 2. Martii 1649. ſepultaque eſt Magdeburgi, in templo cœnobii Ma-

riæ Virginis, cum trium filiorum Henrici, Gotfridi, Chriſtophori parentem feciſſet. Non utebatur ſatis firma valetudine, cumque augmento ætatis cachexia invaleſcere incipiebat, quâ in aquam intercutem tandem deſinente, diu conflictatus fuit. Adhibuit illi debita remedia, quibus cum malum majus eſſe intelligeret, in conſueta ſibi patientia maximum invenit levamen. Admonebat longus morbus, ut ſarcinulas componeret, & ipſe ultro promptus de diſceſſu ex hac vita placido & beato ſemper cogitabat, qui inter ſuorum preces 20. Martii 1658. hora prima evenit, cum annum ætatis ſuæ ſexageſimum ſextum aliquot menſibus ſuperaſſet. Sepultus eſt Calbæ in prædio ſuo, quo ex monaſterio aliquot ante obitum hebdomadibus cum ſuis ſeſe transferri curaverat.

LIII. SEBASTIANUS GOEBELIUS. Natus eſt 26. Decembr. ao. 1628. in urbe Dreſdenſi, Electorali ſede, parentibus honeſtisſimis, Johanne Gœbelio, hæreditario in Dolitz & cive mercatoreque Dreſdenſi, matre Dorothea Kohlia, Senatoris Dreſdenſis filia. Ab his parentibus domi educatus, non tantum pietatis rudimenta accepit, ſed à præceptoribus quoque, liberaliter altis, initia literarum. Et hoc in decimum ſextum usque annum, cum ſcholam oppidanam ingreſſus auſpicio celebris Rectoris M. Johannis Bohemi in ſtudiis ſuis majores progreſſus fecit, donec 1647. in Lipſienſem Academiam abiret, & poſt quadriennium in Wittebergenſem. Conſecraverat ſe SS. Theologiæ, ad quam cum natura inclinabat, tum matris piisſimæ honeſto deſiderio erat propenſior. In utraque igitur Academia non minus Philoſophiæ quam Theologiæ celebribus Doctoribus diligentem dedit operam & Witebergæ D. Calovio præſide bis publicè de materiis Theologicis diſputavit. Biennio elapſo Witeberga Lipſiam rediit, cumprimis propter præſtantes, quos Lipſia tum habuit, concionatores. Ibi ſolemnibus præſtitis Magiſterii gradu ornatus eſt, ut ad plures eruditionem ſuam propagare poſſet. Quod & induſtriæ ſingulari laude fecit, multosq; in philoſophicis diſciplinis auditores habuit, cum ipſe interea ſub celeberrimis Theologis Hulſemanno, Carpzovio, Gejero, Kromaiero, Slutero in ſacris illis ſtudiis audiendo diſputandoque ſedulum ſe præberet, omnesque diſcurreret controverſias, quæ cum adverſariis nobis intercedunt. Cumque eloquentiam ſacram & præceptis & uſu acquiri ſciret, in collegiis quoque concionatoriis ſub moderamine & cenſura B. Carpzovii & Dn. D. Geieri ſe exercere non neglexit. Creſcente interim fama ipſius, Anno 1655. Lipſiæ ad D. Nicolai à Senatu concionator Sabbathicus eſt conſtitutus, cui muneri in quartum annum præfuit, non neglectis interim Academicis ſtudiis. Verum honeſta magis, quam locuples erat hæc conditio, ideoque ne patrimonium ſuum conſumere cogeretur, mutare meliori ſemper optabat, quod & contigit. Nam reverendiſſimi & Sereniſſimi Dn. AUGUSTI, Poſtulati Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis filiorum Principum Ephoro nobiliſſimo Dn. Georgio Henrico à Luckovvin, cujus viri benevolentiam meritis ſuis conſecutus erat, ad Principum Juniorum ſtudia quædam hiſtorica formanda conſiliis & opera Gœbelii uti placuit, unde non tantum id impetravit, ut in Aula Archiepiſcopali Ao. 1659. Principalis menſæ beneficio frueretur, ſed etiam porro ita commendavit tum Luckowinus, ut Sereniſſimus Adminiſtrator principalis gratiæ ſecurum eſſe juberet. Nec vana fuerunt illa promiſſa. Eodem enim anno in Monaſterium Bergenſe quod tum ſine Abbate erat, in numerum Conventualium receptus eſt. Meruerat majora, ſed tum res aliter non patiebatur. Poſt trimeſtre autem 2. Januarii ſingulari DEI providentia à Cænobii conventu præſentibus maximè venerandi Capituli Cathedralis ſummi templi Magdeburgenſis Deputatis & quibusdam Prælatis ritè & canonicè electus eſt, inque templo monaſterii proclamatus, & facta intimatione, à Sereniſſimo Principe confirmatus. Cum dein eodem anno conventus Ordinum Provincialium Hallis Saxonum haberetur, pro membro ab illis electus eſt, & dein præſentatione debite factâ, â Sereniſſimo Adminiſtratore in Receſſu conventus confirmatus eſt. Eodem tum loco laudabilis illa Unio inter capitulum Cathedrale Magdeburgenſe & Prælatos nonnullos monaſteriorum & Eccleſiarum Collegiatarum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis redintegrata eſt, & à Sereniſſimo Principe confirmata, conſtitutusque eſt Abbas Bergenſis, tenore Receſſus unionis, Membrum & Aſſeſſor Judicii Clericalis Magdeburgenſis, & una cum capitulo Conviſitator perpetuus

 Mona-

Monaſterii Wolverſtetenſis & Mariæbornenſis. Adhibuit autem ſtatim inter initia maximam diligentiam, ut Monaſterio non tantum reditus ſuos integros ſervaret, ſed & augeret, ædificiaque neceſſaria vel nova erigeret, vel collapſa reſtauraret. Templum cœnobii, quod ante centum annos ab ipſis fundamentis Ulnerus extruxerat, à fatali autem illo excidio Magdeburgico vix in ruinis ſuis ſupererat, reparari fecit, cum præſertim capella, quam erectam à Cruſio diximus, non caperet omnes incolas Buchovienſes. Ornamenta etiam reparato templo addidit, & in perpetuam rei memoriam Conclave illud, in quo formula concordiæ, ceu in Ulneri hiſtoriâ dictum perfecta fuit, renovari fecit. Dein aliis quoque ædificiis, Abbati, Paſtori, Procuratori deſtinatis manum admovit, redintegrarique fecit. Pecori quoque & jumentis neceſſaria receptacula & cubilia de novo exſtrui fecit, cum omnia furore militum partim combuſta, partim disjecta & devaſtata eſſent, ne horto quidem cœnobii excepto, qui proin curas quoque diligentiſſimi Dn. Abbatis ad ſe vocavit, eſtque per ipſum cultior redditus: Præterea in Buchovv domum lateribus parandis exſtrui cum omnibus neceſſariis fecit, in Oſterwittingen autem molendinum novum conſtruxit. Cum nuper maſcula Illuſtriſſ. Comitum Barbyenſium familia defeciſſet, Prædium Zacmundenſe, quod per aliquot ſecula Comitibus in Feudum ab Abbatibus Bergenſibus datum fuerat, recepit, cumque non parum deſolatum eſſet, excoli iterum fecit, neceſſariisque ædificiis inſtruxit. Interea dum hæc fierent, non minus ad pietatis ſtudia promovenda devotam mentem convertit Abbas. Ideoque primo A. 1662. Statuta Monaſterii recenſuit & à Reverendiſſimo Adminiſtratore confirmationem impetravit. Deinde cum Ordines Provinciales urgerent, ut, more ſub initium Reformationis Lutheranæ recepto, in Monaſteriis nonnulli pueri ex indigenis & alerentur & informarentur, facilem hic ſe præbuit Dn. Abbas, fecitque initium Anno 1663. Et quamvis illi Conventualibusque non parvæ eo nomine moleſtiæ creatæ fuerint, nec dum in aliis Archiepiſcopatus Monaſteriis ſimile quid factum ſit, onera vero publica interea ad ſummum pervenerint, tamen in pio illo inſtituto adhuc perſeverat. Cum conventuales omnes ſacris literis dediti ſint, in iis diligenter eos exercet, & ſæpe velitationibus, deque gravibus controverſiis diſputationibus anſam dat, conſulentibus autem inter difficultates ſtudiorum operam ſuam denegat nunquam. Tenentur Conventuales præter Canonicas horas matutinas & veſpertinas ſingulis diebus habendas, dominico die pomeridianam concionem ad populum habere, in quo exercitio primo illis manuductorem fidelem, dein diligentem & exactum cenſorem exhibet. Ut verò ſtudia ſua colere diligentius & ex ipſis fontibus deducere poſſint, Bibliothecam egregiam monaſterio paravit, eamque ſenſim optimis neceſſariisque libris adauget. Quibus laboribus, revera maximis & concatenatis cum diſtrahatur quotidie Dn. Abbas, conſcripſit tamen ſubciſivis horis libellos nonnullos publico commodo edendos. Methodologia Homiletica, ſeu de Arte concionandi liber jam carceres mordet, & proximis forte nundinis in doctorum manus veniet. Alius de pactis divinis univerſalibus & particularibus ultimam adhuc manum exſpectat. Cornelii quoque Becheri Pſalterium, ad leges metricas Germanicas correctum à ſe, ſuo tempore publicabit. Antiquitatum denique Monaſterii ſui, hiſtoriæque Anteceſſorum ſuorum curioſiſſimus fuit indagator, cumque ab avo meo Henrico Meibomio conſcriptum Chronicon Bergenſe intellexiſſet, jam tum ante hos ſex annos coram, & per alios nuper ſecum communicari aut publicari petiit. Neque vero refragari ego honeſtis Optimi Viri deſideriis volui, ſed inter plurimos alios labores huic Chronico edendo manum admovi. Qua re cognita, ne ullam bene de monaſterio merendi occaſionem prætermitteret, ultro, quæ exornandæ editioni inſervirent, ſubmiſit, quibus in hac quoque Appendice contexenda fideliter uſus ſum. Servet Ter. Opt. Max. DEUS Venerabilem Virum, ut qui tam bene primis ſui regiminis annis de monaſterio mereri cæpit, porro quoque id ipſum in Nominis Divini honorem & gloriam pietatisque & ſinceræ religionis propagationem, conſervet, inſtauret, magnisque adaugeat incrementis!

Memi-

Meminimus ſupra Statutorum Monaſterii, Principali Auctoritate confirmatorum, quæ hic ſubjicimus:

NOS DEI GRATIA AUGUSTUS, POSTULATUS ADMINISTRATOR Primatus ac Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis, Dux Saxoniæ Iuliæ, Cliviæ, ac Montium, Landgravius Thyringiæ, Marchio Miſniæ, nec non ſuperioris & Inferioris Luſatiæ, Comes Marchiæ, Ravensburgi & Barbij, Dominus in Ravenſtein. Notum facimus Lecturis & quorum intereſt ſcire, Reverendum & benè doctum, devotum noſtrum, SEBASTIANUM GOEBELIUM ABBATEM Cœnobii Bergenſis propè Magdeburgum, expoſuiſſe nobis ſtudio ſubjectisſimo, quod ſtatuta quædam eum in finem concinnaverit, ut Cœnobii illius Fratres non ſolum ſecundum illa vitam ſuam decenter inſtituant, ſed etiam ea religioſe obſervent. Petens proinde ſubmiſſè, ut Statuta hæc authoritate noſtrâ Principali confirmaremus & illis robur adderemus firmisſimum. Legentes & expendentes eorum tenorem deprehendimus, propoſitum hoc laude non carere, ſed Cœnobio proficuum & utile futurum, ejusmodi Statuta adſtrictam & accuratam obſervantiam introducere. Sic enim Monaſterio recepti non ſolum lectioni Bibliorum Sacrorum, & Authorum probatiſſimorum, cumprimis Patrum & D. Lutheri ſcriptorum ſedulò & quotidiè vacabunt, ſed etiam crimen ignaviæ adverſabuntur, habentes ingenium in excubiis, ut hauriant mente avidâ, quod hactenus ipſis incognitum & nondum obſervatum fuerat. Quo ſtrenuè facto & egregiè præſtito, mores erunt ad honeſtatem formati, ceſſabunt vitia & vita eorum ita præparabitur, ut Deo placeat, à probis laudetur & extollatur. Sic autem ſonant STATUTA, de quibus agimus, & quorum in ingreſſu meminimus.

I.

ANte omnia recipiendi & recepti in hoc Monaſterium verâ pietate colant & timeant DEUM & Patrem domini noſtri JESU CHRISTI & fidem dent ſe amplecti Genus doctrinæ expreſſum in monumentis Propheticis & Apoſtolicis, & repetitum poſtea in Confeſſione Auguſtanâ, ejusdemque Apologia, Smalcaldicis Articulis, Formula Concordiæ & Catechiſmis D. Lutheri, ac fovere velle conſenſum Catholicum, nec ab eo, Deo Adjutore unquam eſſe diſceſſuros.

II.

Sacra Biblia, S. Patrum, item D. Lutheri & aliorum Orthodoxorum ſcripta diligenter legant, nec non ſacris concionibus habendis, ut ad functiones Eccleſiaſticas dignè promoveri poſſint, juxta Dn. Abbatis ordinationem ſeſe exerceant.

III.

Sacras quoque Cantiones, lectiones, & preces Panegyricas in templo ſedulo frequentent, atque inter canendum non aliud agant, ſed ſuo quisque loco, & voce pariter ac mente, ſoli ſummo Deo laudes devote canat, nec citra permiſſionem Domini Abbatis, aut inſcio Seniore ab ipſis temerè ſeſe abſentet.

IV.

Honorem debitum, Reverentiam ac Obedientiam, ſecundum Deum & Chriſti Evangelium Abbati ſuo ſedulo exhibeant & præſtent.

V.

Ad conſervandam verò fraternam charitatem, & pacem Recentiores ſuos Seniores revereantur, Seniores viciſſim Recentiores diligant, atque adeò mutuis obſequiis ſeſe proſequantur.

VI.

Secreta Monaſterii honeſta illis ſingulariter aut generaliter concredita, item

 Privi-

Privilegia & immunitates ſpeciales nemini extraneo & cujus ea ſcire non intereſt, in Phrontiſterii præjudicium, ſub infidelitatis cenſura revelent.

VII.

Privilegia Monaſterii neque per ſe ipſos ullo modo infringere, aut immunitates & indulta labefactare nec bona ejusdem alienare præſumant. Neque etiam ab alio quoquam cujuscunque ſtatus ac conditionis fuerit, eadem infringi, labefactari, aut aliquo modo abalienari ſinant, ſed è contrario, ſummis viribus ipſa illa tueri, conſervare & augere ſtudeant.

VIII.

Inſuper in officiis ex Domini Abbatis arbitrio ſibi injunctis ſeſe per omnia fideles ac diligentes præbeant. Neq; contra Domini Abbatis ordinationem quicquam faciant aut moliantur. Si qui vero in demandatis officiis infideles reperti & convicti, aut Abbati ſuo inobedientes extiterint, aut quovis modo etiam eidem contumaciter rebellaverint, debitæ correctioni pro transgresſionis qualitate aut delicti ratione ſeſe ſubjiciant. Quod ſi quis pertinaciter recuſaverit, etiam de Monaſterio ejiciatur.

IX.

Ad dignitates aut Eccleſiaſticas functiones legitimè vocati, non niſi cum conſenſu Domini Abbatis (qui eis non denegabitur) eaſdem vel acceptent, vel recuſent.

X.

Vitam caſtam ac honeſtam, nec non cum morum gravitate conjunctam agant. Si qui verò in cœlibatu vivere, aut aliis juſtis ex cauſis in hoc Monaſterio perſeverare aut nolint aut non poſſint, non clam nec furtim, ſed aſſenſu & bonâ voluntate Domini Abbatis, à quo & teſtimonium ſuæ in Monaſterio tranſactæ vitæ recipiant, diſceſſum inſtituant.

XI.

Extra monaſterium neque in urbe Magdeburgenſi, neque alias uspiam niſi cum ſpeciali permiſſione D. Abbatis pernoctent, nec abſque illâ, aliò quopiam iter inſtituant pro ſuo cujusque lubitu cum neglectu divinorum & ſtudiorum excurrentes & divagantes.

XII.

Nec minus in totâ vita & moribus paſſim ſeſe tales præbere ſtudeant, quo omnibus quibus cum agunt, porro exemplo, nemini autem vel verbo, vel facto juſto offendiculo eſſe poſſint.

XIII.

Quicunque igitur Statuta hæc ſedulo ac diligenter ſervaverint, ſeſeq; juxta præſcriptas Conſtitutiones fideles & obedientes Monaſterio & Domino Abbati præſtiterint, viciſſim ii, ut membra ejusdem & Capitulares, quin & chari Fratres habendi, omnique favore & benevolentiâ proſequendi, inſuper non tantum vitæ neceſſariis providendi, ſed & omnibus privilegiis & Libertatibus hujus Monaſterij pro uniuscujusque perſonæ conditione ac qualitate uti ac gaudere debent. Quod ipſum, præſtito prius eo, quod præmiſſum eſt, ut reipsâ, fiat, præſenti & futuris Abbatibus injunctum & ſeriò demandatum eſto.

XIV.

Ut autem recipiendi Fratres ad obſervantiam horum eò magis adſtringantur atq; etiam reverentiam debitam Abbati præſtent, obligabunt ſe ſequenti præſcriptâ formâ:

Ego N. promitto tibi Domino N. Abbati hujus Monaſterii debitam obedientiam, Reverentiam ac fidelitatem juxta præſcriptos articulos in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti.

XV.

Quâ præſtitâ, recipiet eos Abbas, eâ formâ, quæ ſubſequitur:

Et Ego N. confirmatus Abbas hujus Monaſterii, recipio te N. in fratrem & membrum Phrontiſterii Bergenſis, conferens tibi, noſtram fraternitatem in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Seriò igitur injungimus præcipimus & ſeveriſſime jubemus, ut Statuta hæc ſingula Monaſterio recepti Fratres, religioſè obſervent, neq; contraveniant; gravi ſtatutâ pœna in eos, qui rumpere ea vel convellere annituntur: Cogitantes Legibus &

Statutis

Statutis, imprimis verò Principali Authoritate confirmatis, parendum & obediendum omninò, illisq; ſuam ſanctimoniam religioſè conſervandam eſſe, ideò qui ipſis ſe morigerè ſubjecerit, Gratiam & Clementiam noſtram certò exſpectabit. Contranitentes verò & immorigeros ad illorum ſanctam obſervantiam condignis pœnis & animadverſionibus ſeverioribus adigemus: Quas autem evitabunt virtutem amantes; quiq; cupiunt, ut promotionis portæ ad ulteriora deinceps ipſis pateant. Mandamus iterum ut Statuta hæc à Nobis clementisſimè confirmata probe obſerventur. Literas haſce confirmatorias propriâ manu ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro Secretiori communiri juſſimus, prout id illis appenſum eſt. Dabantur Hallis Saxonum die 21. Iulii Anno Domini M DC LXII.

AVGVSTVS

L. S.

JOHANNNES KRVL. D.

PETRVS BEVTHER.

Fuit Cœnobium Bergenſe à tempore Reformationis Lutheranæ illuſtris ſemper pietatis ſchola, vixeruntq; in illo ſub religioſis Abbatibus Petro Ulnero, Clemente Strathuſio, Johanne Heidenio, Samuele Cruſio, *& qui adhuc ſupereſt,* Sebaſtiano Gœbelio, *viri præclari, qui dein partim alia Monaſteria ſive Abbates, ſive Præpoſiti rexerunt, partim Regibus Principibusq; à concionibus & conſiliis ſacris fuerunt, aut in urbibus oppidulis pagisque vel in Ecclesia vel Schola Deo ſervierunt. Horum Fratrum & Conventualium omnium catalogus, diligenter congeſtus, cum ad manus meas perveniſſet, hic ſubjicere, qualem eum nactus ſum, volui. Intereſt poſteritatis, ſcire, ex hoc Cœnobio, velut ex equo Trojano, egreſſos plures optime de Eccleſia meritos viros, & eſſe illud adhuc hodie, ceu pium Conditorum inſtitutum requirit, veræ & ſinceræ religionis ſeminarium.*

I.

Sub Reverend. Dn. PETRO ULNERO, ABBATE XLIX.

Dn. Jacobus Lager, Bileveldanus, Senior, qui ante devaſtationem Cœnobii, quæ Anno 1546. facta eſt, Monaſticen proceſſus fuerat.

Jacobus Heydhauſen, Werthinenſis, ex Phrontiſterio avocatus in Paſtorem Eccleſiæ in Eichendorff obiit A. 1598.

Clemens Strathauſen, Werdinenſis, poſtulatus in Præpoſitum Monaſterii Monialium in Meyendorff post revocatus in Abbatem hujus Phrontiſterii A. 1595.

Martinus Gallus, Bolislavienſis Sileſius, primus Ludimoderator Bergenſis Scholæ, deinde promotus in Canonicum Lectorem Metropolitanæ Eccleſiæ Magdeburgenſis, obiit Magdeburgi A. 1581.

Henricus Kneeteyſen, primum Monaſterii Procurator, poſteà vocatus in Paſtorem Parochiæ in Wiſpenſtein.

Henricus Wilhauer, Werthinenſis, Ludimoderator Scholæ Bergenſis, poſtea avocatus & factus Quæſtor ærarius Illuſtriſſ. Principis Juliacenſis.

Georgius Goſſuvinus, Gladenbachius, primum Canonicus Lector Cathedralis Eccleſiæ Magdeburgenſis, deinde hujus Phrontiſterii membrum & Capitularis factus, obiit in Cœnobio.

Henricus Blum, Magdeb. hinc avocatus in Paſtorem Eccleſiæ in Brumbi, poſteà Diaconus ad S. Petrum Magdeb. factus.

Henricus Borcken, primum Paſtor Eccleſiæ Bergenſis, poſtea vocatus in Aulicum

licum Concionatorem Illuſtriſſ. Principis Brunſvicenſis, denique Paſtor Eccleſiæ in Grehnâ Ducatus Brunſvicenſis creatus.

R. D. Gerhardus Cocus, Gladenbachius, Prior hujus Phrontiſterii, hinc electus in Abbatem Monaſterii in Regali Luthero, obiit Anno 1599.

Carolus Gokel, Gladenbachius, Paſt. in Olvenſtedt, obiit A. 1595.

Jodocus Symenius, Hamburg. Paſtor in minori Otterſchleben.

Wernerus Knorre, Dulkenſis, Cuſtos Eccleſiæ Bergenſis, obiit hîc Anno 1575.

Lambertus Dionyſius, Ludimoderator Scholæ Berg. hinc avocatus & creatus in Parochum Ilſenburgenſem.

Johannes Ulnerus, Gladenbachius, frater Dn. Abbatis germanus, prius Paſtor in Bella Colonienſis Diœceſis, poſteà membrum hujus Monaſterii, obiit A. 1576.

Georgius Witzen, Schöningenſis, Paſtor Eccleſiæ Bergenſis, poſteà vocatus à Senatu Magdeburgenſi in Paſtorem Eccleſiæ in Glotha.

Sigismundus Pfaffendorff / Colonienſis, venit ad nos converſus ex Papatu ſed rurſum defecit à nobis, ut canis rediens ad vomitum.

Franciſcus Fiſcher / Bergenſis Eccleſiæ Paſtor, avocatus hinc in Paſtorem Eccleſiæ in Dalen Warſchleben / obiit ibidem.

Gottſchalckus Schmidt / Soltquellenſis, Paſtor in Süldorff.

Helias Longonius, Spandavienſis, Paſtor in Diesdorff. obiit ibid.

Chriſtophorus Bach à Schnarsleben / hic pie defunctus in Chriſto A. 1578.

Hieronymus Bardinus, Oſterwicenſis, Ludimoderator Scholæ Bergenſis, deinde Paſtor in Wingenſtedt.

Joachimus Witſtock / Spandavienſis, prius Paſtor Eccleſiæ Berg. deinde avocatus à Reverendo Capitulo Majoris Eccleſiæ Brandenburgenſis in Parochum ejusdem Summi Templi, poſtea Paſtor in N.

M. Joachimus Suerinus, Soltquellenſis, Scholæ Berg. Ludimoderator.

Henricus Homelius, Gladenbach. primùm Illuſtr. Brunſvicenſi, deinde Juliacenſi Principp. à Concionibus Aulicis, poſtea Snperintendens Helmſtadienſis, poſtremò Paſtor Eccleſiæ Bergenſis, nec non Profeſſor S. Theologiæ, ibidem obiit A. 1579.

Petrus Lepperus, Gladenbach. prius Ludimoderator Scholæ, deinde Procurator hujus Phrontiſterii, demum Paſtor in medio & ſuperiori Etlaw.

Johannes Freymüller / Zeapolitanus, Paſtor in Bermerſchleben / obiit hic Anno 1584.

Michaël Cocus, Lutſtadenſia Thyringius, Paſtor in Schleneniß. obiit A. 1605.

Georgius Haſenſtab / Francus, Paſtor Eccleſiæ in Oſterweddingen / obiit Anno 1598.

Balthaſar Roſenthal / Magdeb. Paſtor in Bieren / obiit ibidem.

Johannes à Tilia, Schwartzenſis, Paſtor in majori Sandersleben.

Joachimus Münch / Salzenſis, avocatus in Paſtorem Schwarzenſ.

Albertus Berckman / Luchterenſis. Hic exiit ex nobis, quia non erat ex nobis.

Theodorus Witzendorff / Ulzenſis, Paſtor Eccleſiæ in Losbau, poſteà in parvâ Rodenſchleben.

Eraſmns Henninges, Soltquellenſis, Paſtor in Vorderſtadt / poſteà in Welmitſtadt / obiit A. 1604.

Andreas Dickpenſche / Neuenhaldenſchlebienſis, prius Ludimoderator hujus Phrontiſterii, poſteà hinc avocatus in Rectorem Scholæ Neohaltenslebianæ, denique Paſtor in Harmsdorff / ibidem obiit.

Henningus Hoppius, Magd. Collega Scholæ Magdeburgenſis, deinde Paſtor ad S. Jacobum, obiit ibidem.

Johannes Willing / Stendalienſis, Vicarius Summi Templi Magdeburgenſis.

M. Ludgerus Aquilius, Duſſeldorffenſis, Profeſſor cùm Græcæ, tùm Ebrææ Linguæ, avocatus in Paſtorem Cathedralis Eccleſiæ Havelbergenſis, obiit Anno 1601.

Georgius Wittenkopff / Nivemontanus, obiit A. 1595.

Johan-

Johannes Geriſcus, Magdeb. vocatus in Rectorem Scholæ Al‥enſchleb.
Paulus Duber, Schlibenſis, Rector Scholæ novæ Civitatis Magdeburgenſis deinde Paſtor in minori Otterſchleben/ obiit A. 1599.
Hermannus Schroderus, Holſatus.
Henningius Weddevius, Goſlarienſis.
Mauritius Meyer/ Magdeb. Ludimoderator Bergenſis, poſtea Rector in Schönbeck/ obiit ibidem.
Balthaſar Voigt/ Wernigerod. vocatus in Diaconum ejusdem Eccleſiæ.
Bartoldus Helwig, Dodendorffenſis, Paſtor Eccleſiæ in Diesdorff/ obiit Anno 1625.
Ewaldus Tegeder, Pater Fraternitatis in Hervordea, hinc avocatus.
Eraſmus Viſchenbecius, Dannenbergenſis, Paſtor in Bodendieck.
Ludolphus Bolſchenius, Vallerſchlebienſis, Paſtor in Witting.
Paulus Walkhovius, Heimerſchlebienſis, Cantor & Collega Scholæ Barbyanæ, poſteà Diaconus ibidem.
Theodoricus Zedovius, Soltquell. vocatus in Diaconum Wolmirſtadienſem, poſteà in Paſtorem Eccleſiæ in Hötenſchleben.
Andreas Tilemannus, Elgenſis, obiit hic.
Cyriacus Haverlandt/ Brunſvicenſis, Paſtor in Twiffling & Wopke.
Gottfridus Homelius, Düſſeldorffienſis Rhenanus.

II.

Sub Rever. Dn. CLEMENTE Strathauſen.

ABBATE L.

Leonhardus Latomus, Procurator, obiit Magd.
Caſparus Bolſchenius, Vallerſchlebienſis, Diac. Berg. Eccleſiæ, poſteà Paſt. in Wolmirſtadt/ denique vocatus in Paſtorem Ausleb.
Thomas Errleben/ Eichendorffenſis, Paſtor in Bukaw & Bermerſchleben/ obiit ibidem.
Melchior Weſſelius, Luneb. Paſt. in Cracau & Præſter, obiit ibid.
Petrus Ulnerus, Gladenbachius, Paſt. Dodendorf. obiit ibidem.
Johannes Sommerus, Cygneus, Paſt. Oſterwedding. obiit 1622.
Caſparus Lilienzweig/ hujus Cœnobii Ludimoderator, poſteà confrater & Paſtor, denique vocatus in Concionatorem Aulicum à Reverend. & Illuſtr. Principe ac Domino, Dn. Philippo Sigismundo Epiſcopo Oſnabrug. & Werdenſi, Duce Brunſvicenſi, obiit Anno 1603.
Paulus Gottfridi, Werthinenſis, Procurator, & ob ingraveſcentem R. D. Abbatis ætatem in Coadjutorem hujus Monaſterii electus & confirmatus Anno 1608. obiit Anno 1613.
Ludgerus Strathauſen/ Werthin. Paſt. in Stemmern/ obiit 1626.
Johannes Boſſelius, Magdeb. Paſt. in Randaw/ obiit A. 1624.
Johannes Wincke/ Goſlarienſis, Ludimoderator.
Ludgerus Lautenſchmidt/ primùm Paſtor Cœnobii S. Ludgeri propè Helmſtedt/ poſtea vocatus in Vnſeburg/ obiit A. 1640.
Wolffgangus Ritterus, vocatus ad Parochiam Schleunicenſem, deinde ad Diaconatum Magdeburgi Auſtralis, obiit A. 1632.
Paulus Wichmann/ Magdeburgenſis, obiit A. 1600.
Jacobus Manlius, Sileſio Brigenſis, Procurator & Senior hujus Monaſterii, obiit 1624.
Andreas Becker/ Domerslebienſis, Ludimoderator hujus Scholæ, poſtea Paſtor in Dodendorff. obiit A. 1627.
Michael Weidnerus, Suganenſis, Paſtor in minori Edlaw.
Henricus Heſſe/ Magdeburg ex hoc Conventualis Monaſterii B. Virginis Mariæ, quod Magdeburgi eſt, factus obiit ibidem.

Martinus Beutler / Magd. in Neoparthenopoli à matutinis Concionibus, obiit Anno 1625.

Conradus Butyrius, Hannoveranus, obiit ibidem.

Johannes Orlingius, hujus Cœnobii Paſtor & Senior. obiit A. 1625.

Hermannus Redecker / Weſtphalus Paſtor in minori Roſenburg / obiit Anno 1626.

Paulus Hugo, Helmſtadienſis, Paſtor in Rezling / obiit A. 1626.

Lambertus Wernerus, Paſtor in Hundesburg / obiit A. 1620.

Johannes Schroderus, Haſſus, Architriclinus hujus Cœnobii, obiit Anno 1624.

Nicolaus Wolffius Kivitzenſis, obiit A. 1615.

Johannes Reineccius, Ludimoderator, deinde Confrater, poſteà vocatus Paſtor in Welſchleben obiit A. 1636.

Jacobus Kupfferus Ludimoderator, poſteà Diac. in Acken / obiit ib.

Joachimus Weſeus, Neomarchiacus, primum vocatus in Diaconum Neoparthenopolis, poſt Paſtor factus Soltquellenſis.

Johannes Crugerus, Valdorffienſis, Paſtor in Melchau & Wuſt.

Mauritius Lentcke / Magdeb. obiit A. 1616.

Chriſtophorus Todænus, Schlaccowerda Bohemus, Ludimoderator, & Confrater, poſteà Diaconus in Magdeb. Urbe v. devaſtata Diaconus factus in Flensburg Holſatiæ.

Johannes Neuman / Eiſfeldenſis, Paſtor in Weſterhuſen / obiit 1622.

R. D. Johannes Heidenius, Jersleblenſis, poſtulatus in Præpoſitum Monaſterii Monialium in Wolmirſtadt / inde poſtulatus in Abbatem hujus Phrontiſterii A. 1621. obiit. A. 1626.

III.

Sub Rever. Dn. JOHANNE HEYDENIO, ABBATE LI.

Jacobus Manlius, Sileſius Brigenſis. Procurator, obiit A. 1624. d. 31. Auguſti.

Johannes Orlingius, Hilderslebienſis, Paſtor Eccleſiæ Bergenſis, Bukaw & Fermerſchleben / obiit A. 1625. d. 31. Auguſti.

Johannes Schroderus, Haſſus, Architriclinus, obiit A. 1624. d. 16. Martii.

Georgius Mullerus, Magdeb. Paſtor in Bukaw & Fermerſchleben / poſt deſolationem horum pagorum promotus eſt in Paſtorem Weddingenſem propè Goslar.

Georgius Cramerus, Konigſeenſis, Paſtor in Weſterhuſen / obiit A. 1626.

Petrus Wellenbergius, Dieſtorffienſis, Paſtor in Oſterweddingen / deſolato v. pago iſto egit Paſtorem in Langenweddingen.

Bartoldus Helwigius, Dieſtorffienſis, Architriclinus, vocatus Paſtor in Dieſtorff / Patris ſucceſſor, obiit A. 1636.

Antonius Buchſchatz / Jetslebienſis, Architriclinus, Paſtor in Patria obiit Anno 1630.

Johannes Faber, Lutzen Sommerenſis Tyrigeta, obiit in Cœnobio Anno 1623. d. 20. Decembr.

Johannes Fornfeſtius, Ludimoderator, & Confrater, primùm Paſtor in Schwaneberg / deinde vocatus in Paſtorem Eglenſem, obiit Anno 1633.

Daniel Frommius, Paſtor in Wolmirſchleben / Patris ſucceſſor, obiit Anno 1626. d. 27. Septembr.

Johannes Albinus, Jyterbocenſis, anteà Cantor apud Auſtro-Magdeburgenſes obiit in Cœnobio A. 1625.

Caſparus Bohemus, Schlaccowerda-Bohemus, Paſtor in minori Oſcherſchleben / obiit Anno 1636.

Matthæus Langius, Schandavienſis Miſnicus, abiit militatum.

R. D. Samuel Cruſius Calegienſis Saxo, prius Ludimoderator, deinde ex Confratre Procurator, poſt electus & confirmatus Abbas hujus Monaſterii A. 1626.

IV. Sub

IV.

Sub Reverend. Dn. SAMVELE CRVSIO, ABBATE LII.

Matthias Pyrnerus, Eiſlebienſis, Paſtor in Cracau & Præſter poſteà devaſtatis illis pagis vocatus ad Parochiam Schleunicenſem, obiit A. 1636.
Johannes Stoherus, Berningenſis Bohemus, Ludimoderator & Confrater, poſt Paſtor in Wolmirſchleben.
Martinus Holtzhuſius Stemmerenſis, Paſtor in majori Wantzleben/obiit Anno 1645.
Petrus Schrammius, Magdeburg. Paſtor. in Burg. obiit A. 1640.
Jacobus Becker/ Magdeburg. prius Paſtor in majori Germerſchleben/ poſteà vocatus in Paſtorem Gruningenſem.
Bartholomæus Lüderwaldt, Magdeb. Paſtor in minori Germerſchleben/ obiit anno 1636.
Andreas Schöner/ Paſtor in Körbliß & Loſtaw.
Wigandus Prætorius, Paſtor in Cracau.
Elias Cormannus, Collega Scholæ Stendalienſis.
Johannes Grubelius, Gräfenhäntchen-Miſnicus Diacon. in Patria.
Johannes Fiſcher/ Sangerhuſanus Tyrigeta, prius Paſtor in Breitfeld/ jam Paſtor in Dieſtorff.
Johannes Wapenhenſch/ Magdeb. vocatus Paſtor in Bieren.
Matthias Nathan, Neohaldenſchlebienſis, Paſtor Oſterwedding.
Chriſtiphorus Bezelius, Serveſtan. Sereniſſ. Princip. Chriſtinæ Suecorum & Goth. Reginæ Concionator Aulicus.
Andreas Rotermund/ Paſtor in Dodendorff.
Bernhardus Pauli, Eiſenacenſis, Paſtor in Bleckenburg.
Petrus Reineccius, Paſtor in Löbenitz.
Fridericus Bünger/ Diaconus in Staßfurth.
Benedictus Stüning/ Paſtor in Schwanenberg.
Chriſtophorus Gering/ Paſt. in Lederburg.
Thomas Friderici, Paſtor in Schlebenitz.
Chriſtophorus Below, Rector Scholæ Calegienſis.
Johannes Tilekin.
Adamus Faber.
Henricus Heldberg/ Paſtor in Cracaw.
Chriſtianus Cämmerer/ Paſtor in Pechaw.
R. D. Johannes Zimmermannus, Paſtor primùm Bergenſis, poſt Diaconus ad Spiritus S. Templum, demum poſtulatus Præpoſitus Cœnobii B. Mariæ Virg. in Magdeburg. obiit ibidem anno 1668.
Chriſtianus Becker/ Paſtor in Lindenberg.
Henningus Danckwart/ Magdeburgenſis, Paſtor Eccleſiæ Bergenſ. & Fermerſchlebienſis. Obiit Bergæ anno 1664. d. 19. Martii.

V.

Sub Rev. Dn. SEBASTIANO GOEBELIO, ABBATE LIII. MODERNO.

M. Theodorus Balthaſar Ludovici, Mansfeldenſis, Procurator, nunc Paſtor in Cracau & Præſter.
Chriſtophorus Koch/ Magdeb. prius Procurator poſtea Paſtor hujus Cœnobii, nunc Magdeburgi ad D. Jacobi Diaconus.
Johannes Caſpar Naumburg/ Megamundra Thuringus, Architriclinus, jam Paſtor in Langenwedding.
Chriſtianus Salichius, Brumbyenſis Saxo, Culinarius & Hortulanus, nunc Paſtor in Oppin.

Franciſcus Schoffius, Magdeburg. Cellarius, jam Paſtor in Gips.

Johannes Georgius Mylius, Plavienſis Variſcus, Paſtor in Diœceſi Querfurdenſi.

Chriſtianus Bericke/ Regiomontanus Boruſſus.

Johannes Sivertus, Magdeburgenſis, primum Procurator, jam Paſtor hujus Cœnobii & Eccleſiæ Fermerſchlebienſis.

Johannes Caſparus Drachſtedt/ Hallenſis, in aulam Reverend. & Sereniſſ. Dn. Adminiſtratoris AUGUSTI ad informationem Illuſtriſſimæ Prolis avocatus.

M. Johann Gottfried Rieder/ Hallenſis, Bibliothecarius, nunc in Patriâ ad D. Uldarici Concionator Sabbathicus.

M. Johannes Sigismundus Findekeller/ Dreſdenſis, Procurator.

M. Conradus Hdvecker/ Calegienſis Saxo, Bibliothecarius & Hortulanus.

Georgius Kilianus Pötzlinger/ Magdeburgenſis, Informator & Cellarius, nunc Magdeburgi ad D. Johannis â Concionibus Matutinis.

Johannes Thymus, Schonbeccenſis Magdeburgicus, Informator.

Salomon Lentz/ Magdeburgicus, Informator.

FINIS.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI MEIBOMII
CHRONICON
RIDDAGSHVSENSE

In quo, præter Abbatum celeberrimi & antiqui illius Cœnobii catalogum & res geſtas, Saxonica illius ævi hiſtoria, & illuſtrium familiarum genealogiæ exponuntur.

Henricus Ecſtormius Chron. Walkenred. p. VII.

RIddageshuſanum monaſterium, cum Abbatibus ſuis, Chronico erudite conſcripto, ab oblivione vindicavit Henricus Meibomius, Poëta & Hiſtoricus, in Academia Iulia, quæ eſt Helmeſtadii, clarisſimus; qui non minori ſtudio & labore laboravit etiam Chronicon Mariævallenſe, refertum multis ſcitu cognituque dignis antiquitatibus.

RE-

REVERENDO ET AMPLISSIMO VIRO,

Verâ erga Deum & homines pietate, egregiâ doctrinâ, judicio, ſapientiâ, uſu, auctoritate, & multarum rerum experientiâ præſtantiſſimo,

DN. PETRO WINDRUUIO, ABBATI RIDDAGSHUSANO:

NEC NON

Venerandis, doctis, humaniſſimisq; Viris,

M. CHRISTIANO PRÆPOSITO, Priori,
DN. JOHANNI FABRO Seniori,
M. HENRICO SCHELEN,
DN. CHRISTOPHORO OTTONIO,
ET
DN. HENNINGO BUSSIO,

Ejuſdem monaſterii Conventualibus.

Dominis, amicis & fautoribus ſuis æternùm honorandis.

REmitto Dignitati tuæ, Reverende & Ampliſſime Abbas, catalogum Patrum ſive Antiſtitum celeberrimi veſtri monaſterii, quem, enixè me rogante, ex antiquiſſimis, libris, litteris & diplomatis, aliisq; id genus fidedignis monumentis erutum, ante menſes aliquot pellegendum augendumque unà cum literis prolixè humaniterque ad me ſcriptis transmiſit. Sic enim D. Tua ſtatuebat, me qui XXX. & amplius annis in hoc florentiſſimo Ducatu vixiſſem, & mediocri diligentiâ antiquitates ejus inveſtigaſſem, inveſtigatas conſignaſſem, ſuisque uſibus aſſervarem, non tantum materiam illam indigeſtam in ordinem redigere, verum etiam ex penu noſtro hiſtorico non parvâ acceſſione augere & locupletare poſſe. Mirificè, fateor, Delectatus ſum veſtris collectaneis: atque è veſtigio contuli ea cum iſtâ Abbatum ſeriè; quæ ab incomparabili Theologo & Polyhiſtore Davide Chytræo, amicorum meorum facilè principe, iterum atque iterum evulgata eſt. Inſpexi etiam illa, quæ ex diverſis quorundam monaſteriorum adverſariis mecum perbenignè antehac communicata ſunt. Nec erubui ipſe coram quædam ſciſcitari, inveſtigare viis omnibus, anguloſque perreptare omnes, & ſcrutari, quoties mihi injectus eſſet ſcrupulus, qui dubium faceret. Adhibui denique in conſilium eos, qui ab annis multis in eodem hoc mecum ſtudio verſantur. Corrogatis conquiſitisque omnibus neceſſariis adminiculis, rei manum admovi, ſeriemque continuam ac ſolidam Abbatum omnium, à primo fundationis anno usque in diem præſentem, cum DEO bene juvante contexui, ſingulisque Patribus, quæ vel ab illis laudabiliter geſta ſunt, vel eorum temporibus ἀξιόλογα acciderunt, appoſui: quâ in re (abſit invidia dicto) exiſtimo me operæ precium feciſſe,

ciſſe, ſperoq; à lectore candido gratiam initurum. A Chytræo quòd receſſi interdum tam in perſonis, quàm annorum notationibus, ipſa coëgit me veritas, quam in oculis habui unicam. Ille, at quantus vir! quod fatetur, & ego deprehendi, ſecutus eſt martyrologium veſtri templi, in quo T. D. anteceſſores ordine deſcripti inveniuntur. Verum quis noſtrûm ignorat, quanta fuerit ſuperioris ſæculi negligentia & incuria in deſcribendis libris? quanta proclivitas ad numeros aliasque id generis notas corrumpendas adulterandasque? Quâ de re etſi in medio ſunt aliorum quoque hominum doctorum querelæ, imò ſtomachi, liceat tamen mihi producere modò unicum teſtimonium Gregorii Haloandri, viri mehercule magni. Is Epilogo ad COSS. Romanos ſic ſcribit: *Si quâ in re unquam boni auctores depravati ſunt, tum verò in numeris temporum ita multis & magnis erroribus ſcatent, ut omnem fidem ſuperet. Quam culpam meritò in ſuperiorum temporum barbariem & ſupinam librariorum inſcitiam rejicimus.* Hæc ille. Mihi tutiùs viſum fuit acquieſcere in iis, quæ ſecundum D. T. indicationem diplomatum fide niti, corroborarique deprehenſa fuerunt. Cum quibus conſentire mirificè & amicè quaſi conjurare inveni collectaneorum meorum notationes. Atque, ut amplius dicam, adeò ſuperſtitioſè Chytræus ſecutus eſt ſimplicem martyrologii expoſitionem, ut non meminerit Conradi ex Abbate Riddagshuſano ſecundi Lubecenſium Antiſtitis: quem ille, tam multifariæ lectionis homo, tamque inſatiabilis librorum helluo minimè ignorare potuit, cùm à Crancio, quem ipſe continuavit, toties inculcetur, neque ab Helmoldo, vel Alberto Stadenſi prætereatur: imò in vulgato Saxoniæ Chronico vernaculâ linguâ ſcripto etiam reperiatur. Mihi religio fuit, quicquam, quàm minimum etiam deeſſet, quod ad numeris omnibus abſolutum perfectumque catalogum facere videretur, tranſilire vel prætermittere. Atque talem T. D. me hic offerre nullus dubito, quem ut unà cum fratribus ſuis benevole hilarique fronte excipiat, etiam atque etiam rogo, obſecro. Cauſſas cur D. T. hanc meam operam dedicem, habeo multas: familiaritatem puto & amicitiam, quæ ab annis benè multis cum D. T. mihi intercedit, confirmata nuper συντεκνίᾳ (liceat mihi uti vocabulo Byzantinis ſcriptoribus uſurpato) quod neceſſitudinis vinculum Juſtiniani Imperatoris ſanctione arctiſſimum eſt: & ſi iſtæ non eſſent, ſufficeret altera, quam dixi nimirum, quòd in hâc ſerie pertexendâ D. T. vitulo aravi, ſicut habet proverbium Biblicum. Cur autem in ſocietatem venire vos etiam voluerim, viri reverendi, eruditione doctrinæ & humanitate inſignes, id paucis exponere volenti auſcultate quæſo, & cognoſcite libenter. Noſti Chriſtiane Præpoſite quid debeas ſanctæ animæ, Dn. Lorberio ſocero tuo: quantùm te amârit ille: cui propter modeſtiam unus viſus es idoneus, quem è multis competitoribus, Scholæ ſuæ, quam non minus ac ſeipſum amabat, præficeret magiſtrum. Hoc ex vitâ hac in cæleſtem ſcholam evocato, majore te affecit beneficio ejus in munere tuique amore ſucceſſor Windruvius. Is liberatum à piſtrino ſcholaſtico, animarum paſtorem, vereque Præpoſitum (noſti ἡγουμένους Hebr. 13. quos Hieronymus præpoſitos vertit) conſtituit. Is conciliavit tibi matrimonium Sophiæ filiæ anteceſſoris ſui: quod quam concors & fœcundum fuerit plærique meminimus. Illo tempore hunc patrem, conjugem ejus matrem pronubam experiebaris. Is idem, cùm amplius te ornandum putaret, Priorem collegii ordinavit, qui honos ſummæ dignitati proximus. Leges igitur, ſcio, libenter & cum voluptate, tàm veteres Abbates quàm tuum Lorberium, & recognoſces, quæ de eo ex veritate à me proferuntur

Tu verò Johannes Faber, cum quo mihi à XXX. annis familiaritas non injucunda, hæc evolvens revocabis tibi in memoriam illud tempus, quo adoleſcens pauper à Lorberio ſummâ benignitate in monaſterium receptus inter conventuales ſcribebaris: quod beneficium luculentum, tuarumque fortunarum ſcaturigo quaſi, ut præter ſpem tibi tunc temporis eveniebat, ita cum gratitudine perpetuâ animo infixum inſculptumque retinebis.

Ad te venio, amiciſſime M. Henrice Schelen, etſi ſciam magnifacere te lucubrationes meas omnes, nec minus quàm meipſum deſiderare: quod cur facias cauſſas fortè habes non leves, quæ & in vulgus notæ: tamen hæc monaſtica hiſtoria, ejusque de communibus Patronis relationes afficient te vehementiùs. Nam

cui

cui proximè & ſecundùm Deum magis debes, quàm Antiſtiti Windruvio? Is in ſcholam ſuam puerum te ſuſcepit gratis: adoleſcentem in Juliâ aliquandiu aluit Academiâ cumque per ætatem & eruditionem id præſtare poſſes, ludi ſui litterarii magiſtrum conſtituit. In quo munere laborioſo & difficili, cum fidem & induſtriam pariter omnibus probares, conventualium numero te aggregavit. Eidem debes uni, quod nunc gregi Dominico præfectus oviculas filii Dei ſanguine redemptas verbi cœleſtis pabulo deinceps reficies enutriesque.

Easdem tu quoque Dn. Chriſtophore Ottoni cauſſas habes cur hunc meum laborem non aſperneris. Es enim non poſtremus ex eorum numero, qui Windruvium alterum parentem experiuntur. Nam ejus ope diutius vixiſti in Academiâ Juliâ: ejus interceſſione & operâ ad miniſterium Eccleſiaſticum promotus es: ejus conſilio, quoties tibi opus eſt, uteris promptiſſimo paratiſſimo.

Quod ipſum commune tibi eſt cum omnibus collegis tuis, Dn. Henninge Buſſen, qui nunc domi meæ aleris Windruvii ſumptu, in eam ſpem, ut nulli eorum pietate, literarum ſtudio, morumque ſanctimoniâ cedas. Hoc unum ille abs te requirit: hoc ego volo eoque ſpectat iſta, utriusque, quam noviſti, cura & ſolicitudo.

Hæc illuſtria beneficia, quæ ad vos univerſos & ſingulos, viri reverendi, eruditi & humaniſſ. ex hoc nobili Phrontiſterio promanarunt hactenus, & quotidiè largiter etiamnum profluunt, nunquam ex animis veſtris elabi debent: neque etiam ſicut vos pernovi, ullis temporibus effluere poterunt.

Tantum ut ſponte veſtrâ alacriter currentibus, calcar aliquod addatur, hanc compellationem ad vos dirigere, vosque in ſocietatem hujus dedicationis venire volui.

Redeo ad D. T. reverende & ampliſſime Præſul, compater ac Evergeta honorande, & Chronicon hoc Riddagshuſanum, labore non exiguo, neque unius diei, conſarcinatum de manu in manum trado. Illud T. D. alumni & clientes, qui infiniti, amabunt & in oculis ferent: legent etiam vicini, legent exteri, qui celeberrimum veſtrum monaſterium, vel oculis viderunt ipſi, vel de eo fando aliquid audiverunt. Quid Momus vitilitigator de meo labore judicaturus ſit, equidem neſcio: laudet vel vituperet, ſusque deque habeo. Didici ego ab eo contemni, & rurſus contemnere: quia ſic ex uſu; hoc tempore; his moribus. Illud me erigit, quòd nihil ſcripſi temerè aut injurioſè: omnia ex veritate, ſine aſſentatione, à quâ abeſſe ſtudeo quàm longiſſimè. Deus optimus maximus, qui jam quadringentis & ſexaginta circiter annis cœnobium Riddagshuſenſe mediocriter florere, collapſum & deſolatum inſtaurari, & denique ab idolomaniâ Pontificia repurgatum, Dominici ſcholam ſervitii & ſinceræ pietatis officinam eſſe voluit, is deinceps huic loco cuſtos & defenſor adſit, ac D. T. ſpiritu ſuo ſancto regat ac gubernet, ut Phrontiſterio & docentium diſcentiumque collegio ita & præſit & proſit, ut in glorioſo die illo, qui mundi hujus ſinem, regnique alterius, cujus non erit finis, initium faciet, quique ab omnibus tàm ſummis, quàm infimis, dictorum factorumque in diſtricto judicio rationem exiget, audiat dulciſſimam filii Dei Jeſu Chriſti vocem: *Euge ſerve bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Amen. Dabantur in illuſtri JULIA academiâ quæ eſt Helmæſtadii Saxonum, anno M DC IV. menſe Februario.

D. T. fratrumque & collegarum ejusdem

Studioſiſſimus

HENRICUS MEIBOMIUS.

Admodum reverendo, ampliſſimo, doctiſſimo, humaniſſimoque viro,

Dn. HENRICO SCHELEN,

Illuſtris & antiqui cœnobii RIDDAGSHUSANI, electo & confirmato ABBATI,

Domino & patrono meo reverenter colendo,

S. P. D.

EN tibi tandem, Præſul venerande, Chronicon Riddagshuſanum, ſed non ſine comperendinatus fœnore, nempe acceſſione non exigua auctum longiusque productum. Satisfaciendum aliquando fuit pio deſiderio manium feliciſſimorum Windruvii, τοῦ μακαρίτου, qui annis poſtremam devaſtationem inſequentibus, quoties ad ipſum ventitabam, fiebat illud non rarò, de novâ Chronici editione mecum feriò loquebatur. Intelligebat in priore editione, nullâ tamen noſtrâ culpâ, omiſſum eſſe Wilbernum, qui ſextus in ordine monaſterio præfuit, vir ſine dubio pius, deque monaſterio optimè meritus. Hunc ab oblivione vindicari, & in librum viventium (ſic Nicetas Choniates hiſtoriam appellat) referri ſummopere optabat. Erant præterea nonnulla ſuis locis inſerenda, quædam luculentius exponenda, pauca aliter referenda: nequaquam etiam prætereunda truculenta omnibusque cordatis execranda in annum MDCVI. incidens devaſtatio. Hæc à me rectè curari poſſe, ut ſibi omnino perſuadebat, ita operam meam efflagitabat, tum verò maximè, cum ex defectu virium, tam animi, quàm corporis, terminum mortalis vitæ non procul abeſſe animo præſagiret. Subſecuta eſt mors optimi ſenis: ſubſecutum bellum, ἰλιὰς καὶ λέγη κακῶν, quo durante plus damni ab hoſpitibus, quam hoſtibus acceptum. Hæc incommoda, conatibus noſtris eliſis; iteratam Chronici editionem huc usque impediverunt. Ante biennium edito gemino Antiſtitum Riddagshuſanorum catalogo, altero Davidis Chytræi τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις altero meo, R.T.D. de ſuprema voluntate Windruvii admonui teſtatumque feci, nullam in memoram futuram, modò ſuppetiæ negocio conficiendo non deeſſent. Quo facilè impetrato, denuo laborem hunc meum relegi, recenſui, tandemque publici juris feci. Utinam æquos ille cenſores inveniat! utinam veritas in eo non diſſimulata, ſed prolata, neminem offendat! Quæ luce meridianâ clariora ſunt, quæ in publicos libros relata, authenticis ſcriptis comprobata, denique ſuos conſecuta ſunt effectus, cur bono reticeam, ſilentioque involvam? Si quid peccatum eſt, quod nemo inficias ibit, agnoſcatur culpa coram Deo & hominibus; hæc via cum utriſque redeundi in gratiam: hic modus retinendi in hac vitâ benedictionem divinam & proſperitatẽ in ſucceſſibus. Sed de hac re quilibet toto animo cogitabit, & ut id faciat, nemini non neceſſe factoq; opus erit. Tu, reverende & ampliſſime Præſul, patrone honorande, meam hanc operam Riddagshuſio, de me meisque bene meritò, mihique plus oculis meis adamato, lubenti animo impenſam, boni conſule, tuis collegis commenda, contra calumniantium cavillos & morſus tuere ac defende: ad me quod attinet, qualem me ab annis compluribus noviſti, expertus es, aliisque commendaſti, deinceps habebis. Vale longum & feliciter. Dabam Helmæſtadii XV. Octobris, qui natalis illuſtris Academiæ Juliæ quadrageſimus quartus; faxit Deus, ut ſecundum tua omniumque piorum vota ſit & maneat veræ religionis, ac liberalis doctrinæ cuſtos, multosque eccleſiæ & reipublicæ cum fructu operam olim navaturos feliciter producat.

T. R^a D^tis & ampl^mis

Studioſiſſ.

HENRICUS MEIBOMIUS.

REVE-

REVERENDO ET AMPLISSIMO VIRO
DN. PETRO WINDRUUIO,
Abbati Riddageshuſano, Domino compatri & amico ſuo colendo,

BASILIUS SATLER, D. Salutem æternam per Chriſtum precatur.

PErlegi, Reverende & ampliſſime vir, & quidem non modò ſine omni tædio & moleſtiâ, ſed etiam magnâ cum voluptate, Chronicon Riddageshuſanum, idq; dignum eſſe judico, quod in aliorum etiam manus perveniat, & publicè ab omnibus legatur. Præterquam enim quod natura omnes avemus ſcire aliquid, & ea cumprimis, quæ ante noſtram acta ſunt ætatem: hunc etiam fructum inde diligens lector reportare poterit, quod de multis graviſſimis rebus, maximum in vitâ uſum habentibus, admonebitur.

Riddagus à VVenden, fundator monaſterii Riddageshuſani munificentiſſimus, æternâ memoriâ & laude dignus eſt, quòd ad cultum nominis divini facultates ſuas liberaliter contulit: licet hac in parte, à verò ſcopo, quem ſibi propoſitum habuit, infelici illo ſeculo aberraverit. Hanc ἐυεργεσίαν *quis in hac clariſſimâ Evangelii luce imitatur?*

Imperatores & Principes, qui privilegiis & immunitatibus ampliſſimis collegium iſtud ornârunt, itidem exemplo ſuo prælucere nobis debent, ut omnes & ſinguli, ſuo loco, cumprimis autem pii Magiſtratus & qui cum imperio ſunt, ſtudia ſacrarum literarum & bonarum artium totis viribus promoveant & conſervent: utpote ſine quarum adminiculo religio illibata conſervari nec Reſpub. rectè & feliciter adminiſtrari poſſit.

Viciſſitudo fortunæ & varii caſus, tùm Antiſtitum, tùm ipſius etiam monaſterii & bonorum ejus, ut utramque fortunam moderatè feramus in hac vitâ, quæ vanitati ſubjecta eſt, præparandum & obfirmandum eſſe animum demonſtrant.

Inprimis autem non ſine ſtupore pia mens conſiderat, quas in religione ingruiſſe videt tenebras. Eò enim usque proceſſerunt immodicæ vitæ ſolitariæ iſtius ſive monaſticæ prædicationes, ut equeſtris ordinis viri, imò etiam principes, relicto vitæ genere, ad quod legitimè atque ita divinitus vocati erant, in quo Deo bonâ & lætâ conſcientiâ ſervire potuiſſent, in monaſteria ſeſe abderent, & neglecta ſanctâ vitæ normâ, quam Deus in verbo ſuo illi hominum ordini præſcripſit, regulas vivendi ab hominibus excogitatas & confictas conſequerentur, & hac ratione, ſe cultum magis gratum Deo præſtare poſſe ſibi perſuaderent, quàm ſi ea facerent opera, quæ Deus ipſe præcepit. Atqui omnibus vel levi ſacrarum literarum cognitione tinctis, imò pueris etiam, qui prima religionis rudimenta didicerunt notum eſt, fruſtra Deum obſervatione traditionum humanarum coli: quod & Prophetas & Chriſtum ipſum ſui ſeculi monachis, id eſt hypocrytis, ſedulò inculcaſſe ex Ieſaiâ & hiſtoriâ Evangelicâ manifeſtum eſt.

Acuere debet diligens harum rerum conſideratio, tum Doctorum, tùm auditorum piorum diligentiam, ut ſummo ſtudio caveant, ne culpâ & ipſorum negligentiâ, tanti in Eccleſiam errores irrepant: quod quidem facilè fit, ubi auditores, ſanæ doctrinæ, quæ ſacris literis deſcripta eſt, pertæſi, eam faſtidiunt, & novitatibus atque fabulis, ut ad Timotheum Paulus loquitur, impensè delectantur; quando item Eccleſiarum Doctores atque miniſtri magis hoc ſpectant, ut laudem ingenii, eruditionis & eloquentiæ conſequantur, quàm ut genuinâ ſacræ ſcripturæ interpretatione Eccleſiam ædificent, & ad veræ pietatis ſtudium auditores ſuos excitent atque inflamment.

Caveamus ergo ſummo ſtudio ſacrarum literarum contemtum. Quam primùm enim ſcriptura θεόπνευστος*, quâ ſolâ ſanctum Dei verbum continetur, viloſcere atq;*

 ſor-

ſordere incipit, fieri non poteſt, quin, quaſi lucernâ remotâ, horribiles in religionis doctrina tenebræ ingruant atque invaleſcant, quod omnium temporum hiſtoriæ teſtantur. Tum enim hominibus uſu venire ſolet, quod impio Regi Ababo accidiſſe legimus, qui cum fideles DEI miniſtros, Micham & Eliam audire nollet, juſto Dei impietatem illam ulciſcentis, judicio, Spiritui immundo aures præbens, in æternum exitium ſeipſum præcipitavit. Neque enim unquam fallit graviſſima Pauli ſententia 2. Theſſ. 2. Eò quod amorem veritatis non receperunt, ut reſervarentur, propterea mittet ipſis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non credunt veritati.

Eandem fortunam experta eſt Eccleſia infelici illo ſeculo, quo monaſterium Riddagshuſanum primùm fundatum eſt & annis ſequentibus. Cum enim tum temporis in templis & ſcholis, ſacræ literæ propemodum conticuiſſent, intricatæ & perplexæ diſputationes Scholaſticorum Doctorum ſic exercuerunt Eccleſiam, ut nullus ferè doctrinæ Chriſtianæ locus, præter articulum de ſacroſancta Trinitate reliquus fuerit, quem Doctores illi nimis ſubtiles, ſemper diſcentes, neque unquam ad cognitionem veritatis pervenientes, diſputationibus ſuis non corruperint. Idem ne nobis, vel certè poſteris noſtris accidat, vehementer metuo, cum hujusmodi frivolarum diſputationum hodie nec finis nec modus ſit, & has nonnulli ſacrarum cognitioni literarum longè præferunt. Vigilent igitur, qui ad clavum Eccleſiæ ſedent, & Deum ardenter invocent, ut hanc ab Eccleſiâ peſtem, quæ illo ſeculo tàm horrendam ſtragem edidit, clementer avertat.

Aſperſæ ſunt etiam huic Chronico nonnullæ narrationes hiſtoricæ, quæ de ſtatu ſuperiorum temporum nos erudiunt, & non tantum legentium animos oblectant ac voluptate quadam demulcent, ſed etiam fructum uberrimum illis impertiunt, quas omnes vel leviter attingere non licet, ne modum præfationis excedam.

Unicum hoc, quod fortè legenti mihi Chronicon hoc in mentem venit, cæteris, quæ in hac hiſtoria commemorantur, addere viſum eſt. Memini me aliquoties audire ex ſocero meo, Balthaſaro Maſio p. m. cum in ſuperiori bello Brunſuicenſi, anno, ni fallor, 1553. bona illa monaſterii piis uſibus deſtinata, deriperentur, prædonibus illis idem eveniſſe, quod olim iis, qui templum Delphicum ſpoliaverant, accidit. Nam & ad extremam paupertatem pleroſque redactos fuiſſe, & plurimos propemodum intra anni ſpatium miſerè periiſſe. Quod utinam diligentius expenderent illi, qui bonis illis ita inhiant, ut dulci pane Chriſti, hoc eſt, bonis divino cultui dicatis, exſaturari nequeant, cum tamen Chriſto & Eccleſiæ, operam ſuam locare neque velint neque poſſint. Sed hæc etiam abrumpo.

Agimus meritò gratias ingentes, æterno Deo, patri Domini noſtri JESU CHRISTI, quod hoc ultimo ſeculo, non tantum claram Evangelii ſui lucem, traditionibus humanis paulò vehementer obſcuratam, denuò nobis in his terris accendit, ſed animos etiam Illuſtriſſimorum principum noſtrorum, Spiritu ſuo Sancto ita rexit & flexit, ut abuſus, errores atq; idololatriam, quæ in Eccleſias & monaſteria Ducatus hujus irrepſerant, è medio tollerent, & tamen, ut bona illa ſemel Eccleſiæ conſecrata, profanarentur, neutiquam permitterent, ſed hoc potius operam darent, ut ad meliores & verè pios uſus converterentur: quo factum eſt, ut intra paucos annos ex celebri hoc collegio Riddageshuſano, aliquot viri doctiſſimi prodierint, qui & Eccleſiis & Scholis Ducatus hujus magnâ cum laude & fructu præſunt. Faxit idem benigniſſimus pater, ut præclarum hoc cœnobium ſit & maneat perpetuò domicilium veræ pietatis, doctrinæ & virtutum, in quo Deus juxta verbum ſuum in ſcripturis traditum, rectè agnoſcatur & celebretur, donec omnes aliquando ad ſcholam ipſius cœleſtem transferamur, ubi non amplius per obſcurum verbum, ut in hac vitâ fit, Deum agnoſcemus, ſed de facie ad faciem videbimus & ejus beneficiis reipſa fruentes cum univerſa hominum & angelorum Eccleſiâ cum gratâ & lætâ mente & voce ſine intermiſſione laudabimus. Amen. Scripſi 23. Julii

Anno 1604.

Rid-

RIddagshuſium monaſterium, vulgus Ridderßhuſen appellat, ad primum à veteri Ducum Saxoniæ aulâ & urbe Brunonis-vico lapidem ſitum, antiquitùs fuit, ut etiamnum eſt, membrum Ducatus ejus, qui hodie Brunſvicenſis dicitur. Etenim quamvis Illuſtriſſimus Saxonum & Bavarorum Dux Henricus, quem ob animi fortitudinem hiſtorici Leonem vocant, Superbi F. Lotharii Imp. ex filiâ Nepos ſub conſobrino Friderico Barbaroſſâ ditionem paternam omnem, magnamque hereditatis maternæ partem, in utrâque tum Weſtphalorum, tum Oſtphalorum Saxoniâ, amiſiſſet, tamen ab Henrico Craſſo proavo, & Echardo, ſive Ecberto, atavo (illo ditionis Gottingenſis & terrarum ad Viſurgim, hoc Marchione Saxoniæ & Turingio, agrique Brunſvicenſis dominó) devolutas poſſeſſiones à clientela liberas & ſolutas (allodiales appellant, Juriſperiti) conſtanter defenſas retinuit, atque ad filios deinceps tranſmiſit, Henricum Ducem Saxoniæ, Bavariæ, & Comitem Palatinum ad Rhenum, Principem Electorem, Ottonem IV. Imp. & Wilhelmum: cujus tandem filius Otto cognomento Puer, ſtemmatis propagator, cum Electorali dignitate titulum quoque Saxoniæ ceſſit Alberto Anhaltino, deque ditionibus hereditariis, quas adhuc majores ejus à nemine, niſi à Deo, ſive (ut vulgo loqvuntur) à Sole, recognoverant, fidem atque obſequia Imp. Friderico II. & Imperio Romano promittens, Dux ab eodem Moguntiæ magnâ ſolennitate creatus eſt Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Anno M. CC. XXXV. pridie Timothei, hoc eſt, XXIV. Januarii. Ducatus hujus Brunſvicenſis, qui ab antiquo in tres (Eccleſiaſticorum, ſcilicet, ſive Prælatorum, virorumque Equeſtrium & Civitatum) ordines tributus eſt, Abbates Riddagshuſani inter primi ordinis proceres locum etiamnum tenet ſummo proximum. Jurisdictio eccleſiaſtica pertinuit ad Epiſcopatum Halberſtadenſem, quam diœceſin à vicinâ Hildeſianâ diremit Ocer fluvius, urbem ſcindens Brunſvigam in duas partes, & utrique Antiſtiti ſuam, Hildeſienſi occidentalem, Halberſtadenſi orientalem aſſignans. Initium, ſeu fundatio, cœnobii incidit in annum χριστογονίας M C. XLV. Indict. IIX. quo ipſo obiit Lucius II. PP. & ſucceſſor ei datus eſt Eugenius familiæ Ciſtertienſis monachus, & diſcipulus S. Bernhardi, qui non unas ad eum perſcripſit literas. Romani Imperii faſces tum tenebat Conradus Suenus, ex familiâ Hohenſtaufiâ, ejus nominis III. Ducatui Saxoniæ præerat is, quem dixi, Henricus Leo, annorum XVI. adoleſcens, *ſed ante annos animumq́ gerens curamq́ virilem.* Halberſtadenſem Epiſcopatum adminiſtrabat Rudolfus, ejus nominis I. ordine XVII. qui hoc tempore jam undecimum in Præſulatu annum agebat.

Conditor cœnobii in Chronico Saxonico, quod Brunſvigæ olim, neſcio à quo, vernacula lingua conſcriptum & Moguntiæ anno M CCCC XCII. typis expreſſum eſt, proximis verò annis Magdeburgi ineptè & ineruditè verſum denuo prodiit, celebratur Ludolfus quidam dynaſta: cujus familiæ is fuerit non additur: conſtanter autem affirmatur ortum fuiſſe ex vetuſtâ Wendenorum familiâ. Leonis diploma, quod hoc anno, quem diximus, datum eſt, de Ludolfo fundatore conſentit, & à Leone liberaliter adjutum oſtendit. Erant Ludolfo, fratrique ejus Riddago fundi hereditarii prope Brunonis-vicum: quorum partem, quæ ipſi obvenerat, Ludolfus Deo, piisque uſibus devovebat. Percrebuerat id temporis fama de ſanctitate vitæ, ac quotidianis religioſæ pietatis exercitiis ordinis Ciſtertienſis, qui auſpice Divo Bernhardo, abbate Clarevallenſi, maximis ab Imp. Lothario Henrico Leonis avo materno beneficiis affecto, prolapſis in luxum & ocia Benedictinis, religionem penè fugientem ſiſtere quodammodo videbatur. De illis in hanc Saxoniæ partem accerſendis cogitans Ludolfus, conſilium ſuum Campenſi & Amelunxbornenſi Abbatib. partim coràm, partim per literas ſignificavit: à quibus monachos cum impetraſſet, cœnobium conſtruere aggreſſus eſt. Non alienum puto, de iſtis duobus monaſteriis obiter aliquid addere, cùm utriusque deinceps mentio facienda ſit, & alterius, Campenſis ſcilicet, olim magna fuerit exiſtimatio: addo etiam potentiâ. Situm eſt in finibus diœceſis Colonienſis, qui ab Aquilone Cliviam, ab occidente Geldriam ſpectant, in monte amœniſſimo, conditum anno M C XXII. à Friderico Colonienſi Archiepiſcopo, conſtituto illic Abbate Henrico, qui frater fuit Arnoldi

 Abba-

Abbatis Morimundenſis, quem à temerè inſtituta peregrinatione Hieroſolymitana Divus Bernhardus revocare fruſtra conatus eſt. Huic inſigni cœnobio, præter ſanctimonialium conventus non paucos, penè quinquaginta ſubjecta & commiſſa fuere monaſteria, & in his Ducatus hujus Walkeredenſe, Amelungbornenſe, Riddagshuſanum & Michelſteinenſe. Ab hoc veteri Campo nomen accipit Novus Campus, Monaſterium in Pomerania opulentum, à Wislao Jarimari primi F. principe Rugiæ, traductis eò colonis, anno ſalutis Chriſtianæ M CC XXXI. incoatum. Amelungsborna, ab Amelungo clerico quodam & fonte nomen adepta, cœpit anno M CXXXV. auſpice & conditore Sigefrido Comite Bommenborgio, Henrici Craſſi Ducis Saxoniæ ad Viſurgim, & Lotharii Imp. ſoceri, fratre germano. De hoc cœnobio fortè alibi dabimus plura.

De fundatione monaſterii Riddagshuſani inveni verſus duos, quos, etſi rudes ſint, inſeram tamen:

Anni nongenti, duo C deca bis duo, pente.
Tranſierant, Chriſte, dum fundatur locus iſte.

Fertur prope aggerem Scheppenſtadenſem, per quem regia via Brunſuigam itur, in planicie iſta, quæ hodie das Kaulenfeldt dicitur, cœnobium initio cœpiſſe & Mariæ Cella indigitatum. Nomen iſtud habet Bulla Eugenii PP. data a. M.CXLVI. nihilomin⁹ eodem anno in diverſis literis nominatur Riddagshuſium. Novæ hnjus appellationis cauſſam exponit Chronicon Saxonicum, quod dixi, in hanc ſententiam: Riddagus à Wenden, Ludolfi fundatoris germanus, cum videret fratris piam in religione promovenda ambitionem, æmulari eam voluit: Ideoque prædium, quod habebat paterna ex hæreditate ad Wavam fluviolum, Abbati Cellæ-Mariæ liberaliter dono dedit. Nomen prædio erat Huſen: Verum à poſſeſſore vulgus Riddagshuſen, quaſi Riddagi domum nuncupabat. Cum veniſſet in poteſtatem monachorum animadverſa loci amœnitate, quam rivulus, piſcinæ & nemora augent, Abbas relicta Cella Riddagshuſium migravit, temploque & habitationibus commodis extruendis operam dedit. Hac occaſione nomen primum exſpiravit, novumque ſucceſſit, quod adhuc in uſu eſt, licet breviori ſono, ut ſupra oſtenſum Riddershuſium dicant. Vocabulum Riddag/ ut hoc etiam addam, ſignificat equitem heroicum, quaſi Reitdegen. Eſt enim Degen priſcis Germanis idem quod Heldt/ ſcribiturque diverſimode apud ætatis mediæ hiſtoricos, nempe Daganus, Dageno, Dago, Dagus, Theganus: Compoſita ab hac voce (mirifice enim majores noſtri Græcorum more compoſitionibus delectati ſunt) reperias paſſim multa & concinna. Adeldagus, Beridagus, Conedagus, Dagericus, Dagobertus, Dageboldus, Dagefridus, Dagomarius, Dagoaldus, Dagewinus, Degenhilda, Degenhardus, Dagulfus, Eildagus, Eridagus, Foledagus, Fritudagus, Heldagus, Helmdagus, Liobdagus, Oſdagus, Riddagus, Wendildagus, & Seſithacus Cheruſcorum rex apud Strabonem lib. 7. Germanici enim ſcriptores E noſtrum in A mutarunt, ut in vocabulis Harminius, Arioviſtus, Carolus, Arnoldus, Aribertus, quæ noſtra enunciatione Herman/ Ernueſt/ Kerl/ Ernholdt/ Erenwerth/ aliiſque infinitis manifeſtum eſt. Verum iſta obiter & forte ὁδοῦ πάρεργον. Atque hactenus Riddagshuſii primordia, tenuia illa quidem, ut multorum monaſteriorum, ſed quæ exceperint incrementa optatiſſima, ut apparebit. Monachis quos à fundatore corrogatos diximus, de conſilio Epiſcopi Halberſtadenſis, tanquam diœceſani, & ordinarii magiſtratus, cujus erat Advocatum agere, præfectus fuit ROBERTUS, vir literatus, vitæque integritate, prudentia & humanitate inſignis. Is præfuit monaſterio ab hoc anno, quem non ſemel diximus, uſque ad M. CL. quo è vita emigravit, III. Junii. Henricum Leonem principem incomparabilem, quamdiu in vivis fuit Robertus, patronum & evergetam expertus eſt benigniſſimum. Erat huic principi ingenerata quædam erga ordinem eccleſiaſticum liberalitas & affectio perbenigna, qua avum Lotharium ſuperare, Ottones majores ſuos, principes auguſtiſſimos, æquare ſatagebat. Vidi infinita ejus diplomata, Zelum, quem in promovenda religione habuit ſummum, prolixe indicantia. Exſtant literæ fundationis Epiſcopatus Snerinenſis, quarum partem adſcribam. *In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Henricus D. G. Bavariæ atque Saxoniæ Dux. Summa æternæ pietatis providentia poteſtatem & adminiſtrationem in temporalibus idcirco nobis contulit, ut bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Si itaque*

que in promovendis, vel ordinandis rebus Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticarum perſonarum commoditatibus devoti & ſtudioſi æmulatores fuerimus, emolumentum laboris noſtri ab eo exſpectamus, qui dat mercedem bonam ſuſtinentibus ſe. Quapropter notum facimus univerſis, tam præſentibus, quam futuri temporis Chriſti fidelibus, quomodo nos pro remedio animæ noſtræ & parentum noſtrorum, ad propagandam Chriſtianam religionem in terra Slavorum Trans-albina, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, tres Epiſcopatus conſtruximus, allodiis, reditibus menſæ noſtræ dotavimus, inſuper ea, quam gladio & arcu noſtro quæſivimus, hereditate ampliavimus. Prærogativam quoque totius Eccleſiaſticæ libertatis juxta formam ſanctorum canonum, & leges Impp. tam eccleſiis, quam eccleſiaſticis perſonis, Deo ibidem ſervientibus, noſtræ auctoritatis edicto firmavimus, & banno Apoſtolicorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, corroborari fecimus. Ex quibus Epiſcopatum Suerinenſem, quem poſtremo omnium conſecrari & dedicari in honorem Domini noſtri JESU CHRISTI & ſanctæ DEI genetricis Mariæ & Johannis Evangeliſtæ fecimus trecentis manſis ac duabus curiis allodii noſtri dotavimus, &c. Diploma datum eſt 8. Idus Septembris in dedicatione eccleſiæ Suerinenſis, anno dominicæ incarnationis M. C. LXX. Indict. IV: Vide hic ſtudium amplificandæ religionis: vide potentiam & felicitatem Leonis contra Slavos, quam etiam prædicat Robertus de Monte, Gallus, continuator Sigeberti Gemblacenſis: Sed ad rem.

1. Ludolfo Wendeno non ſufficiebat, extruendo monaſterio incubuiſſe, alioſque ad locupletandum illud invitaſſe: Sed & valedicens rebus mundanis totum ſe religioni tradidit, depoſitiſque in altari primario, Mariæ ſemper virgini ſacro, armis quibus uſus erat, veſtem ſacram, quam Theodomaro Abbate Caſſinenſe teſte, Gallicani monachi cucullam, Itali cappam, nonnulli Melotem appellabant, ex Abbatis manu ſumtam induit; & deinceps inter monachos ſecundum diſciplinam & præſcriptum regulæ, quam vocant, vitam egit rigidam & ſeveram.

2. Roberto defuncto ſucceſſit CONRADUS I. natione Suevus, ut habet Helmoldus Buzovienſis, Chronici Slavorum lib. II. cap. I. Albertus Stadenſis ad annum M. C. LIV. & alii. Nam Albertus Crancius in metropoli libro VI. cap. XXXIIX. & XLIII. varians Bavarum facit. Huic erat frater germanus Geroldus, qui Brunſuigæ in fano SS. Petri & Paulli, quod anno M. C. XXX. extructum & annis ſequentibus à Leone amplificatum Sanblaſianum dici cœpit, Canonicum, adjunctæque ſcholæ magiſtrum agebat. Is quietis amans cum intueretur fratris ſui Conradi quoſque ille ſecum habebat, monachorum ſtudia, diſciplinam, vitamque laudabilem, totus in eo erat, ut monaſterium illud ingrederetur, habitumque Ciſtercienſium adſumeret. Verum aliter Deo viſum fuit: Nam Vicelino, ſanctiſſimo Epiſcopo, defuncto, ad Epiſcopatum Lubecenſem, qui tunc adhuc Aldenburgenſis dicebatur, evocatur: Fecitque deinceps, ſede Lubecam translata, diœceſi nomen illud, quod adhuc retinet. Initio regiminis cum conſecrationis cauſſa Hartvicum Bremenſem Antiſtitem, Metropolitanum, acceſſiſſet, illumque præter opinionem duriorem inveniret, intercedente & procurante Henrico Leone, quem in Italiam ſecutus erat, Romæ ab Adriano IV. conſecratur: Quod apud metropolitanum majorem ei invidiam conflavit. Quo ut placatiore uteretur, aſſumto ſecum Conrado germano, Riddagshuſenſi archimandrita, cujus apud vicinos magna erat exiſtimatio, denuo Bremam proficiſcitur. Placato utcunque Metropolitano Geroldus muneris ſui ſatagens in Wagriam abiit, ac deinde in Obotritarum, (nunc Megapolenſes dicuntur) regionem utrobique Paganis Evangelium de Chriſto prædicans, lucoſque eorum Idololatricos, & delubra portentoſis deaſtris conſecrata, ſuccidens & ſubvertens: Cujus itineris fratrem, quem dixi, comitem, & in negocio religioſo παραςάτῃ habuit fideliſſimum. Demortuo poſt aliquot annos primo hoc Lubecenſi Antiſtite, quod factum eſt an. M. C. LXIII. Canonici de alio ei ſurrogando deliberabant quidem, ſed quod Henricus Leo, in Bavariam profectus, abeſſet, electionem ſuſpendebant. Norant enim quid nuper Geroldus Aldenburgenſis, Evermodus Raceburgenſis, & Berno Megapolenſis Epiſcopi, Leone urgente, in ſe recepiſſent, nempe ut ipſi, & eorum ſucceſſores, applicarentur ei per homagii exhibitionem, ſicut mos eſt fieri Imperatori. Et hujus ſui juris, quod non ſine ſudore & ſanguine à Cæſare Friderico impetrarat, Leo valde tenax erat. Privilegium ut plenius cognoſcat lector, adſcribam verba Helmoldi lib. I. cap. LXXX. *Facta*

poſtu.

poſtulatione obtinuit (Henricus Leo) *apud Cæſarem auctoritatem Epiſcopatus ſuſcitare,*
dare & confirmare in omni terra Slavorum, quam vel ipſe, vel progenitores ſui ſubjuga-
verint in clypeo & jure belli. Rebus in Bavaria compoſitis rediit in Saxoniam Dux,
atque ibi de morte Geroldi inaudivit. Convocato igitur clero Lubecenſi Pontificem
eis dedit Conradum Abbatem Riddagshuſanum, è ſchola ſua invitum & reluctantem
evocatum. Factum hoc eſt menſe Januario anni M. C. LXIV. Paucis poſt diebus or-
ta eſt tempeſtas horribilis, viſæ ventorum procellæ, fulgurum coruſcationes & toni-
trua, jactusque fulminum: Quibus ædes multæ, partim incenſæ, partim ſubverſæ ſunt.
Secutus cataclyſmus, intumeſcente mari Oceano, Albi ac Viſurgi fluminibus, & in a-
gros campeſtres, terrasque planas ſeſe effundentibus: quæ inundatio multa homi-
num millia abſtulit: ne quid de jumentis ſubmerſis dicam. De his inundationibus
atque effluxibus nota eſt vox Spiritus S. Apocal. 17. *Aquæ multæ, populi multi.* Nec
effuſas unquam impune intumuiſſe aquas, aut fruſtra ventos inſolentiore tumultu in-
crepitaſſe, ſuis nullæ non gentes experimentis, moxque inſecuris cladibus didicerunt.
Quid Leoni, & per ejus calamitatem univerſæ Saxoniæ evenerit, notum eſt ex annali-
bus: præſignificata iſta mala eſſe tam horribili diluvio, nullum eſt dubium. Verum
ad ſeriem hiſtoriæ regrediamur. Conradum ex Abbate Epiſcopum factum, & Lube-
cam à Leone miſſum, ægerrime ferebant, tam Hartvicus Bremenſis archiepiſcopus,
metropolitanus, homo elati animi & non ſine cauſſa Magni nomen adeptus, (ut indi-
cat Arnoldus Lubecenſis Helmoldi continuator) quam clerus Lubecenſis. Sed quid
facerent? formidabilis erat principis animoſi potentia, & adverſus Slavos, gentem
intractabilem, & ſubinde à fide Chriſtiana deſciſcentem, ſine hoc patrono & defenſo-
re tuti eſſe non poterant. Proſopographiam Conradi habet Helmoldus talem: *Pol-*
lebat literatura, facundia, affabilitate, largitate, multis denique donis, quibus dignam per-
ſonam ſuper veſtiri decorum eſt Sed pulcram viri ſuperficiem deformabat inſanabilis, ut
ita dicam, impetigo, mobilitas animi & facilitas verborum, quæ nunquam in eo perſiſtebat,
nihil ex conſilio faciens, incertus in promiſſis, extraneos diligens, ſuos faſtidiens. lib. II.
cap. I. quæ ex parte repetit Crancius lib. VI. cap. XLIII. Metrop.

Tempore Conradi Abbatis, Divus Bernhardus Burgundus, primum Ciſterti-
enſis, deinde Clarevallenſis, in ditione Ligonenſi, Abbas, vitam cum morte commu-
tavit, anno ætatis LXIII. quem vulgo clymactericum magnum vocant: Græcis, ut
Firmicus annotat, effractor dictus eſt, quod humanam frangat debilitetque ſubſtan-
tiam. Ab hoc Bernhardo Ciſtertienſes monachi Bernhardini dici cœperunt: manſit
tamen utraque appellatio. Annus obitus eſt à nato Chriſto M. C. LIII. quo tempore
hujus familiæ Bernhardinæ, ſive malis Ciſtertienſis, numerabantur monaſteria C. &
LX. Inter ea apud nos erant Amelungsbornenſe, Mariævallenſe, Riddagshuſanum,
& his antiquius Walkenredenſe, quod cœpit anno M. C. XXVII. auſpice Ducis Brun-
ſuicenſis ſubdito & vaſallo, Volcmaro Comite Lauterbergio & Clettenbergio, in cu-
jus matrimonio erat Adelheidis filia Ludovici Comitis de Lohra.

3 Conradum Lubecam translatum excepit REINERUS, ut teſtantur Faſti Hil-
deſienſes, quos hic ſequor: præfuit uſque ad annum M.C.LXIIX. quo obiit.

4 SIGEBODO eligitur anno eodem. Hujus tempore Henricus Leo Religione
tactus, inſtituit iter in Palæſtinam, cum paullo ante repudiata propter conſanguitatem
priore, alteram conjugem duxiſſet Mechtildin Henrici Anglorum regis filiam. Co-
mites ejus itineris habuit ex eccleſiaſticis hominibus, Conradum Epiſcopum Lube-
cenſem, Henricum Sanctægidianum apud Brunſuicenſes & Bertholdum ad Lunæbur-
gum S. Michaëlis, Abbates. Inter politicos primi erant, Hojerus Mansfeldius, Gun-
celinus Suerinenſis & Sigfridus Blancoburgius, Comites. In hoc itinere mortuus
eſt Conradus Epiſcopus, in urbe Sur ſive Surs, olim Tyrus dicta, ſepulturæ decenter
& honorifice ibidem traditus. Leone poſt annum elapſum, ad ſuos reverſo, Canonici
Lubecenſes, qui hactenus rumori de Pontificis ſui morte fidem tribuere noluerant,
nunc vero certum eſſe edocti, ad Leonem Lunæburgi agentem acceſſerunt, & ab eo
precibus ita, ut nihil magis contenderunt, ut Henricum Sanctægidianum Abbatem,
Epiſcopum ipſis, pro Conrado, tribuere non dedignaretur. Princeps, qualis Abbas
ille eſſet, quam prudens, quam religioſus, quamque facundus ſacrarum litterarum in-
terpres, multis verbis prædicabat, ideoque ſe invite ipſum, cujus opera ægre careret,
dimit-

dimittere teſtabatur: addebat tamen, nolle ſe divinæ voluntati repugnare, eorumque commodis, quæ ab hoc viro habituri eſſent, deeſſe: Ipſi eum vocarent, ac honorem, reverentiam & ſubjectionem, prout dignus eſſet, ipſi tribuerent. Impetrato Principis aſſenſu, legati, (erant hi Odo Decanus, Arnoldus Cuſtos, Henricus Præpoſitus) Brunſuigam perrexerunt, ibique in domo capitulari monaſterii, præſente Sigebodone Riddagshuſano Abbate, quod à ſuis juſſi erant, Henrico Sanctægidiano abbati expoſuerunt. Teſtis hujus rei Arnoldus Lubecenſis continuator Helmoldi lib. II. cap. IIXX. Erat Henricus ut id ſubjungam, Belga, natus Bruxellis in Brabantia, vir ad miraculum doctus: cujus rei δεῖγμα eſt apud Arnoldum Lubecenſem libri, quem diximus, cap. V. de ſcriptis ejus meminit Crancius lib. VII. cap. II. Metrop. Atque hoc loco nobis in mentem veniat, quamobrem olim tanto numero, tantisque ſumptibus & impenſis paſſim exſtructa & locupletata ſint cœnobia: nempe ut in illis juventus ad ſuſpiciendam vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ gubernationem, pie fideliterque erudiri & inſtitui poſſet; quod etiam factum eſſe mediæ ætatis hiſtoriæ perſpicue indicant. De Conrado & Henrico Epiſcopis Lubecenſibus, ex noſtratibus cœnobiis ad id honoris & oneris culmen evocatis, atque hoc propter eruditionem doctrinæ cum pietate conjunctam, nihil dico, ne prius dicta faſtidioſe repetam: unum adjicio, Corbeiam Imperiale prope Hoxariam in Weſtvalia cœnobium, dediſſe olim Epiſcopatui Bremenſi Antiſtites quinque, Anſcharium, Rembertum, Adelgarium, Hogerum & VVinnonem: Hildeſienſi Alfridum & Walbertum: Halberſtadenſi Evilpum: Monaſterienſi Sigfridum: Pragenſi Thiadagum: Oſnaburgenſi Marquardum: Spirenſi Arnolfum: Mindenſi Wilbrandum: Paderbornenſi Bernhardum: Verdenſi Brunonem, &c. Sed audiamus Tritheimum de hac re ita diſſerentem in Chronico Hirſaugienſi ad annum D.CCC.XC. *Erat*, inquit, *his temporibus in monaſteriis hæc conſuetudo celeberrima, ut ſcholæ monachorum in ſingulis pene cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi: qui non ſolum in divinis ſcripturis docti eſſent, verum etiam in Mathematica, Geometria, Muſica, Poeſi & cæteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientiis eruditisſimi haberentur. Ex his multi non ſolum in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritisſimi, quod ex eorum opuſculis facile dignoſcitur.* Et paullo poſt: *Multi ex monachis propter ſcientiam literarum incomparabilem ad Epiſcopatus honorem ſublimati ſunt, qui ordinem ſuum vita & doctrina mirabiliter illuſtrarunt.* Verum redeo ad propoſitum: Erat id temporis pax in univerſa Saxonia, tranquillatis nuper auctoritate Friderici Cæſaris diſſidentium Principum animis. Hac occaſione uſus Leo de Brunſuiga urbe ſua hereditaria (Crancius peculium ejus dicit) amplianda & ornanda conſilium cepit. Ejus partem, quæ Haga dicitur, muro & foſſis cinxit: addidit deinde fanum Divæ Catharinæ ſacrum, cum prius in iſta planicie partim paludes & loca paſcua, partim vepreta inacceſſa & impedita: rara vero ædificia & in his ædicula ſacra Templariis nuper tributa conſpicerentur. Immigrantibus ſenſim in novum iſtud opidum colonis Brunſuiga facta eſt Tripolis. Palatium, quod Duces Saxoniæ ibidem habebant, pro captu veteris Germaniæ exſtructum, anguſtius erat, ideoque minus commodum, quam tanti principis familia exigeret. Idem de templo primario, cujus meminimus ſupra querebantur Canonici. Leo utrumque ædificium alacri magnoque animo demolitus, operarios, quantum opus, conduxit, ut ſimul utrique ædificio extruendo operam darent. Palatio abſoluto addita eſt ædes ſacra, ne quid aulæ ad privatum pietatis cultum deeſſet. Templum primarium, & amplius quam antea fuerat, & duabus turribus firmiſſimis conſpectius redditum eſt. Abſolutis iſtis ædificiis Princeps Hildeſia evocavit Epiſcopum Hermannum, in cujus diœceſi hæc urbis pars erat, ut novo templo ſolenniter inaugurato patronos daret tutelares. Hi erant Johannes Baptiſta, & Divus Blaſius Epiſcopus Sebaſtiæ Cappadocum. Facta ſunt hæc anno M.C.LXXII. præſentibus ex univerſo Ducatu plærisque omnibus proceribus Eccleſiaſticis, & in his præſule Riddasghuſano Sigebodone. Qui biennio ante quam naturæ ſatisfecit, cum prius gurgitem illum malorum aſpexiſſet funeſtiſſimum: Leonis proſcriptionem, exſilium, patriarumque ditionum vaſtationem ac denique diſtractionem, finem vidit controverſiæ iſtius veteris, quæ Riddagshuſanis erat cum Huiesburgio diœceſis Halberſtadenſis cœnobio perantiquo. Res hæc ita ſe habebat.

Inter cæteros quos ex Eccleſiaſticis proceribus æmulos & adverſarios experiebatur
Henricus Leo non poſtremus erat Ulricus Halberſtadius Antiſtes, homo inquieti
ingenii & novarum rerum ſtudioſus. Is hoc tempore non tantum Leoni inviſus erat,
verum monarchas orbis Chriſtiani Pontificem & Imperatorem, æque infenſos habe-
bat. Victor Papa propterea iraſcebatur ei, quod cum Alexandro, cui oppoſitus erat,
apertè faceret. Imperatorem eo offenderat, quod tributum, Cæſari expeditionem
Italicam ſuſcipienti, debitum, non perſolviſſet: qua eadem culpa tenebatur Hartvicus
Bremenſis archiepiſcopus, qui juſſus Cæſarem in Italiam ſubſequi, neque hoc fecerat,
neque de ſumtibus ei providerat. Uterque igitur de majeſtate damnatus, & prædia
eorum ac poſſeſſiones fiſco Imperiali applicatæ ſunt. Halberſtadius etiam ab Ever-
hardo Cardinali, Pontificis legato, anathemate percuſſus Epiſcopatu privatus eſt. Ab-
erat ille hoc tempore domo, religionis ergo una cum Alberto Marchione Branden-
burgio, aliiſque dynaſtis in Palæſtinam profectus. Dedit igitur operam Leo, ut in ho-
ſtis ſui Ulrici locum ſubſtitueretur Gero, primarii templi Præpoſitus, quem ex illuſtri
Dominorum Scermbecenſium familia natum invenio. Acta ſunt hæc anno M.C.LX.
Gero novus Epiſcopus ab Hartvico Bremenſe conſecratus, à Victore Pontifice feren-
di pallii dignitatem accepit, anno M.C.LXI. fuitque in Epiſcopatu annis XVII. Hu-
jus Geronis tempore Sigebodo abbas aliquot agri manſos: Nendorfii & alibi ſitos,
emerat ab Ottone abbate Hujesburgio. Reſtituto vero in Epiſcopatum ſuum Ulrico,
& Gerone ejecto, quod Arnoldus Lubecenſis lib. II. cap. XXII. annotat factum anno
M.C.LXXVII. Reinboldus Hujesburgius, Ottonis ſucceſſor, contractum, qui legi-
timo exulante, à Pſeudo epiſcopo confirmatus eſſet, reſcindere conabatur: id quod
iniquiſſimum cenſebant Riddagshuſani: Theodoricus igitur Antiſtes Halberſtadius,
Ulrici ſucceſſor, ex antiqua & nobili familia Dynaſtarum Croſicenſium originem du-
cens, qui utrique cœnobio æque bene volebat, rem eo deduxit, ut Reinboldus accepta
adhuc aliqua pecuniæ ſumma agros Riddagshuſanis relinqueret. Huic compoſitio-
ni adfuere ex hominibus eccleſiaſticis Theodoricus Ilſenburgenſis, Everhardus Mi-
chelſteinenſis, Abbates: Hermannus Hamerslebienſis, Henricus Hadmerslebienſis,
& Hunoldus Trubicenſis, Præpoſiti, Borchardus ex Comitibus Slademiis Canonicus
Halberſtadenſis. Politici, Sigfridus Arneburgius, Wernerus à Suſelitz, Fridericus
Reinſteinius, Comites, anno Chriſti, M.C.XC. ordinationis Epiſcopi Theodorici
VII. Eſt autem Hujusburgum, ſi quis & hoc ſcire deſiderat, opulentum inſtituti Be-
nedictini cœnobium, conditum à Burchardo, ſive Buccone, Halberſtadienſi Epiſcopo
XII. Henrici IV. Imp. hoſte acerrimo: cujus rebellionis quam atroces dederit pœ-
nas, miſerrime Goſlarii à plebe tumultuante interemptus, alibi legi poteſt.

Iisdem temporibus ille, ſæpe à nobis laudatus Saxonum Princeps Henricus Leo,
cœnobio Ilfeldenſi in agro territorioque ſuo Honſteinico fundando autoritatem præ-
buit & nervos. Quam rem à præſtante vitæque ſanctimonia nec non eruditione &
ſacrarum inprimis linguarum peritia inſigni cœnobii ejusdem Antiſtite M. Michaële
Nëandro fideliter annotatam breviter hic recenſere viſum eſt. Eminebat in ſylva
Hercynia ſupra eam, quæ etiamnum Ilfelda dicitur, planiciem, non admodum qui-
dem illam amplam, caſtrum, cujus rudera ibidem adhuc extant, Ilburga. Ejus poſ-
ſeſſor, Ducis Brunſuicenſis Henrici Leonis ſubditus & vaſallus, Iligerus, pro religioſi
ſeculi iſtius devotione in præfata illa planitie lampadem lapideam cum candela perpe-
tua, ſive, ut Poeta loquitur, vigili igni, extruendam curarat, ut tum familiam aulicam,
tum cæteros, qui tum cædendis lignis, tum paſcendis pecoribus die noctuque iſtic lo-
corum occupari & tranſire ſolerent, æterni gentium luminis Dei & ſemper virginis
Mariæ filii JESU CHRISTI adorandi atque invocandi admoneret. Ejusdem quidem
hodie ibidem lampadis ſaxa in cœmiterio ſuo adhuc loco integra extant. Fiebat au-
tem, ut quidam quietis & pietatis amantes viri ex vicinis in eam ſe conferrent ſolitudi-
nem, ibidemque pro re nata caſas extruerent, & reliquum vitæ precibus & ſtudiis ſa-
crarum litterarum impenderent, benignum & liberalem experti patronum Dn. il-
lum Iligerum. Hic ubi deceſſiſſet, ejusdem, patri cognominis filius non minori ſoli-
tarios illos benignitate complectebatur, & ferveſcente ibidem indies rerum ſacrarum
ſtudio ad loci dominum, Principem ſuum clementiſſimum, Henricum Leonem, ſub-
miſſe rem deferebat, deque fundando ibidem in honorem & obſequium Dei cœnobio

deli-

deliberationes ſuas oſtendebat. Obtinuit igitur tandem alter hic Iligerus, ut rerum ſacrarum evehendarum atque locupletandarum ſtudioſiſſimus Princeps apertum ſibi per ultimi tunc Comitis Honſteinenſis obitum Honſteinenſe dominium & caſtrum ipſi, ipſiusque itidem patri cognomini filio & maſculis heredibus cæteris, ea conditione in feudum concederet, ut Ilburgenſis viciſſim Dominio & caſtro reſignato, novisque Ilfeldæ monachis tradito, Eccleſiam ibidem ſtatim in honorem ſempervirginis Mariæ exædificaret. Eam fundationem referunt hujus monaſterii monumenta in annum M. C. XC. A quo tempore Dominis Ilburgenſibus Henricus Leo ampliorem quidem, Comitum ſcilicet de Honſtein conceſſit titulum, ſed priorem illum de Ilburg, ne quid olim cœnobio inde præjudicii exiſteret, plane ademit. Quæ equidem, cum aliorum faſti & chronica obſcuriora plærumq;, & cœnobium tamen hoc noſtratium haud quaquam poſtremum ſit, brevibus indicare volui, ad noſtros jam Riddagshuſanos revertens.

5. BERTRAMUS Sigebodoni defuncto ſucceſſit anno M C XXCVII. Ipſo præſidente obiit Brunſvigæ in aulâ ſuâ hereditariâ fortiſſimus & magnanimus Princeps Henricus Leo, quondam Saxoniæ utriusque & Bavariæ Dux, nunc agri Brunſvicenſis & Lunæburgici, terrarumque ad Viſurgim & Göttingiæ Dominus, cùm ærumnoſæ vitæ annos compleviſſet ſexaginta ſex, ſicut habet vetus Chronicon Saxonicum MS rithmis contextum, & cum eo ex amuſſim conſpirans narratio Gerhardi Præpoſiti Stederburgenſis de Henrico Leone, nuper à me evulgata. Vulgò ei tribuuntur anni vitæ LIX. Sed perperam. Epitaphium habet ibidem in templo Sanblaſiano, quod cùm à nemine quoquam ante me rectè lectum & intellectum fuerit, quemadmodum illud anno M D LXXIIX. exſcripſi, & ſequentibus annis ad Davidem Chytræum Chronologiæ recudendæ correctius inſerendum miſi, hîc ſubjiciam.

Hic jacet Henricus quondam Dux, conditor hujus
Eccleſiæ dignus, nobilitate pius.
Moribus ornata ſibi conjunx eſt ſociata,
Pauperibus larga, ſimplicitate bona,
Inclyta Mechtildis Anglorum filia Regis:
Nutriat angelicis hos Deus ipſe cibis.
Adjacet optatus Rex horum ſanguine natus,
Otto coronatus vermibus eſca datus.
Hujus erat Sponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis antè roſa.
Qui legis hæc metra memor horum ſis peto, penſa,
Quid caro, quid vita, quid res, niſi mors, cinis, umbra.

Penultimus hujus epitaphii verſus nonnihil exercuit lectores, aliis aliter eum legentibus, quod ex Camerarii ſucciſivar. meditat. parte primâ cap. XII. & Chronologia Chytræi anno M D LXXXVI. edita apparet. Propter hanc legendi difficultatem Büntingius in Chron. Brunſvicenſi poſterius diſtichon planè omiſit. Obiit Leo An. MCXCV. VI. Auguſti, quem Bertramus ſecutus eſt MCXCIIX. XXV. Martii.

6. WILBERNUS. Parum abfuit, quin hic è memoria hominum ſublatus fuiſſet. Nulla ejus in monaſterii antiquitatibus mentio: neque alibi mihi occurrit. Vitam debet nunquam ſatis laudato collegio Sanblaſiano apud Brunſvigam in cujus archivo repertum mecumque communicatum fuit inſtrumentum, quo Wilbernus Abbas Riddagshuſanus teſtatur, monaſterio ſuo fuiſſe controverſiam cum Canonicis Sanblaſianis ſuper commutatione prædiorum quorundam inter utroſque facta. Eam litem refert à diſcretis quibusdam hominibus æquis conditionibus compoſitam. Verba inſtrumenti produnt animum hominis religioſum paciſque & concordiæ amantem. Sed partem libet ſubjungere. *In nomine S. & individuæ Trinitatis. Wilbernus DEI gratia cœnobii S. Mariæ in Riddagshuſen humilis Abbas cum totius ſui conventus unanimitate. Ratio ſuadet, hortatur religio, & veræ pacis auctor & amator Chriſtus admonet, ut ſi quid inter eccleſias, ſive eccleſiaſticas perſonas, controverſiæ ſive rancoris emerſerit, in Spiritu concordiæ, & ſincero caritatis vinculo*

 con-

concordi ſtudio pacis reformetur, & omnis diſſenſionis complanato ſcrupulo ab univerſis fidelibus pacis idemptitas inviolabiliter perpetuò conſervetur. Noverint itaque tàm præſentes, quàm futuri, quòd inter eccleſias beati Blaſii in Bruneſvic & noſtram diutina vertebatur controverſia ſuper commutatione concrambii, quod inter ipſas aliquando de quibusdam prædiis contractum fuerat. Verum quia omnis lis controverſiæ fomes, & nutrimentum ſolet eſſe diſcordiæ, quæ caritatis inimica à religione quàm maximè diſcrepare dinoſcitur, communicato maturiori conſilio diſcretorum virorum utriq; eccleſiæ conſultum nobis viſum eſt æquum & ſalutare, quatenus mediante amicabilis compoſitionis transactione omnis controverſiæ illius querimonia ad integrum ſopiretur, quod & Dei gratiâ factum eſt hoc tenore, &c. Annus adſcriptus erat M C XCIIX. Hujus inſtrumenti beneficio Wilbernum abbatem in priore Chronici editione præteritum, ab oblivione vindicare potuimus.

Oriebatur hoc tempore in Germania bellum civile, principibus Imperii de novi Romanorum regis electione diſcordantibus. Horum quidam Ottonem, Henrici Leonis F. è Galliis, ubi Comitatum Pictavienſem poſſidebat, accerſitum, Cæſarem deſignabant. Alii Philippo Duci Sveviæ, Henrici VI. Imp. defuncti filio ſuffragabantur. Otto Cæſar ſub initium gubernationis ſuæ Riddagshuſium in protectionem recepit, eique quàm diu vixit benevoluit & fecit. Exhibitum mihi eſt diploma ejus, quod integrum adſcribam. *Otto quartus Romanorum rex & ſemper Auguſtus. Ad hoc nos divinitate propitiâ ad faſtigium regalis dignitatis credimus eſſe promotos, ut eccleſias DEI gladio acceptæ poteſtatis à violentorum oppreſſione defenſando tueamur: eas præſertim, quas ſub patronatu & defenſione piæ memoriæ patris noſtri poſitas arctius & familiarius nobis conſtat eſſe obligatas. Unde nos univerſitati fidelium conſtare volumus, quòd nos dilectum noſtrum cœnobium in Riddagshuſen ſub defenſionis noſtræ patrocinium ſuſcipientes, regali auctoritate noſtrâ diſtrictè probibemus, ne aliquis ejuſdem cœnobii terminos in pratis, paſcuis & ſilvis invadere & imminuere, convellere, aut immutare præſumat. Quod ſi quis præſumſerit, gratiæ noſtræ offenſam ſe noverit incurſurum: quia omnes terminos, quos idem cœnobium ſub patris noſtri protectione quietè poſſedit, integros ei in perpetuum conſtare decrevimus. Porro ut hoc ratum & inconvulſum in poſterum perſeveret, præſentem paginam ſigilli noſtri impresſione juſſimus inſigniri & idoneorum teſtium ſubſcriptione corroborari. Quorum nomina hæc ſunt: Borchardus Præpoſitus de S. Blaſio, Walterus de Baldenſele, Conradus de Hagene, Balduinus advocatus, Baſilius de Oſterrode, Anno de Blankenborg. Actum ab incarnatione Domini M C XCIIX.*

Inſequenti anno Philippus deſignatus Rom. rex adverſarium ſuum oppugnaturus in Saxoniam cum exercitu deſcendit, cui ſuppetias veniens Ludolfus archiepiſcopus Magdeburgenſis, in itinere Helmæſtadium, abbatis Werdinenſis, qui unus ex Electoribus Ottonis fuerat, opidum, unà cum monaſterio Sanludgeriano igni crudeliter concremavit: Warbergam avitam Baronum ſedem & domicilium ſolo æquavit. Congregato univerſo exercitu Brunſviga obſidetur, oppugnatur, ſed fruſtra, oppidanis cum præſidiario milite fortiter pro patriâ dimicantibus. Erat in urbe Henricus Comes Palatinus, Ottonis frater, virtute bellica præſtans princeps, quem quòd ampliùs oppugnare nollent, quidam ex Imperii ordinibus Cæſarem in Saxoniam ſecuti, ex caſtris diſceſſerunt. Inde nata fabula de Divo Auctore Brunſvicenſium patrono, cujus ope penè divina hoſtis ab urbis obſidione abductus commemoratur.

7. AMELUNGUS. Veriſimile eſt Wilbernum non diu monaſterio ſuo præfuiſſe: etenim ad annum M CC II. fit mentio Amelungi. Vidit ille & indoluit continuari bellum illud domeſticum inter cognati ſanguinis principes, neque non ſuas expertus eſt in iſto turbine difficultates. Deceſſit, ut putatur, eo anno, quo Philippus Cæſar inſidiosè & crudeliter Papebergæ contrucidatus eſt, erat is M CCIIX.

8. BALDUINUS. Sublato æmulo, ut in Imperio ſe confirmaret Otto, ordinibus regni profectionem Italicam imperavit, quæ ut divinitus felicitaretur, erga eccleſiaſticos homines mirè liberalem largumque ſe exhibuit. Cumque intelligeret familiæ Ciſtertienſis Abbates (Græci ἀρχιμανδρίτας καὶ ἀββάνας vocarunt) numero quinquaginta duos Walkenredæ ad nemus Hercynium conveniſſe, ibique Synodum,

dum, ſive capitulum celebrare, iſthuc acceſſit, ſeque eorum precibus commendavit. Prælati honorificè exceptum, quod magni beneficii loco habebant, in fraternitatem ſuam (loquimur cum annalibus) receperunt, omniumque bonorum operum, quæ in ſacris familiæ Ciſtercienſis ædibus ſacris ſine intermiſſione peragerentur, quæque illis renumerationes cœleſtes indultæ eſſent, participem fecerunt. Walkenredenſis Antiſtes Henricus ordine quinctus, hoſpitem Imperatorem cum regiâ familiâ pro re nata luculente tractavit, quâ ſubmiſſâ veneratione & benevolentiâ delectatus ille, monaſterio in protectionem ſuam recepto, omnia, quibus gaudebat, privilegia confirmavit, atque à vectigalibus immune eſſe ſancivit. Conventui monachorum è noſtratibus præter alios interfuerunt Conradus Michelſteinenſis & Balduinus Riddagshuſanus, qui octennio pòſt XIIX. Febr. ex hac vitâ emigravit.

9. CONRADUS, ejus nominis alter vir doctus, facundus & religioſus, Balduino anno M CC XVI. defuncto ſucceſſit. Ottonem Imperatorem patronum expertus eſt admodum liberalem. Eo ipſo anno, quo gubernationi monaſticæ præfectus eſt, bona nonnulla à Cæſare impetravit, quod diploma, cujus partem ſubjungam, teſtatum facit. *Dei gratia Otto quartus Romanor. Imp. & ſemper Auguſtus. Sancta quidem & Domino placens Ciſtercienſis ordinis religio fidelium omnium veneratione digna, noſtris tanto devotius eſt curanda ſubſidiis, quantò nobis excelſiorem inter homines contulit divina gratia poteſtatem. Piam igitur circa omnia illius ordinis monaſteria voluntatem habentes, dilectiſſimam nobis eccleſiam in Riddagshuſen bonum & ſalubre propoſitum noſtrum cupimus in effectum operè proficiſci, quoties nobis oportunitatem adeptis competenter eam ſuppetiverit promovere.* Et paulòpoſt: *Hæc autem facta ſunt atteſtantibus fidelibus noſtris, Guncelino Imperialis aulæ Dapifero. Willekino Marſchalco, Olrico Advocato Goslarienſi, Bernhardo de Wolferbutle, Cæſario Advocato de Quedelinborg. Tiderico de Werbene & Joanne de Bornem. Acta ſunt hæc ab incarnatione Domini M CC XVI. anno regni noſtri XIIX. Imperij VI. Indict. IV. VI. Idus Maij.* Verum Conradus Abbas iſto optimi Cæſaris patrocinio non diu uti potuit: nam biennio poſt anno videlicet M. CC. XIIX. obiit Otto Imp. XIX. Maji ut Albertus Abbas Stadenſis annotavit, cui antiquitates Sanblaſianæ ſuffragantur. Teſtamentum condidit pridie, in quo multa religioſe conſtituit. Fuit Otto Imp. princeps φιλήσυχος καὶ δραστήριος, litteratus & erga ordinem eccleſiaſticum ſumme beneficus, cujus rei infinita vidi indicia in antiquis diplomatis. Demiror autem, cur laudatiſſimum hunc principem Cuſpinianus, ſcriptor alias non vanus, neque proletarius, ſuperbiæ adeo inſimulet, ut eam ſolam cauſſam fuiſſe dicat, cur Imperio exciderit. Sane longe aliter ſe res habent, & Ottonem non ſuperbia evertit, ſed fides data Imperio, & uſque ad extremum halitum religioſe ſervata. Pontifices Romani ſuperiorum temporum indulgentia Cæſarum abuſi, multa reipublicæ eripuerant bona, quæ partim ipſi tenebant, partim aliis tradiderant, ut ne deeſſent clientes à quibus ſaginati ipſi & ocioſi, ſicubi vis aliqua ingrueret, defenderentur. Hanc poſſeſſionum Imperii, alias ſatis exhauſti, diminutionem, cordatus ac Germanici Spiritus Princeps, ferre noluit quippe, qui intelligeret, hac occaſione Cæſarum potentiam inciſis nervis debilitari: Pontificum vero ambitionem & laſcivam petulantiam acceſſione ſuperfluarum opum inconſulte improvideque augeri. Tenebat hoc tempore in Italia Pontifex Romandiolam, Tuſciam & Marchiam Anconitanam, indubitatas Romani Imperii provincias, nuper ab anicula ſuperſtitioſa Mechtilda, Bonifacii præpotentis marchionis filia & hærede, inuſitato pravoque exemplo contra Auguſtorum voluntatem ſedi Apoſtolicæ, quam vocant, teſtamento aſſignatas. Imperator Otto de jure ſuo à legis peritis & præſidibus edoctus, quæ Reipublicæ erant, amice primum, cum negarentur armis repetebat, ſuæque ditionis faciebat omnia. Id Papam Innocentium nocentiſſimum tantopere offendebat, ut hoc nomine optimum principem anathemate feriret adeoque de Imperio deturbaret. Qua in re operam ei navarunt fidelem Sigfridus Moguntinus & Albertus Magdeburgenſes archiepiſcopi, injurioſum illud Væjovis tranſalpini fulmen in Germania publicantes. Sed pro Ottone Imp. contra calumnias maleferiatorum quorundam ſcriptorum ſuo tempore animoſe depugnabimus.

Innotuerat Romanæ ſedi, Conradus Riddagshuſanus præſul ideòque ei ſubinde demandata negocia. Ex multis unum referam: In cœnobio San-Petrino (vulgo

Lauterbergum vocant) prope Halim Saxonicam, inter Præpoſitum & reliquum monachorum cœtum diſſenſiones flagrabant acerrimæ, hominibus religioſis indignæ, ortæ ex moribus Præpoſiti Theodorici perverſiſſimis, quibus ille totum monaſterium pene evertebat. Vicini Antiſtites & archimandritæ incendium hoc reſtinguere conabantur certatim: ſed fruſtra: ea erat irreligioſi hominis pertinax malitia. Negocio ad curiam Romanam delato, Pontifex Honorius III. mandavit Friderico Walkenredenſi, Conrado Riddagshuſenſi & Theodorico Michelſteinenſi, abbatibus, darent operam, ut audita coram utraque parte, controverſiisq; ligitioſis exacte cognitis, diſſenſioni ſcandaloſæ finis imponeretur, & quæ ex uſu collabentis monaſterii eſſent, mature & prudenter ordinarentur. Impediebatur domeſticis negociis Riddagshuſanus, quo minus eo iret: verum quod collegæ duo viri experientes faciendum ſtatuendumque putarent, id ſe ratum habiturum, miſſis literis teſtatus eſt. Anno igitur M. CC. XX. Walkenredanus & Michelſteinenſis abbates ad montem San-Petrinum profecti ſunt, adhibitisque nonnullis aliis viris religioſis, utroſque tam Præpoſitum, quam ejus adverſarios audiverunt. Res erant perplexæ & difficiles, ex levibus cauſſis orto incendio nocentiſſimo: viſum fuit Patribus animos exulceratos placare & ſancita ἀμνηστίᾳ diſſidentes ad concordiam reducere. Formulâ pacificationis in Chronico San-Petrino manuſcripto, quod mecum communicavit vir nobilis & conſultiſſimus Marquardus Freherus, Conſiliarius Palatinus, quem honoris & neceſſitudinis ergo nomino, talis recitatur: *Fridericus Dei gratia de Walkenrede, Conradus Riddagshuſen, & Theodoricus de lapide S. Michaëlis, Abbates, univerſis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, notum eſſe volumus, quod cum à ſummo Pontifice acceperimus in mandatis, ut ad reformandum ſtatum Eccleſiæ Sereni-montis ſuper quibusdam articulis, de Præpoſito ejusdem Eccleſiæ à ſuis ſubditis ipſius auribus intimatis, inquireremus diligentius veritatem, ad locum ipſum accedentes, partes, ut ad bonum pacis redirent, multipliciter hortabamur: quæ tandem ſe poſt allegationes multimodas, Philippi Novi operis, in Hallis, & Werneri in Lipzke Præpoſitorum Henrici monachi in Walkenrede & Alberti montis-Sereni canonici regularis arbitrio ſubmiſerunt, tam in noſtras, quam ipſorum arbitrorum manus, fideliter promittentes, vel quod omnes, vel eorum tres partibus præciperent obſervandum ipſi modis omnibus, adimplerent, nobis nihilominus hac auctoritate conceſſa, ut per cenſuram eccleſiaſticam compeſceremus, ſi qua partium eorum ſtatutis præſumeret obviare. Nos igitur, ut in negocio liberius poſſent procedere arbitri memorati, excommunicationis vinculis innodavimus partem, quæ eorum arbitrio auſu temerario contrairet. Forma igitur arbitrii hæc: Dominus Tidericus Præpoſitus Sereni montis quos ſe dicit excommunicaſſe ad abundantem cautelam in continenti debent abſolvi ſine pœna. Reliquum arbitrii, Dominis delegatis & eorum fratribus, & hujus Eccleſiæ conventu præſentibus, promulgabitur in capitulo, &c. Actum in monte-Sereno, anno Dominicæ incarnationis M.CC XX. Kal. Maji.* Lauterbergenſe cœnobium, ſive malis San-Petrinum, non procul à Salinis Saxonicis ſitum, monachos olim habuit Auguſtinianos, qui ſe regulares vocant. Is ordo poſt Benedictinos à rigore regulæ ſuæ deflectentes efflorefcens, ex Bavariæ cœnobio Raitenpuech in Saxoniam colonias deduxit, paſſimque nidificavit. Antiquiſſimum ejus inſtituti in Saxonia eſt monaſterium cui à Salinis nomen in ſuburbio Hildeſienſi orientem verſus conditum à Godehardo Epiſcopo MXXIV. Quod exceperunt Hamerslebienſe anno M. C. IIX. Novioperis prope Halim Saxonicam M. C. XVI. Richenbergenſe M. C. XVII. Schöningenſe M. C XX. Bacccrodanum non procul ab Hildeſia M. C. XXV. Obiit Conradus Riddagshuſanus Præſul anno M. CC. XXIV.

10. ARNOLDUS, ſuccedit eodem menſe, vir ſedatus, prudens & doctus. Tertio poſtquam cœpit anno, Otto cognomento puer, Henrici Leonis nepos, Dominus Luneburgi, (nam hoc titulo uſum, tam annales veteres, quam inſtrumenta teſtantur) ægre ferens, Brunſuigam majorum ſuorum urbem hereditariam, auguſtale etiam, ab extraneis injuſte detineri, de hoſte excludendo, ac urbe ſibi ſuisque vindicanda, cogitationes ſuſcepit, collectoque exercitu mediocri ex Riddagshuſio ad portam Vallerslebienſem noctu acceſſit, ubi â civibus hujus rei conſciis, funalibus exceptus & ad arcem deductus adjutusque, præſidium ex auguſtali totaque urbe profligavit. Plura de hac re Chronicon Saxonicum & ex eo annales urbis Colonienſis.

Bien-

Biennio poſt, nempe M. CC. XXIX. Riddagshuſanus Arnoldum abbatem Veteris-Campi, collegia ſuæ inſpectioni in hiſce Germaniæ oris ſubjecta viſitantem, hoſpitio excepit, pluribusque diebus ſecum habuit. Interfuit etiam dedicationi cœnobii monialium S. Crucis extra muros Brunſuicenſes tunc primum fundati, vel,ut quidam volunt, ab equeſtris ordinis viro Balduino à Campen inſtaurati, anno M. CC. XXX.

Hoc tempore Guncelinus de Wolfenbuttel, Imperialis aulæ Dapifer, cum tribus filiis Burchardo, Guncelino & Ecberto annuam ſibi memoriam in monaſterio Riddagshuſano comparat anno M. CC. XXXIV.

PARS FAMILIÆ.

Widekindus nobilis Dominus de Wolfenbuttel, Gertrudin Marchionis Ecberti, ejus nominis ſecundi, ſororem, ab Henrico 4. Imperatore patrimonio exſutam, à civibus Brunſuicenſibus adjutus, in integrum reſtituit, anno 1091. Crancius lib. 4. Sax. cap. 44. Meminit Widekindi Reinardus Epiſcopus Halberſtadenſis in quodam inſtrumento an. 1115.

Ludolfus patronus monaſterii Riddagshuſani vixit 1145.

Ecbertus adducitur teſtis in litteris Henrici Leonis anno 1160. Fuit eidem principi à conſiliis, qui cum in Palæſtinam proficiſceretur fidei ejus conjugem gravidam cum familia aulica commiſit, ſed redux infidum deprehendit graviterque punivit. Vide Arnoldum Lubecenſem lib. 2. cap. 2.

Guncelinus fuit Dapifer Ottonis 4. Imp. in diplomate adductus anno 1204. profectus eſt cum eodem in Italiam an. 1209. Adfuit præterea morienti, & in teſtamento nominatur 1218.

Borchardus ſepultus Riddagshuſii 1215.

Borchardus 1260. — *Ecbertus 1264.* — *Hermannus 1291. 1319.*

Ecbertus poſſidebat reditus ex teloneo Oldensloenſi in Holſatia anno 1237. Eos Senatus Hamburgenſis 200. marcis argenti comparatos Adolfo Comiti Schawenburgenſi donavit.

Burchardus 1240. — *Guncelinus 1240.*

Hi fratres fuere Advocati monaſterii Heningenſis.

Guncelinus. — *Beatrix monialis Dorſtadiana.* — *Borchardus.* — *Ecbertus 1260.*

Erat antiqua familiaritas abbati Arnoldo cum Ludolfo ſeniore, Comite Hallermundenſi, nata in Schola Hildeſienſi; ejus fructum tulit Riddagshuſium, aſſignatis ipſi bonis quibusdam, quæ Razzo de Urſen, equeſtris ordinis homo, à Comitibus Hallermundiis in feudum ſibi conceſſa tenuerat hactenus. Dynaſtia Hallermundenſis inter Saxonicas olim non poſtrema fuit, nunc territorium illud poſſident Duces Brunſuicenſes. Partem familiæ ſubjungam.

Wil-

Wilbrandus Senior anno Chriſti 1363. *fundavit monaſterium Luccenſe, in quo ſepultus eſt.*

N. nupſit N. Dynaſtæ Gemenſi

Lambertus dynaſta Gemenſis.

Burchardus in certamine equeſtri læſus paullo poſt expiravit.

Ludolfus profectus in Palæſtinam moritur Antiochiæ.

Wilbrandus moritur ex Palaſtina rediens.

Adelbeidis.

Ludolfus.

Beatrix nupſit Comiti Oldenburgio

Burchardus, Henricus interfecti à Stedingis, 1234.

Egilmarus Præpoſitus Monaſterienſis.

Wilbrandus Epiſcopus Paderbornenſis, deinde Trajectenſis.

Ludolfus Comes Hallermundius 1245. 1251. *Jutta uxor ejus.*

Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſedis Romanæ Legatus Ottonis 4. *Imp. hoſtis, quem conſarcinatores Catalogorum Antiſtitum Magdeburgenſ. falſiſſime faciunt Comitem Kirchbergium. Obiit* 1252.

Wilbrandus archiepiſcopus Magdeburg. non ex Kirchbergior ũ, vel Hoimiorum familia natus ſed Hallermundius origine. Vide notas noſtras ad Levoldi Northovii Origines Marcanas, obiit 1252.

Ludolfus Canonicus Magdeburgenſis 1220.

Adelbeidis uxor Bernhardi Comitis Raceburgii penultimi, quo demortuo nupſit Adolfo Comiti Daſſilienſi.

Gerhardus Senior 1311.

Wernerus.

Ludolfus Canonicus Hildeſienſis 1291.

Wilbrandus 1274.

Gerhardus Junior

Ludolfus 1316.

Otto

Jutta

Conegundis.

Wilbrandus.

Agnes uxor Henrici à Walmede equitis aurati fundatoris monaſterii San-Paulini Hildeſiæ.

Wilbrandus.

Wilbrandus Epiſcopus Mindenſis obiit 1442.

N. uxor Philippi Comitis Spigelbergici.

Otto obiit 1424. *uxor ejus N. Spigelbergica.*

De fili-

De filiisHenrici Leonis diximus ſuprà. Ex his ſolus Wilhelmus, cognomentoCraſſus(ab obeſitate corporis monſtroſâ, quæ tanta fuiſſe ſcribitur ut in ejuscingulum aliitres includi poſſent, ſic cognominatus) unicam reliquerat ſobolem Ottonem, cui quòd octo annos natus patre orbatus fuit, Pueri cognomentum attributum. Hic Cæſaris Friderici ſecundi potentiam ſecum conſiderans, de recuperatione aviti patrimonii deſperare cœpit ideoque quantum potuit Imperatori fidem & obſequium probavit. Igitur in gratiam admiſſus Moguntiæ in Comitiis Imperii frequentiſſimis, omnem paternam hereditatem, in manus Imperatoris reſignavit, qui ditionem Brunſvicenſem & Lunæburgenſem, quæque ad utramque pertinebant, dynaſtias uniens novum conſtituit Ducatum, eumque beneficiario jure Ottoni, ejusque poſteris poſſidendum tradidit, diemque illum omnibus annalibus adſcribi curavit, eò quòd tunc Romanum Imperium auſpicatâ novi Ducis creatione auxiſſet. Utque inſigni aliqua benevolentiâ novum Ducem afficeret decimas metalli fodinarum Goslarienſium ei donavit. Eæ quòd ad Imperium pertinerent, principes à Cæſare comiter invitati donationi conſenſerunt, ac diploma Imperiale, quod adhuc ſuperat, ſuis ſigillis corrobarunt. Hi fuere ex eccleſiaſticis proceribus Moguntinus, Colonienſis, Salisburgenſis, Trevirenſis, Magdeburgenſis & Biſuntinus, *archiepiſcopi*: Bambergenſis, Ratisbonenſis, Conſtantienſis, Auguſtanus, Baſileenſis, Hildesheimenſis, Leodienſis, Cameracenſis, Metenſis, Tullenſis, Monaſterienſis, Naoburgenſis, Trajectenſis, Oſnaburgenſis, Paſſavienſis, Aichſtadenſis, Spirenſis, Verdunenſis & Friſingenſis, *Epiſcopi*: Magiſter domus hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum in Jeruſalem. Murbacenſis, Augienſis & Elwacenſis, abbates. Ex Politicis Principibus, *Duces*, Bavarus, Brabantinus, Saxo, Carinthius, Lotharingus. *Marchiones* Miſnenſis, Badenſis & Brandenburgius. *Comites* Senenſis, Barenſis, Clivenſis, Hanovienſis & alii plures. Acta ſunt hæc anno Chriſti M CC XXXV. menſe Auguſto, Indict. IIX. anno Imperatoris Friderici XVI.

Triennio ante obitum abbatis Arnoldi, nimirum anno M CC XXIV. ex monaſterio Riddagshuſano colonia deducta eſt Iſenhagam ad Iſam agri Lunæburgenſis fluvium, tali occaſione. Agnes Conradi Marchionis Landsbergenſis F. Henrici Ducis Saxoniæ & Palatini Rheni ſecunda conjunx, defuncto marito (qui obiit anno M CC XVII. Brunſvigæ in templo San-Blaſiano ſepultus) vidua permanens, facultates omnes, quas habebat peramplas eccleſiaſticorum hominum collegiis fundandis, inſtaurandis, amplificandis largiter & profusè impendebat.

Primò ſtruxit Winhuſium agri Lunæburgenſis fœminarum cœnobium, in quo poſt mortem humari voluit. Deinde de monachorum collegio fundando ſecum deliberans, cum phrontiſterium Riddagshuſanum à multis commendari audiret, Arnoldum Abbatem evocavit, cumque eo egit, ut omnem laborem exſtruendi templum cæteraque domicilia familiæ frequenti neceſſaria, comparandi fundos, nemora & piſcinas, in ſe reciperet, pecuniam ſe ſufficientem erogaturam promittens. Homo pius & religioſus, etſi à ſuâ ſcholâ non libenter aberat, principi tamen pientiſſimæ, in re ad cultus divini incrementum ſpectante, gratificandum duxit. Prima cura de loco fuit: is viſus ei non incommodus ad Iſam fluvium ſub dominio Ottonis Ducis Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, à quo in oculis ferebatur. Erant Palatini Viduæ aſſignata alimenta ex decimis metallicis fodinarum Goslarienſium; eas ad ſe recipiens Dux Otto, affini Palatinæ, ejusque adminiſtro Abbati Arnoldo conceſſit villam Iſenhagen, cum pagis prædiisque nonnullis aliis. Qui locum nactus idoneum jecit fundamenta templi, addidit reliqua ædificia, eduxit muros & ſepes, piſcinas ampliavit: ſic ut nova undique facies appareret. Initio hoc modo facto, rediit domum, deſumtisque ex collegio, quod habebat frequens, XII. monachis, decimum tertium illis adjunxit Dethmarum, virum cum primis gravem, eruditum & pietati deditum. Hunc reliquis præfectum in novam cellam introduxit ac velut in poſſeſſionem immiſit, reſervatâ ſibi poteſtate & jure viſitandi inſpiciendique collegium, quoties res poſtulare videretur. Acciderunt hæc ab Anno Chriſti M CC XLIV. usque ad M CC XLV. quo Dethmarus abbas in cœnobium introductus eſt. Meinhardus Epiſcopus Halberſtadenſis diœceſanus novo monaſterio

decimas frugum ex agris vicinis colligendarum liberaliter conceſſit. Quanquam autem ſub annum Chriſti M CC LIX. monaſterium hoc in alium migravit locum, nempe Baccerodam, in diœceſi Hildeſienſi, quam ejectis Auguſtinianis regularibus, monachis & monialibus, uno eodemque in loco, nec caſtè nec cautè viventibus, Joannes Antiſtes Hildeſienſis, Iſenhagâ incendio ſæviſſimo peſſundatâ, Dethmaro cum ſuis fratribus habitandam ultro obtulerat, jus tamen Riddagshuſanus ſuum ſibi conſervavit integrum. Conabatur illud tum temporis neſcio quo argumento, minuere Conradus, ejus nominis primus abbas Vallis-Mariæ, prope Helmæſtadium: ſed eum Arnoldus Riddagshuſanus compeſcuit auctoritate Agnetis Palatinæ: quæ edocta de conatibus abbatis Conradi publicis literis teſtata eſt, nihil Mariæthalenſi juris in Iſenhagenſe cœnobium eſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Hanc ergo literam teſtimonialem noſtram valere volumus, & habere robur irrefragabile contra Abbatem Vallis-Mariæ, ſuosq́ monachos: ut ſi inpoſterum aliquid ſibi in prædicto loco competere, vel ad ſe aliquo modo pertinere præſumſerint, certum atque indubitatum teneat omnis auditor, eosdem nobis & abbati ſuisq́ fratribus in Riddagshuſen injuriari apertiſſimè, & venire contra eam, quæ falſum non recipit, ſimpliciſſimam veritatem. Datum anno gratiæ M CC XLVI.* Monaſterium iſtud nunc temporis Mariæ-novale, ſive Mariærode vocatur, quod nomen ei indidit Magnus ex Ducibus Saxoniæ inferioris, Epiſcopus Hildeſienſis XXXIX. Anno M CCCC XXXIX.

11. Arnoldum mortuum excepit CONRADUS III. utrumque accidit anno M CC XLVII. Vix ad gubernacula pervenerat, cùm ei lis moveretur de ſylvis & paſcuis nonnullis prope Quernheim. Adverſarii ejus erant Ludoltus, Joannes & Harneit à Bientrode. Intercepit hanc litem Henricus de Wenden, eques torquatus, magnæ vir auctoritatis, anno M CC XLIIX.

Biennio pòſt Fridericus Imp. ejus nominis ſecundus in fata conceſſit, ſepultus, ut juſſit, in habitu ordinis Ciſtertienſis. Tanti tum fiebat ſordida Divi Bernhardi gregalium veſtis, cui poſtea prævaluit Divi Franciſci toga, ipſis etiam Dæmonibus, ſi credere fas eſt, formidabilis.

Anno M CC LI. Hugo Cardinalis tit. S. Sabinæ & Apoſtolicæ ſedis Legatus, Brunſvigæ hærens monaſterio Riddagshuſano decimas, quas tùm habebat, univerſas, tam in Hildeſienſi, quàm Halberſtadenſi diœceſi ſuâ auctoritate confirmavit. Idem beneficium aliis etiam monachorum collegiis contulit.

Proximè inſequenti anno Wilhelmus Comes Hollandiæ, Florentii, ejus nominis quarti F. deſignatus Romanor. Rex, in Saxoniâ matrimonii cauſſa degens (duxit enim Eliſabetham Ottonis primi Ducis Brunſvicenſis filiam, virginem, ut Chron. Hollandicum MS. præclaram) rogatus à ſocero, eidem monaſterio Riddagshuſano auctoritate regiâ confirmavit omnia bona, quæ hactenus legitimè & quietè poſſediſſet, quæque futuris temporibus juſtis modis acquirere poſſet. Diploma datum eſt Werdere ſuper Weſeram X. Kal. Febr. Indict. X. anno M CC LII.

Auxit poſſeſſiones ſuas nonnihil hic abbas: nam à Volrado Epiſcopo Halberſtadenſi emit decimas frugum ex agris pagorum Adenem & Scheppenſtedt, quas ille vendere cogebatur, ut archiepiſcopo Moguntino Metropolitano pro confirmatione conſvetum honorarium flagitanti iſthac pecunia ſatisfaceret. Venditioni aſſenſerunt, Hermannus Comes Anhaldinus Præpoſitus, Wickerus Baro Bilſtenius, Borchardus Vice-Dominus, aliique ſummi templi Canonici, anno M CC LVI. Biennio pòſt Balduinus ſenior & Balduinus Junior Dalemii fratres Præpoſito & conventui S. Mariæ in monte prope Helmæſtadium vendiderunt aliquot agrorum jugera in pagis Eitzem, Cübling & Honſtede. Venditioni aſſenſit Albertus Brunſvicenſium Dux: interfuerunt Conradus abbas Riddagshuſanus, Conradus de Dorſtad Baro, Heino de Wenden, Gebhardus de Bortfeldt & alii. Res acta eſt Giſhornii anno M CC LX. IV. Non. Novembr. Eidem Conrado abbati Alexander PP. quartus negocium quoddam eccleſiaſticum commiſit, quale id fuerit ſequentes oſtendunt litteræ. *Conradus Dei gratiâ abbas de Riddagshuſen, ordinis Ciſtertienſis, Apoſtolicæ ſedis delegatus, venerabili Domino Geroldo, Decano majoris eccleſiæ in Hildenſem, & archidiano in Golcica ſalutem & devotas orationes in Domino. Litteras Domini Papæ ſuſcepimus in hunc modum: Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI,*

dilecto

dilecto filio Abbati de Riddagshuſen Ciſtertienſis ordinis, Halberſtadenſis diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: ſignificavit nobis dilectus filius Lambertus rector eccleſiæ de Golcika Hildesheimenſis ditionis, quòd dilectus filius noſter Hugo, titulo ſanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis, tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legatus, dilecto filio Jordano Canonico Hildesheimenſi ſub certâ formâ dedit ſuis literis in mandatis; ut eidem Lamberto de beneficio eccleſiaſtico etiam curam animarum habente in Hildesheimenſi civitate, vel ditione, provideret, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et idem Canonicus auctoritate literarum ipſarum dictam eccleſiam, tunc vacantem, eidem Lamberto canonicè contulerit, in contradictores & rebelles excommunicationis ſententiâ promulgatâ: Poſtmodum tamen Decanus Hildesheimenſis, qui ſe gerit pro archidiacono ejusdem loci, aſſerens ad ſe collationem ejusdem eccleſiæ pertinere, præfato Lamberto non monito, nec citato, nec ſe per contumaciam abſentante, dictam Eccleſiam auctoritate propria Winando Clerico Mindenſis ditionis contra juſtitiam contulit, in ejusdem Lamberti præjudicium, &c. Et tandem idem Lambertus cum hoc ad ſuam pervenit notitiam, duxit ad ſedem Apoſtolicam appellandum. Quamobrem diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remotâ, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratiâ, odio vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eandem appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perbibere. Datum Neapoli IV. Idus Maij. Pontificatus noſtri anno I. (id eſt anno Chriſti M. CC. LXI.) *Hujus igitur auctoritatem mandati *** non præterire debemus, vobis præcipiendo mandamus, quatenus feriâ VI. poſt S. Michaëlis proximâ Brunſvic in eccleſia S. Blaſii noſtro vos * præſentetis diacono clerico Lamberto, prout juris ordo poſtulat reſponſuri.*

Idem Conradus abbas à Comitibus Wernigerodanis emit pagum Brundelem, quem antea titulo feudali poſſederant Henricus & Volcmarus, cognomento Divites, cives Hildeſienſes. Precium fuit quadraginta ſex marcarum monetæ Halberſtadenſis. Acquiſivit etiam decimam frugum in agris ejusdem loci à Johanne Epiſcopo Hildeſienſe. Quibus rebus confectis ex hac vitâ in meliorem abiit anno M CC LXI.

12. JOHANNES I. ſurrogatus præfuit usque ad annum M CC LXIV. Acquiſivit monaſterio decimam in pagis Wobeken & Dibbekenſtorp: quarum illam tenebant Luthardus & Luthardus fratres Dynaſtæ Meinershemii, illam Balduinus à Dalem Senior, utrique eccleſiæ Halberſtadenſis beneficio. Sub idem tempus in generali Synodo Patrum familiæ Ciſtertienſis decretum ſancitum promulgatumque fuit, ut in anniverſariis diebus emortualibus abbatum in regimine decendentium ſinguli ejus ordinis & ſectæ ſacerdotes conſecrati, ſacra ſolemnia celebrarent, eodem modo ac ritu, quo recens defunctis ſolatia iſta exhiberi conſveverunt. Quod decretum ſubſequentibus ſeculis à cænobitis ſuperſtitiosè magis, quàm piè obſervatum fuit.

13. LUDOLFUS, eligitur M CC LXIV. gubernavit monaſterium annis XIV. Altero poſt electionem ejus anno Hermannus nobilis Dominus de Elleſen, religione tactus monaſterium Riddagshuſanum ingreſſus cucullum induit, collatis conventui quibusdam bonis.

Hermannus: nobilis Dominus de Elleſſen, monaſterio Lotharienſi donavit decimam frugum in agro Schoderſtedenſi anno 1243. Proximè inſequentis æſtate cum Gebbardo Wernigerodano, Henrico Slademenſi, Comitibus, & Theodorico nobili dynaſtâ Meinershemio, fuit in caſtris Meinhardi Epiſcopi Halberſtadenſis, Alvenslebium obſidentis. Anno 1264. monaſterio Vallis-Mariæ donavit agrum in pago Redege, & ſequenti anno induit cucullum: moritur 1280.

Hermannus junior nobilis Dominus de Elleſſen, nominatur teſtis in litteris Luthardi & Luthardi fratrum de Meinersheim anno 1260. vixit adhuc 1280.

Gotſchalcus de Elleſſen. Uxor ejus Adelheidis de Ibbenſtede vixit 1302. nominatur teſtis in litteris Sigfridi Epiſcopi Hildeſienſis.

Anno M CC LXVI. monachi Riddagshuſani compararunt ſibi domicilium, ſive aulam in urbe Brunſviga, quam Senatus ejus loci de communi civitatis conſenſu ab omnibus oneribus, puta vigiliis & collectis, liberam & immunem pronunciavit. Hæ ædes poſt annos viginti ampliatæ ſunt, empto à Bertramo à Werl ædificio vicino. Venditioni legitimè factæ aſſenſerunt Henricus & Albertus Duces Brunſvicenſes, tam ſuo, quàm fratrum ſuorum Wilhelmi, Conradi & Luderi nomine.

Erat Ludolfo abbati controverſia cum Ludolfo Comite Woldenbergio ſuper bonis quibusdam: ea duravit usque ad annum M CC LXXIII. quo Comes ſeniori (ut ipſe loquitur) conſilio uſus, & favore religionis, nec non ſolemnitate loci & perſonarum ibidem degentium inclinatus, juri ſuo propter Deum renunciavit. Teſtes adducuntur Grubo de lapideo monte, Ermfridus de Bokenem, Johannes de Neſſe & alii quam plurimi milites & ſervi.

Pars Genealogiæ.

N. Comes Woldenbergius.

Joannes 1297. 1303. — *Conradus* — *Ludolfus obiit ante annum 1297.*

Ludolfus — *Joannes 1317.* — *Henricus* — *Heidwigis* — *Beatrix* — *Sophia*

Henricus Canonicus Halberſtadenſis 1306. — *Wilbrandus* — *Heidwigis*

Henricus — *Conradus* — *Ludolfus* — *Borchardus* — *Heidwigis* — *Sophia ſacerdos Quedlinburgia.*

Annò M CC LXXV. XVII. Kal. Julii, hoc eſt XV. menſis Junii, die Vito Martyri ſacra dedicatum eſt templum Riddagshuſanum, præſentibus multis viris religioſis, Abbatibus & Præpoſitis. Hic ritus conſecrandi templa ex κακοζηλίᾳ Judaiſmi ortus à Pontificiis ſcriptoribus primis Epiſcopis Romanis tribuitur. Verùm in hiſtoriis verſati & antiquitatis periti, facilè animadvertunt, Conſtantinum M. occaſionem & initium hujusmodi apud Chriſtianos templorum Dedicationibus dediſſe. Ille enim cum Byzantium inſtauraſſet, eaque urbe, quam κωνσταντίνου πόλιν nominavit, decreviſſet uti pro ſede Romani Imperii, voluit eam Deo conſecrare, adque ejus dedicationem CCC XIIX. patres, qui Nicææ in Bithynia Synodum eo tempore celebraverant, vocavit. Idem Imp. Hieroſolymam profectus, templum admodum magnificum Chriſto extruxit, anathematis innumeris exornavit, eoque Epiſcopos, qui Tyri concilium habebant, ut inaugurationem adjuvarent, clementer accivit. Dies dedicationis Riddagshuſanæ, qui quotannis magna ſolennitate, erogatis indulgentiis, celebrabatur, cur in alium menſem & diem rejectus ſit, ſuo loco indicabimus. Obiit Ludolphus abbas M CC LXXIIX.

14. HERMANNUS cœpit anno eodem: provectioris erat ætatis, cum eligeretur, quippe qui anno M CC XLIV. Cellarius M CC LX. Prior fuiſſe inveniatur. Anno gubernationis ejus primo Balduinus & Ludolphus à Wenden, fratres, patri ſuo Balduino annuam memoriam, datis cœnobio bonis quibusdam, Riddagshuſii inſtituerunt.

Proximo anno Rudolfus Comes Habsburgius, electus Romanorum Rex, Abbatem & conventum Riddagshuſanum, quem propter vitæ cœlibis candorem ſincero caritatis ardore ſe proſequi teſtatur, cum monaſterio & omnibus eorum poſſeſſionibus ſub Imperii protectione ſpeciali ſuſcipit, univerſis & ſingulis injungens, ne quis Imperii Romani fidelium Abbatem & conventum in perſonis ſuis, vel rebus, contra protectionis temporalis tenorem præſumat aliqualiter moleſtare. Literæ

datæ

datæ ſunt Wiennæ V. Kal. Septemb. Indict. VII. anno Chriſti M CC LXXIX. regni anno VI.

Hoc loco monendus eſt lector, iſtam in Imperii & Cæſaris tutelam ac patrocinium receptionem nihil præjudicaſſe, vel officere potuiſſe juri, quod competebat antiquitus Ducibus Brunſvicenſibus, in quorum territorio ſitum eſt Riddagshuſium: Notumque quòd vel iſto, vel alio non abſimili, argumento inductus Fiſcalis Imperii, quem vocant, monaſterium hoc immediatè Imperio ſubjicere, & inter ordines Eccleſiaſticos, qui ſunt in circulo Saxonico inferiori referre conatus ſit, inſtitutis ejus rei gratia contra Henricum juniorem Ducem Brunſvicenſem peculiaribus actionibus. Verùm cauſa in ſupremo Imperii dicaſterio, quod eſt Spiræ Nemetum, diu agitata, Princeps & Abbas tandem abſoluti, monaſterium Ducatui Brunſvicenſi adjudicatum & Fiſcali ſilentium eſt impoſitum.

Sub Abbate Hermanno res cœnobii in anguſtum adductæ erant: in cauſa erant bella geſta ſub Alberto Duce Brunſvicenſi. Id cum animo revolveret Henricus, Alberti filius, princeps religioſus, ad monaſterium accedens; tum de ſtatu ejus diligenter inquiſivit, tum laboranti liberaliter de ſuo ſubvenire anniſus eſt. Erant hujus hoc tempore fratres Albertus, Wilhelmus, Otto, Conradus & Luderus anno M CC LXXX.

Eodem anno Volradus Epiſcopus Halberſtadenſis abbati & conventui Riddagshuſano indulſit de ſpeciali gratia, ut quoties eorum currus caſtrum Hornburg tranſire contingat, nullum vectigal à telonariis ipſius loci ab eisdem currib. exigatur, ſed liberum ibi ſemper habere tranſitum permittantur.

Oblata hic occaſione commoda non poſſum non indicare errorem Alberti Crancii, qui in Metropoli lib. IIX. ſcribit Antiſtitem hunc natum ex Comitibus ſive Dynaſtis Kranichfeldiis novem annis Epiſcopæ Halberſtadenſi præfuiſſe, quem errorem erravit etiam Gaſpar Bruſchius: cùm ex litteris & tabulis conſtet eum totis XLII. cum imperio fuiſſe. Etenim ab Anno Chriſti M CC LV. electus eccleſiam ſuam rexit usque ad M CC XCVII. quod ex perquam multis ejus litteris, quas legi, liquidò cognovi. Qui error, ab aliis non obſervatus, niſi corrigatur, Chronologia ſequentium Epiſcoporum tenebris involvetur longè craſſiſſimis.

Etſi autem, ut memini, Riddagshuſanæ res hoc tempore anguſtæ eſſent, decimam tamen Hötenslebienſem in diæceſi Magdeburgica CDLXX. marcis puri argenti ſibi compararunt. Tenebat eam Ludolfus ab Esbeck, eques auratus, beneficio Epiſcopi Halberſtadenſis & Baronum Dorſtadienſium, Horum conſenſu impetrato venditio facta eſt, præſentibus Cunigunda Ludolfi Esbecii conjuge & fratre Erico, qui rem geſtam ratam habebant. Epiſcopus Halberſtadii tum erat Volradus, Barones Dorſtaſtadii fuere Fridericus & Walterus, ambo milites, ſive equites torquati. Res acta eſt M. CC. LXXXII. Subſequentibus annis à Mariævallenſi & Ringelheimio abbatibus, ut & Comitibus Woldenbergicis ac Baronibus Suſelitiis, aliisque Equitibus, Dalemiis & Hornhuſiis, cæteri quos ibi habent agros, coempti ſunt.

Fama de diſciplina monaſtica, & jugibus religioſæ pietatis exercitiis in hoc loco ad ultimas Saxoniæ oras penetravit, ac proceribus ac Dynaſtis magni nominis innotuit, quod liquet ex privilegio à Witzlao, ejus nominis quarto, Jarimari ſecundi filio, inſulæ Rügiæ in mari Balthico principe, Riddagshuſano conventui eodem, quem diximus ſupra, anno tributum.

Quinquennio poſt ſepultus eſt Riddagshuſii Bertramus à Werl, cujus fratres Henricus, Lippoldus & Nicolaus, defuncti funus religioſe curantes monaſterio liberales & munificos ſe exhibuerunt. Eodem anno obiit Hermannus Abbas.

15. CONRADUS IV. cœpit M CC. LXXIIX. ſecundo regiminis ipſius anno Senatus opidi Helmæſtadenſis conventui Riddagshuſano conceſſit licentiam annonam & res alias inducendi in civitatem ſuam & educendi, prout neceſſitas eorum exigeret, ſive in victualibus, ſive in ſeminibus: ſive tempore guerræ fuerit, ſive pacis. Litteræ datæ ſunt M. CC. XC. VI. Apr.

Eodem anno Conradus Abbas emit curiam in urbe Hildeſia à Burchardo ab Hogersheim & Brunone Inſano. Biennio poſt Otto Dux Brunſuicenſis, intuitu divinæ retributionis, ac pro animæ ſuæ remedio, religioſos viros abbatem & conventum Riddagshu-

dagshuſanum à debito ſolvendi telonei in Luneburg, ac omnibus aliis locis infra terminos ſui dominii ſitis, in quibus hactenus telonei tributum dari ſolebat, penitus abſolvit, ita ut deinceps nullus de telonariis Ducis, de rebus, ad monaſterium ſpecialiter pertinentibus, antedictum tributum exigere audeat & præſumat. Diploma datum eſt Riddagshuſii, præſente Duce Ottone ſexto Non. Octobris.

Eodem tempore Borchardus eccleſiæ Magdeburgenſis Camerarius de conſenſu Erici Archiepiſcopi & capituli ejus loci vendidit cœnobio huic curiam in civitate Magdeburgenſi. Teſtes venditionis fuere Hermannus Præpoſitus Halberſtadenſis, & Henricus Comes Blancoburgius archiepiſcopi fratres.

N. Comes de Reinſtein.

Henricus Comes de Reinſtein 1212. 1224. — *Sigfridus Comes de Blankenburg, advocatus monaſterii Hujesburgenſis. 1241. 1251. uxor Mechtildis.*

Theodoricus Canonicus & Camerarius Halberſtadenſ. 1220. — *Ulricus uxores ejus 1. Mechtildis, 2. Lucardis.* — *Sigfridus 1220.* — *Henricus.*

Henricus. — *Sigfridus.* — *Hermannus.* — *Burchardus.*

Ulricus. 1246. 1273. — *Henricus. uxor Bia Warbergica 1264.* — *Otto.* — *Albertus. 1080.* — *Sigfridus.*

Burchardus ex Canonico Magdeb. eligitur Archiepiſcopus anno 1295. — *Hermannus Epiſcopus Halberſtadenſ. 1297.* — *Henricus 1303.*

Henricus

Ulricus. — *Luccardis,*

Henricus. anno 1357. — *Ulricus.* — *Sigfridus.* — *Gerhardus.* — *Mechtildis.*

Henricus — *Eliſabeth* — *Sophia.*

Anno M CC XCIV. Volradus Epiſcopus Halberſtadenſis, ſenex decrepitus, viſitavit dilectiſſimos ſuos filios monachos Riddagshuſanos, eosque ad ardens pietatis ſtudium vitamque inculpatam gravi oratione cohortatus, precibus ipſorum ſe commendavit. Erant in ejus comitatu Guntherus Comes Mansfeldius Præpoſitus, Albertus de Aldenburg Decanus, Reinardus frater Epiſcopi & alij.

Inſequenti anno ſepultus eſt Riddagshuſii Ludgerus de Garſenbuttel, eques auratus, vir magnificus, ſplendidus & religioſus. De familiâ Garſenbutelenſi, quæ in Ducatu Lunæburgico ſupra annos quadringentos floruit, habeo quod referam ex archivorum monumentis. Relata fuit olim inter Nobiles, qui tum Barones, ſive Liberos dynaſtas, repræſentabant. In nobilitate enim, teſte Crancio metropol. lib. III. cap. XI, ultimi erant Barones, & qui noſtris moribus nobiles ſunt (equeſtris dignitatis homines intelligo) tum temporis miniſteriales dicebantur. Quâ vero occaſione hæc familia, ſicut & aliæ nonnullæ, à Baronum ordine ad Equites tranſierit, compertum non habeo.

Widekindus, nobilis Dominus de Garſenbuttel, comitatus fuit Ottonem 4. Cæſarem euntem Romam, ut à Pontifice Romano coronaretur anno 1209.

Ludgerus, vir Nobilis, cognomento Senior nominatur in litteris Conradi Epiſcopi Hildeſienſis, anno 1234. Monaſterio Riddagshuſano dono dedit bona quædam hactenus à Razzone ab Ultzem jure feudali poſſeſſa 1255. vixit adhuc 1260.

Widekindus vir nobilis itidem in litteris Conradi Epiſcopi Hildeſienſis nominatur 1234. Meminit ejuſdem Joannes Epiſcopus Hildeſienſis 1260.

Ludgerus vir nobilis 1252. moritur 1295. ſepultus Riddagshuſii. — *Widekindus vir nobilis ſepultus ibidem.* — *Henricus vir nobilis 1255.* — *Beatrix 1255.* — *Berta 1255*

Joannes nominatur famulus ad annum 1227. à patre fit ejus mentio 1255. — *Ludgerus 1255.* — *Jutta 1255.*

Ludgerus miles 1317 — *Joannes. 1317.* — *Georgius* — *Sophia 1317.*

Joannes — *Conradus*

Joannes — *Bartoldus* — *Georgius.*

Rudolfus miles. — *Hi duo dederunt monaſterio bona in Marquarderoda 1317.* — *Widekindus 1326.*

Widekindus miles — *Ludgerus Dapifer 1319. vixit adhuc 1341.* — *Rudolfus Dapifer 1348. uxor ejus Jutta.* — *Otto 1328.*

Anno M CC. XCVII. obiit ſæpè à nobis nominatus Antiſtes Halberſtadenſis Volradus, cum ad decrepitam ætatem vitam perduxiſſet. Vidi litteras datas anno MCC XCI in quibus Guntherus Mansfeldius Præpoſitus, Albertus Aldenburgenſis Decanus, Gebhardus Querfurdius Cellarius, & Hermannus Blancoburgius ſeſe Epiſcopi Volradi ſenio confecti Vicarios appellant. Sub ejus regimine Riddagshuſani abbates ſingulari felicitate augendi poſſeſſiones ſuas uſi ſunt, ut enim de agris cenſibusque annuis, quos ſibi compararunt, nihil dicam, hoc conſtat decimas pagorum Wobke, Dibbekenſtorp, Rothem, Scheppenſtedt, Wedel, Levenſtedt, Adenem, Volſterſtorp, Vermerſen, Hotensleven, intra annos iſtos, quibus Epiſcopatui præfuit Volradus, monaſterio Riddagshuſano acceſſiſſe, ipſo nunquam non rem fideliter promovente. Succeſſorem habuit Hermannum Præpoſitum ædis Sancti Bonifacii, archiepiſcopi Magdeburgenſis fratrem. Is primo gubernationis ſuæ anno litem movit Walkenredenſi, Mariævallenſi, Riddagshuſano & Michelſteinenſi, ordinis Ciſtertienſis abbatibus, de bonis & poſſeſſionibus, neſcio quibus; cum vero Prælati iſti acriter ſua defenderent, rem Antiſtes detulit ad Pontificem Romanum: à quo judices deſignati ſunt, Epiſcopus Noaburgenſis, Abbas S. Michaelis Hildeſienſis, ac Præpoſitus Richenbergius, ut per iſtos causâ probè cognitâ lis dirimeretur. In quo dum hi ſunt, cœpit Hermannus Epiſcopus de jure ſuo addubitare primum, deinde deſperare planè. Scriptis itaque ad abbates litteris amiciſſimis promittit ultro, ſe integram actionem remiſſurum

remiſſurum, neque ulli eorum unquam hoc nomine moleſtum futurum. Litteras integras noſtrâ comitate adeptus, Chronico ſuo Walkeredenſi inſeruit CL. V. Henricus Eckſtormius, amicus noſter.

16. OTTO, poſt mortem Conradi cœpit anno M CC XCVII. ſub abbate Hermanno fuit Cellarius, & quidem eodem anno, quo ille vitam finivit, M CC LXXXIIX. ab Hunero de Odem emit bona quædam in Salinis Lunæburgenſibus. Huneri frater erat Hilmarus Verdenſis & Hamburgenſis Canonicus, qui contractum ratum habuit, Interfuerunt actui Lunæbergenſis & Schermbecenſis abbates.

Idem Abbas Otto â Burchardo archiepiſcopo Magdeburgenſi emit prædium Unsburg ad fluvium Bodam ſitum. Venditionem neceſſitate cogente factam ac diœceſi profuturam comprobarunt Bernhardus præpoſitus, Gottfridus Decanus, cæterique majoris eccleſiæ Canonici omnes & ſinguli. Unsburgi mentionem faciunt antiquiſſima Diplomata Ottonis Magni Imperatoris ejusq; filii & nepotis cognominum. Fervente bello civili inter Ottonem quartum & Philippum, deſignatos Romanorum reges, Walterus dynaſta Barbienſis, & Fridericus ac Wilhelmus Ammenslebii, Unsburgum foſſa & vallo circumducto munientes, ex eo totam infeſtarunt diœceſin: archiepiſcopus Albertus, adjuncto ſibi Anhaldino Comite Henrico propugnaculum illud hoſtile expugnavit, dejecit, foſſasque terrâ explevit. Venditionis prædictæ occaſio hæc fuit: oppignoratum erat Sommerſcheburgum pro mille marcis, quibus pars Luſatiæ, itidem alteri oppignorata, redempta fuit. Ut igitur relueretur Sommerſcheburgum divendendum fuit Unsburgum mille marcis argenti Stendalienſis, ponderis Magdeburgici. Acta ſunt hæc anno Chriſti M CCC II. litteris nervoſe cauteque confectis. Cum autem initio tenue eſſet hoc prædium, â ſucceſſoribus, coemtis agris paſcuis & cenſibus non parum amplificatum eſt. Otto abbas ex hac vitâ emigravit M CCC III.

17. REINERUS II. cœpit anno eodem: præfuit monaſterio utiliter, ſed non diu. Sub ejus gubernatione Cunegundis Warbergicâ, mater trium fratrum Aſſeburgicorum ejusdem nominis, ſibi & marito Burchardo ab Aſſeburg defuncto, apud Riddagshuſanos procuravit annuam memoriam.

Pars

Pars Familiæ.

Gebbardus ab Hagen relicto veteri nomine primus ſe Aſſeburgium nominavit.

Ecbertus ab Aſſeburg obiit 1159.

Borchardus — *Ecbertus*

Ecbertus ab Aſſeburg cognomento Senior & magnus nominatur in litteris Ottonis Ducis Brunſvicenſis anno 1249. Uſus eſt hoc titulo: Nos Dei gratiâ Ecbertus dictus de Aſſeburg: *vixit adhuc anno 1227. Uxor ejus Sophia Domina ab Hakeborn.* — *Borchardus, 1250.*

Ecbertus junior Ducis Brunſvicenſis Conſiliarius 1262. adhuc 1308. — *1260. vixit* — *Conradus 1262.* — *Burchardus Henrici Ducis Brunſvicenſis Marſchalcus ac Conſiliarius 1280. Uxor ejus Cunegundis Conradi Baronis Warbergici F.*

Bartoldus Canonicus Paderbornenſis 1276 — *Joannes Canonicus Hildeſienſis 1276.* — *Burcbardus. 1276.* — *Ecbertus.* — *Frideruna. 1276.* — *Regelindis, abbatiſſa Woltingerodana.*

Borchardus cognomento Longus, eques auratus, habitans Moringæ 1318. obiit ante annum 1345. Uxor N. Comitiſſa Slademenſis. — *Burchardus Siniſter, Lochte/ eques auratus 1317.* — *Burchardus canonicus Halberſtadenſis. 1314. archidiaconus 1328.*

Henricus 1322. — *Burchardus 1333.* — *Ludewicus.*

Burchardus cognomento Baſolt famulus 1345. — *Burchardus medius.* — *Burchardus junior.* — *Ecbertus eques auratus. Uxor ejus Euphemia F. Bertrami à Veltheim equitis aurati.*

Burchardus — *Burchardus* — *Conradus* — *Burchardus* — *Burchardus*

Burchardus eques auratus. — *Wernerus.* — *Guncelinus.*

Verùm hanc familiam, in quâ enucleandâ jam ab aliquot annis occupor, Deo bene juvante, brevi cùm ſtudioſis patriæ antiquitatis communicabo.

Anno M CCC III. ſepultus eſt Riddagshuſii Luthardus nobilis Dominus de Meinersheim. Dynaſtia illa inter Saxonicas olim non poſtrema fuit: cujus Domini inde à temporibus Lotharii Saxonis in veteribus diplomatis & litteris paſſim inveniuntur. Arx ejus nominis adhuc ſuperat in agro Luneburgico, prope Occarim fl. medio itinere inter Cellam & Brunſvigam. Antiquiſſimi ex hac familâ circa annum 1133. nominantur Theodorus & Rudolfus fratres, Domini de Meinersheim. Sed partem familiæ ex vetuſtis litteris collectam non pigrabor adſcribere.

Luthardus, nobilis de Meinersheim, adducitur teſtis in litteris Henrici Leonis, Ducis Bajoariæ & Saxoniæ, anno 1160.

Hermannus, nobilis Dominus de Meinersheim, anno 1190. fuit adhuc in vivis 1220.

Gardolfus Canonicus Hildeſienſis, 1219.

Tidericus nobilis Dominus de Meinersheim 1235. à Ludolfo Epiſcopo Halberſtadenſi nominatur Scultetus 1238. In litteris Meinhardi Epiſcopi Halberſtadenſis teſtis nominatur unà cùm Gebhardo Comite Wernigerodano 1244. vixit adhuc 1251.

Luthardus fuit cum Ottone 4. Romam coronationis cauſſa proficiſcente 1209. Eidem teſtamentum condenti adfuit 1218. Nominatur teſtis in litteris Henrici Ducis Saxoniæ & Palatini Rheni 1222. exceſſit ex hac vitâ 1269.

Burchardus Canonicus Halberſtadenſis 1220. Vicedominus ibidem ab anno 1225. usque ad annum 1268.

Bernhardus Canonicus Hildeſienſis, & archidiaconus in Thetforde, nominatur in litteris Sigfridi Epiſcopi Hildeſ. 1281. vixit adhuc 1290.

Burchardus nobilis Dominus de Meinersheim, eques auratus. Uxor ejus N. Comitiſſa Dannebergica, Bernhardi ſoror. Fuit cum fratre hoſtis Ottonis Ducis Brunſvicenſis 1297.

Luthardus Senior, eques auratus obiit 1303 ſepultus Riddagshuſii: Hoſtis Ducis Brunſvicenſ.

Luthardus junior 1260 hunc invent titulo Comitis ornatum.

Luthardis uxor Ludolfi à Wenden. 1279.

Burchardus. *Luthardus.*

Burchardus. *Sophia.*

Burchardus 1305. & 1333. *Bernhardus.* *Bia monialis Quedlinburgia.* *Sophia monialis Helmaſtadiana 1396.*

Luthardus eques auratus 1322.

Conradus famulus 1322, uxor Gertrudis F. Walteri nobilis Domini à Dorſtad 1320.

Luthardus. *Otto*

Walterus. *Conradus.* *Bernhardus* *Luthardus.* *Adelheidis.* *Ermegardis.*

Arcem

Arcem Meinersheim tenuit Balduinus à Wenden 1316. & 1328. Vero igitur ſimile eſt, Dynaſtis propter rebellionem adverſus dominos ereptam fuiſſe, vel aliis de cauſſis Ducibus Lunæburgicis ceſſiſſe.

Anno M CCC X. Joannes ab Honlage, eques auratus, emit fraternitatem, quam vocant, domus Riddagshuſanæ, quem monachi omnium bonorum operum ſuorum (vide tenebras!) in vitâ & morte fecerunt participes. Promiſerunt eidem ac ipſius conjugi & liberis in periſtylio, ſive ambitu ſepulturam: addentes hoc, ſe, ubicunque in terminis Ducatus Brunſvicenſis obiiſſet, ſuo ſumptu adductum cadaver in monaſterio honorificè ſepulturos.

Anno M CCC V. Henricus à Wenden, eques auratus, conſentiente uxore ſuâ Adelheide, Ludgarda filia, Ludolfo & Balduino fratribus, certos reditus annuos inſtituit, quibus in Noſokomio Riddagshuſano extrueretur primum, deinde conſervaretur ſacellum, in quo parentum, conjugis, & ſuus ipſius emortualis dies ſolemni ſacro perageretur.

Anno M CCC. XI Ludolfus & Balduinus cognomento Longus equites aurati, Georgius famulus & Henricus clericus Wendeni fratres conſentiente matre eorum Gertrude & Bertrada, Lutgardi ac Eliſabetha ſororibus, monaſterio Riddagshuſano vendiderunt pagum Bienrode cum jure patronatus fani ejusdem loci.

Familia Wendenorum ut illuſtris eſt & pervetuſta, ita fœcunda fuit multorum excellentium virorum, qui in aulis ſummorum principum dignitate & honoribus conſpicui fuere, ac erga ſacri ordinis homines munificos & liberales ſe exhibuerunt. Eſt autem hæc familia eadem cum Dalemia, quæ non minus illuſtris, apellationibus diverſis ſine dubio ortis ex diſtinctis, quas tenuere, ſedibus & domiciliis.

Ut fidem rei faciam adducam fragmentum quoddam litterarum, quod tale eſt. Balduinus & Baldninus fratres de Dalem, omnibus hanc litteram inſpecturis in Domino ſalutem. Ob antiquæ devotionis & familiaritatis amicitiam, quam pater noſter Balduinus, & alii noſtri parentes ad Eccleſiam noſtram Ridgagshuſanam habuerunt, cujus dicti ſunt fundatores, nos quoque in quantum poſſumus, ipſorum ſequentes veſtigia prædictum locum omni colimus benevolentia & favore &c. Datum anno M CC LVI Hic Dalemii fundatores dicuntur cœnobii Riddagshuſani, quod citra controverſiam debetur Wendenis. Taceo quod invenerim duos fratres germanos, quorum alter ſe Wendenum, alter Dalemium vocat, utrique ſui ſunt poſteri, ut patebit ex genealogiâ, quam mediocri diligentiâ ex literis, diplomatis, aliisque documentis benigne mecum communicatis deſcribere conatus ſum, quam operam candido lectori non ingratam futuram ſpero.

Familia Wendenorum.

N.

- *Ludolfus à Wenden Dynaſta Saxonicus fundavit monaſterium Riddagsbuſanum, 1145. fuit adhuc in vivis, anno 1180.*
- *Riddagus à Wenden domicilium ſuum ad Wavum fluviolum donavit monaſterio Cellæ Mariæ; unde Riddagsbuſii nata appellatio 1146.*
- *N. nupſit, N. viro Illuſtri.*
  - *Reinboldus vendidit avunculo Ludolfo duos manſos dandos monaſterio Riddagsbuſen 1146.*

- *Balduinus advocatus Brunſuicenſis de Dalheim 1219. & 1221.*
  - *Ludolfus vendidit aliquid agri Cœnobio Mariævallenſi, anno 1258. adducitur teſtis in litteris Alberti Ducis Brunſuicenſis 1264.* *
- *Joannes Canonicus regularis ordinis Auguſtini Scheningæ 1168.*
  - *Henricus à Wenden 1278.*
    - *Balduinus* 1296.
    - *Georgius.*
    - *Ludolfus* 1296.
- *Ludolfus à Wenden 1199.*
  - *Balduinus à Wenden habitavit Dalemii. 1268.*

- *Fridericus* 1290.
  - *Fridericus.*
  - *Hermannus.*
  - *Sigfridus.*
  - *Bertoldus.*
  - *Sophia.*
- *Balduinus à Dalem* 1269.
  - *Balduinus cognomento Longus* 1297.
    - *Gerhardus vixit anno* 1297. & 1312.
    - *Ludolfus* 1286.
      - *Guntberus vixit in aula Henrici Archiepiſcopi Magd.* 1307.
      - *Henricus*
      - *Lutberus templarius Supplinburgii ſub commendatore Ottone Duce Brunſuicenſi* 1309. *vixit adhuc* 1312.
      - *Balduinus* 1312.
    - *Tidericus.*
    - *Balduinus.*
    - *Jutta.*
  - *Lotharius ſive Luderus.*
  - *Balduinus* 1280.
    - *Henricus.* 1289.
- *Florinus à Dalem, uxor ejus Gertrudis à Rutenberg Baſilii F.* 1290.
  - *Florinꝰ à Dalem eques torquatus* 1312.
  - *Baſilius.*
  - *Bruno.*
  - *Albertus.* 1318.
  - *Eliſabeth.*
  - *Richardis.*
  - *Adelheidis* 1318.
- *Johannes à Dalem, eques torquatus,* 1269. & 1291.
  - *Engelbertus* 1298.
  - *Rudolfus* 1260.
    - *Joban. eques auratꝰ* 1270.
      - *Ecbertus*
      - *Rudolfus* 1291.
    - *Rudolphus.*
      - *Wernerꝰ* 1317.
      - *Cunemannus* 1317.
      - *Robertꝰ à Dalem miles uxor ejus Johanna* 1317.
        - *Annomonachus inſtituti Benedictini in Lotharia-regia. Eligitur ibi abbas anno* 1359.
        - *Johannes* 1363.
          - *Johannes* 1369.
        - *Nicolaus* 1357.
  - *Adrianus à Dalem* 1284.

*

Balduinus à Wenden Dominus caſtri Dalem, Eques auratus 1268. | *Ludolfus Canonicus Hildeſienſis.* | *Balduinus junior Eques torquatus Uxor Mechtildis.* | *Henricus Eques auratus 1309. ejus conjuges 1. Bertradis 2. Albeidis.* | *N. nupſit Guncelino à Bartensleben.*

Lutbardis.

Uxor Gertrudis. | *Burchardus 1314.* | *Balduinus 1318.* | *Gebhardus. 1323.* | *Henricus.* | *Mechtildis uxor Sigfridi à Scadevvalt 1328.* | *Ermgardis uxor Conradi à Detvvede 1328.* | *Margarita conjunx Henrici à Rolſtede.*

Ludolfus Eques auratus obiit anno 1367. | *Balduinus Eques auratus cognomento Longus 1311. Uxor Jutta Rutenbergia Sigfridi F.* | *Georgius 1327.* | *Mechtildis. Lutbardis. Eliſabeth. Berta uxor Jordani à Compen. Ludovicus. Henricus Clericus. Lutbardus.*

Johannes 1334. | *Georgius 1336.*

Henricus patre demortuo puerulus fuit. Hujus & fratris tutor fuit Henricus à Wenden. | *Balduinus amiſit parentem infans bimeſtris. Ad maturam ætatem cum perveniſſet primo electus eſt abbas monaſterii S. Michaelis Lunæburgi, deinde archiepiſcopus Bremenſis, obiit admodum ſenex 1442.*

Lutbardus Canonicus San-Blaſianus Brunſuigæ 1332. | *Henricus.* — *Henricus.* | *Balduinus uxor Margarita.* | *Jutta conjunx Theodorici à Suderſem.* | *Ludolfus à Wenden obiit ante an. 1480.* | *Eliſabeth.*

Margarita 1352. Ermgardis. Mechtildis. Mauritius. Fridericus. Gerhardus 1354. Otravvus. Bartoldus. Henricus 1354.

Lutbardus Baronibus Warbergiis Gebhardo & Burchardo vendidit pagos Redepe & Detmerode 1345. donat villam in pago Lelm monaſterio Mariæ prope Helmſtadium Obiit ante annum 1384.

Hilmarus, à Wenden 1374. | *Ludolfus à Wenden, miles, homo perquam religioſus una cum fratre Henrico erigi curavit altare in templo Alveldenſi, quod reditibus annuis dotatum conſecravit Gerhardus Hildeſienſis Epiſcopus anno 1393.* | *Henricus à Wenden obiit ante an. 1397.*

Ludolfus miles. | *Henricus à Wenden officium Pincernatus impetrat à Ducibus Brunſuigiis Wilhelmo & Friderico, ſi forte familia Nendorfiorum deſinat 1458.* | *Hilmarus obiit ante annum 1480.*

Balduinus 1491. | *Sigfridus vendidit nonnulla bona aſſentientibus Ludolfo & Ludovico, Riddagi F. F. 1458.* | *Henricus Canonicus Hildeſ.*

Bal:

a

Balduinus a. 1434.	*Fridericus Canonicus.*	*Riddagus vir magnificus, liberalis, religioſus, & magnæ exiſtimationis, obiit canis & annis inſignis, anno 1481. ſepultus Riddagshuſii.*	*Echardus ex Canonico Hildeſienſi & Halberſtadenſi, eligitur Præpoſitus Hildeſienſis: cui officio præfuit diu utiliter & fideliter, Erneſto Antiſtiti Magdeburgio à conſiliis.*

Echardus junior.	*Ludolfus à Wenden accepit feudum à Wilhelmo ſeniore Duce Brunſvigio 1491. ab Epiſcopo Hildeſienſi Bartoldo 1483. ex hac vitâ emigravit 1522.*	*Ludovicus Henricus Seniori Duci Brunſvigio à conſiliis, qui ei & fratri pro certa pecuniæ ſummâ fruendam dedit præfecturam Heſſem: obiit 1532.*

Henricus à Wenden Capitane⁹ Snetlingenſis, obiit 1541.	*Melchior.*	*Ludovicus 1536.*	*Ludolfus emit Roderſtorſium à Friderico ab Itzenplitz, anno 1525. Tenuit annis aliquot oppignoratum ſibi Bejernaumburgum: exceſſit è vivis 1541. uxor Dorothea à Werder.*	*Sophia ingreſſa eſt monaſterium S. Mariæ prope Helmæſtadium, in quo electa eſt ſumma ſacerdos, ſive Domina, anno 1546. die exaltationis S. Crucis. Obiit 1572. die Agathæ.*	*Eliſabeth ſanctimonialis in eodem monaſterio.*	*Fredeke uxor Gebhardi ab Aluensleven.*

Ludolfus à Wenden Brunſvigæ gladio transverberatur à nobili quodam, cum ante ſex ſeptimanas conjugem duxiſſet: obiit Dominica Invocavit 1555. Sepultus ibidem.	*Johannes à Wenden ultimus hujus familiæ obiit anno Chriſti 1595. 13. Martii, ætatis 57. Uxores ejus fuere 1. Berta à Bulow. 2. Cunegundis à Sueichfeld.*

Eodem, quem ſupra diximus, anno M CCC XI. Hermannus, Conradus, Ludolfus & Johannes, Woldenbergii Comites monaſterio Vallis-Mariæ donarunt agellum ad pagum Eilsleven. In inſtrumento donationis nominantur Reinerus Riddagshuſanus abbas, Bertramus ejusdem cœnobii cellarius, Henricus & Hermannus ambo ex Comitibus Woldenburgiis monachi, hic Loccanus, ille Riddagshuſanus.

Non diſſimulabo hic, quod annotatum reperi in Faſtis Mariærodenſibus: nempe hujus Reineri tempore, & qnidem anno M CCC X. ex cœnobio Riddagshuſano novam coloniam deductam eſſe Walshuſium. Id monaſterium ubi ſit ignoro: Hoc novi recenſeri inter ea, quæ ſubſint abbati Veteris-Campi, & quidem viſitationi abbatis Hardehuſani in agro Paderbornenſi, ut habet catalogus abbatum Campenſium Johannis Dethmari, Coloniæ excuſus. Fortè quòd longiùs abeſſet hoc cœnobium, Riddagshuſanus alteri id commiſit, ſuâ contentus familia. Dethmarus, quem laudavi teſtem, Walshuſenſis primordia refert in annum M CCC XX.

18. JOANNES II. cœpit anno M CCC. XI. quo anteceſſor diem clauſit extremum. Tranſegit cum Joanne ab Heide abbate Bezingerodio, (nunc Marienrode) de jure piſcandi in Alari fluvio, anno M CCC XII. quo tempore Otto à Knetlingen, Ecberti & Heilæ Bartensleviæ filius, Riddageshuſi monachum profeſſus eſt. In Marienrodenſi, cujus meminimus, cœnobio Abbatem hoc tempore agebat Johannes ejus nominis tertius, cognomento Munſtedius, homo monaſterio inutilis, quod ipſius negligentia ad extremam ducebatur inopiam. Admonitus bis terve ſeriò & ſeverè, cum nec mores emendaret, nec de monaſterio in meliorem ſtatum reducendo, ullam curam cogitationémve ſuſciperet, à Riddagshuſano inſpectore &

Ame-

Amelunxbornenſe, hujus rei gratiâ accerſito, à functione ſuâ remotus eſt, anno M CCC. XVII.

His annis vivêbat in ſeceſſu Riddagshuſano Henricus, Hermanni filius, Comes Woldenbergius, monachum profeſſus. Partem familiæ hujus ſupra poſui, nunc alteram hic ſubjiciam, ita tamen ut aliquid præmittam. Sita eſt hæc Dynaſtia in agro Brunſvicenſi, inter comitatus antiquos Peinenſem, Ringelheimenſem & Winceburgium. Familia Comitum, qui eam gubernarunt, ampla fuit & diffuſa, quippe, quæ etiam in diverſas ſtirpes abierit, quæ ſingulæ peculiaria ſibi nomina adſignarunt. Ex his ſunt Comites de Inſulâ, Comites de Woldenſtein & Woldenbroke, nec non Nobiles Domini de Vimmelſtein ſeu Vimmelſen, qui omnes origine Woldenbergii. Ipſi etiam, qui avitum hoc nomen retinuerunt, cum in plures ſtirpes diviſi eſſent, inſignia gentilitia variarunt, aliis trabes transverſas, aliis clathros, qui muniendi causâ ad portas penduli ſuſpenduntur, in clypeis oſtentantibus.

Burchardus.

Burchardus 1267. 1280.	*Hermannus Comes Woldenbergius 1269.*	*Henricus Senior Comes Woldenberg. 1300.*	*Mechtildis abbatiſſa Gandeſienſis.*

Children of Hermannus:

Bodo Canonicus Hildeſienſis 1306.	*Henricus monachus Riddagshuſii.*	*Gerburgis uxor Eckberti de Amelunxen.*

Children of Henricus Senior:

Theodoricus.	*Walterus.*	*Henricus Epiſcopus Hildeſienſis.*	*Hermannus junior Comes Woldenburgius.*	*Godſchalcus.*	*Mechtildis uxor Bernardi Comitis Dasſlenſis.*	*Eila conjunx Mauritii Comitis Spigelbergii.*

Children of Hermannus junior:

Otto Canonicus Hildeſienſis 1293. Præpoſitus ad S. Mauritium 1390. Epiſcopus Hildeſienſis 1315. moritur 1335. ultimus familiæ hujus.	*Henricus 1307.*	*Gerbardus propter adulterium occiſus. Uxor Sophia.*

Otto.

19. HERWICUS, ex equeſtri Veltheimiorum familia natus, Riddagshuſii electus eſt Abbas anno M.CCC.XXII. Cellarii munere functus eſt anno M.CCC.XVII. deinde deſignatur Prior: homo diligens, induſtrius & laborum patientiſſimus. Vix ad gubernacula admotus erat, cùm lis ei orta adverſus Comites Wernigerodenſes, Conradum & Fridericum. Horum ſubditi prædia monaſterii Wobke & Dibbekenſtorp invaſteverant. Id ægrè ferentes monachi queſti ſunt de vi apud Epiſcopum Halberſtadenſem: à quo admoniti Comites damnum reſarciverunt, tribuentes læſis agros nonnullos in Watexen.

Fridericus Comes Wernigerodanus 1260.	*Gebbardus Senior Comes Wernigerodanus 1260. 1260.*

Children of Gebbardus Senior:

Waltherus Canonicus Hildeſ. 1325.	*Albertus.*	*Conradus Comes 1270.*	*Walburgis uxor Domini de Heldrungen.*	*Gebbardus Comes Wernig. 1266. Obiit ante annum 1315.*	*Fridericus 1299.*

Child of Walburgis: *Fridericus*

Children of Conradus:

Lutgardis.	*Fridericus 1358.*	*Albertus. 1301.*	*Conradus 1358.*

Children of Gebbardus Comes:

Johannes. 1322.	*Gebebardus 1325.*

A Ludolfo Amelungsbornenſi archimandrita ære alieno gravato Herwicus Riddagshuſanus emit bona quædam in Salinis Lunæburg. quod ut ſine contradictio-

ne

ne fieret contractui conſenſit Guillermus abbas Ciſtercienſis anno M.CCC. XXVI.

Biennio poſt idem Hervvicus à Ludolfo cognomento Slengerdus, Ludolfo, Johanneac Ottone Ludolfi filiis, Harnitho & Rudolfo Harnithi filiis, eorumque heredibus impetravit, pagum Quernheim, Henrico, Erneſto ac Wilhelmo, Ducibus Brunſvicenſis, aſſenſum præbentibus.

Hervvico abbati de ſuis bene merito ſcriptum eſt rude epitaphium, quod lapideâ ſepulcro amoto à quodam philohiſtore deſcriptum & conſervatum eſt.

Abbas Herwicus, ocii luxuſque inimicus,
Pauſat in hâc tumba, mens ut ſpecioſa columba
Vivit in Chriſto, quem templo adoravit in iſto.

In poſtremo verſu puto legendum oravit.

20\. DIDERICUS ab Heinde Prioris officio functus eſt anno M CCC XXV. & ſequentibus: demortuo Herwico, quod invenio factum anno M CCC XXXII. eſtus eſt abbas. Hoc tempore monaſterium Riddagshuſanum redactum erat ad extremam inopiam, adeo ut monachi ſuos agros elocare aliis cogerentur, unde parum illis emolumenti. Profuit vigilantia Præſulis & labor improbus, quod perierat, reſarcivit.

Anno M CCC XXXVI. Joannes Decanus templi S. Bonifacii apud Halberſtadenſes, judex & conſervator datus monaſterio Riddagshuſano à Pontifice Romano, rogatus eſt à monachis, ut in controverſia, quæ erat ipſis cum ruſticis pagorum Hotzelem & Ziſtem, officio ſuo fungeretur, & authoritate, qua pollebat, colonos ferocientes coërceret. Non poterat præſens adeſſe Decanus, monachis tamen æqvum petentibus, inique deeſſe noluit: ideoque ne res cum ſcandalo conjuncta æquo diutius differretur; moreque malum augeretur, vices ſuas mandavit Henrico Præpoſito San-Ludgeriano propè Helmæſtadium. Is cauſâ cognita pro cœnobitis pronunciavit ſententiam: cui cum inſolentius contradicerent ruſtici, ab eodem è veſtigio ſunt excommunicati. Spreverunt aliquamdiu fulmen Eccleſiaſticum vecordia quadam, ſed nimium ejus onere preſſi reſipuere tandem, uſique interceſſore Ottone Duce Brunſvicenſi, tam à Decano San-Bonifaciano, quàm ejus Vicario Præpoſito veniam & banni relaxationem impetrarunt. Facta ſunt hæc anno M CCC XXXVI.

Ludolphus Veltheimius, Henrici Equitis aurati frater, hoc tempore Riddagshuſii monachus conſecratur. Erat is à juventute in litteris humanioribus & Theologia præclarè inſtitutus: quamobrem poſt annos XXIV. propter præclara animi corporiſque bona dignus viſus fuit, qui à monachis Mariærodenſibus abbas eligeretur: ultra quadriennium tamen non præfuit: nam officio renunciavit anno M. CCC. LXIV.

Prædium monaſterii Riddagshuſani Oſlebium in contumeliam Ducum Brunſvicenſium, Ottonis, Magni, & Erneſti, ab eorum hoſtibus nuper exuſtum erat. Damnum cùm non leve eſſet, optimi principes religioſorum hominum fautores, de ſarciendo iſto fratribus providerunt anno M CCC XXXV.

Præcedente anno Joannes Pontifex Romanus privilegio quodam Riddagshuſanos donarat: id hoc eodem anno Roma delatum Abbati Diderico exhibitum eſt.

21\. FRIDERICUS defuncto anteceſſore, anno M. CCC. XLIII. concordibus ei ſuffragiis ſubſtitutus eſt. Quo ipſo tempore Janus à Marenholt adoleſcens à patre Gunceline & matre Heidwigâ Riddagshuſium deductus cucullum ſumſit.

Incertum eſt an Fridericus ſua ſponte officio renunciarit: aut facere id juſſus ſit. Hoc conſtat ſurrogatum ei Johannem tertium.

22\. JOHANNES III. cœpit anno M CCC XLVII. quo an mortuus ſit, ſive reſignarit munus, iterum non ſatis liquet. Deprehendi tamen Fridericum hoc ipſo anno rurſus monaſterio præfuiſſe, & in munere iſto usq; ad annum M. CCC. XLVIII. perſtitiſſe.

23\. EGGELINGUS eligitur anno M CCC XLIIX. Quo tempore monachi Mariærodenſes litigabant cum Epiſcopo Hildeſienſe Henrico, Duce Brunſvigio. Is cum à nonnullis Canonicis electus eſſet Antiſtes, inventi ſunt qui æmulum ei oppoſuerunt Ericum Comitem Schawenburgium. Cum hoc faciebat civitas Hildeſienſis,

ſis, cujus auxiliis uſus ſubinde urbe egreſſus vicina loca depopulatus eſt. Everſa-tum fuit Pipelburga arx: everſus vicus, ſive opidulum urbi contiguum, cui nomen ab Aggere. Iraſcebatur Hildeſienſibus graviſſimè Henricus Antiſtes, cumque eos ingenti prælio in paſcuis ſuburbanis victos domuiſſet, amplius coëgit imperata facere, ſibique in extruendâ munitione auxilium ferre: Eam Mariæ-burgum nominabat, nimirum frenum, quod cives rebellantes compeſceret. Propugnaculum hoc in fundis Mariærodenſibus extructum, eaque occaſione monaſterio longè graviſſima mala illata eſſe querebantur monachi apud omnes: apud Papam cumprimis, adjuti à toto Ciſtertienſi ordine. Hujus interceſſione motus Pontifex Henricum Epiſcopum abſtentum reddidit, quod brutum fulmen ille magno animo ſprevit, riſitque. Elapſis aliquot annis, cum Mariærodanus præſul, ſcenæ & tempori ſerviens, cogitaret, lenta eſſe auxilia, quæ à Papa expectaret, adverſarium verò potentem, adhibito in conſilium Eggelingo, Riddagshuſano archimandrita, viro & moderato, & ſapiente, conditiones quaſdam tranſigendi cum Epiſcopo, arbitris ad id delectis obtulit. Petebat pro bonis ſibi ſuiſque ereptis, alia quæ neque minora, neque minus commoda eſſent, monaſterio ut tribuerentur. Aſſenſit Epiſcopus, & pro ademptis alios eis fundos obtulit perliberaliter, ab eo tempore usque ad finem vitæ monaſterio amiciſſimus. Tranſactio facta eſt anno Chriſti M CCC LIII. feria tertia poſt Dominicam Lætare. Invenit iſta æquanimitate apud Pontificem Romanum gratiam Epiſcopus, quòd interea æmulus obiiſſet, ſine tergiverſatione confirmatus. Qui in Epiſcopatu deinceps vixit, vicinis, ſubditis & omnibus æquè carus. Novo primus omnium Hildeſienſium Epiſcoporum uſus eſt titulo, quo Dei gratia Papæ æquatur, certè copulatur: Hoc modo: *Henricus DEI & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus Hildeſienſis.* Qua occaſione, ſpontene an coactus juſſuſque id fecerit, non habeo quod affirmem.

Dies anniverſarius dedicationis templi Riddagshuſani jam annis LXXX. celebratus fuerat tempore ſolſtitii æſtivi, die XV. Junii, Vito martyri ſacra. Eam feſtivitatem hoc tempore mutare viſum fuit. Cauſſa erat. Pro more Romanæ Eccleſiæ ſuperiorum ſeculorum Abbates à Pontificibus maximis, diverſisque Epiſcopis impetrarant indulgentias largas, copioſas, quæ dicta die annuatim erogatæ, à plebe ex vicinis urbibus, opidis & pagis confluente, ſuperſtitiosè magis, quàm piè, vel prudenter oblata pecunia redimebantur. Fiebat autem, ut partim ſegetes & agri paſcui à tanta multitudine conculcarentur, partim arbores teneriores ad extruendas pergulas vel tabernacula ſucciderentur: ut taceam ſcelera, quæ ab inſana colluvie, mero largiore victâ, invitante lætiſſimo anni tempore, flagitiosè perpetrabantur. Hæc perſpicaci & intelligenti Abbati corrigenda videbantur. Quia verò ſine conſenſu Prælati majoris ordinis Ciſtertienſium re graviori nihil temere mutandum erat, hujus negotii cauſſâ ſcripſit ad Joannem Ciſtertii Abbatem rogans enixè, ut feſtum dedicationis in alium diem commodiorem transferretur.

Ciſtertienſis gratificaturus monaſterio rem in capitulo, ſive Synodo monaſtica generali, proponit, Patrumque ſingulorum ſententias exquirit. Cenſuerunt omnes, æquvum peti: diem ſolemnem rejiciendum in Autumnum: caveri iſta ratione multa inconvenientia, quæ Deum juxtà ac homines offendant. Nec tamen ſine Pontificis Romani aſſenſu id publicandum putabatur. Miſſus igitur ad Innocentium Sextum Papam legatus, qui preces Abbatis Riddagshuſani, quidque patres huic indulgendum cenſuiſſent, exponeret, auditurus voluntatem univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi. Innocentius auctoritate Papali confirmans Decretum Ciſtertienſe ad Henricum Antiſtitem Hildeſianum bullam mittit, per quam Dedicationis dies transfertur in Dominicam proximam à feſto Divi Martini Epiſcopi. Huic diei Papa indulſit omnia privilegia, omnesque quas prior habuiſſet, indulgentias: jubetque; vicinos, ſalutis ſuæ ſatagentes, illuc cum reverentia confluere & pœnarum relaxationes eleemoſynis redimere. Hoc Pontificium diploma Hildeſienſis Antiſtes, de quo ſuprà, Riddagshuſium veniens, publicari è ſuggeſtu ſolenniter mandavit: ipſe novam feſtivitatem, adjectis etiam de ſuo liberaliter indulgentiis, honeſtiorem auguſtioremque reddidit. Contigerunt iſta anno Chriſti M CCC LV.

Innocentii Papæ ſucceſſor Urbanus V. anno Pontificatus ſui primo monaſterio

huic omnes libertates & immunitates, à prædeceſſoribus ſuis, ſive per privilegia, ſive per alias indulgentias conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium actionum, à Regibus & principibus, vel aliis Chriſti fidelibus, donatas, auctoritate ſua confirmavit. Bulla data eſt Avinione anno M.CCC.LXIII. IV. Non. Novembr.

Magnus junior, Dux Brunſvicenſis, intuens neceſſitates diverſas monaſterii Riddagshuſani, volensque à vexationibus & oneribus ipſum monaſterium relevare, ex ſpeciali gratia, & in remedium animæ ſuæ & parentum ſuorum, à ſuſtentatione & paſturâ venatorum cum canibus venatilibus perpetuo monaſterium cum ſuis curiis liberum facit & exemptum. Teſtes litteris, anno M CCC LXIX. datis, adſcripti ſunt, Erneſtus, Comes de Gleichen, Joannes de Honlage & Sigfridus de Salder, milites, Sigfridus de Salder, famulus, Henricus Ducis Cancellarius.

24. DIDERICUS II. anteceſſori ſuo ſtatim eodem menſe ſuffectus eſt. Primo regiminis ipſius anno Bartoldus ab Honlage, eques auratus, fratribus ſuis Ludolfo & Gerhardo, Bartoldi equitis aurati filiis, annuum ſacrum procurat, ſibi ipſi fraternitatem comparat. Fraternitas iſta de qua non ſemel dixi, ſive bonorum operum & illis debitæ remunerationis communio, à Riddagshuſenſibus conceſſa fuit, non privatis tantum hominibus, ſed integris ſacerdotum, monachorum, monialiumque collegiis. Uſus earum erat, ut quoties defunctus quiſpiam de conjuncto & ſociato quodam monaſterio, illi collegio fuiſſet indicatus, pro eo mox inſtituerentur orationes, vigiliæ, miſſæ, jejunia & eleemoſynæ. Quæ pietatis officia pari ratione ab aliis quoque pro ſe poſt obitum fore ſinguli exſpectabant. Centuriatores Magdeburgici inſtitutum hoc ſuperſtitioſum referunt ad auctorem S. Bonifacium, citata ejus ad Optatum Epiſtola. Tempore Caroli M. in uſu fuiſſe fraternitates dubium non eſt. In ſocietatis iſtius catalogum apud Riddagshuſium inſcriptos invenio monachos Sanctægidiano Brunſvicenſes, Vallis-Marianæ, Ballenſtedenſes, Schoningenſes, Hamerslebienſes, Michaëlſteinenſes: Moniales Waltingerodenſes, Stederburgias, Trubecenſes, Dorſtadienſes, Stotterlingiburgias, Heningenſes, Eglenſes, Nendorfienſes, & S. Crucis prope Brunſvigam. Gaudebant eodem beneficio Canonici primarii templi apud Hildeſienſes, & Halberſtadenſes, & alii.

Erat tum temporis monachis Mariærodenſibus controverſia cum Senatu populoque Hannoverano. Querebantur monachi lædi ſe multis modis in bonis extra urbem, & curia, quæ intra mœnia ad ipſos ſpectabat. Cauſſa cognita ac compoſita eſt per Engelhardum Amelungsbornenſem, ac Didericum Riddagshuſanum Abbates viros prudentes, quorum pia cura animi utrinque placati, & diſſenſiones planè conſopitæ ſunt, anno M CCC LXXI. In ſequenti anno Luthardus nobilis Dominus à Meinersheim Riddagshuſanis donavit jus patronatus fani Winnigſtedenſis, Magno Duce Brunſvicenſe donationem approbante.

25. HERMANNUS ejus nominis alter, cognomento Kiſſenbruggius, cœpit anno M CCC LXXII. quo anteceſſor ex hac in aliam vitam migravit. Fuerat ejusdem ſacellanus, & propter eruditionem mediocrem, ſubactumque & liberale ingenium, miſſus fuerat nuper Mariærodam, ut monaſterio ad ſummam paupertatem redacto, peneque corruenti, opem ferret. Fecit quod potuit, verùm iſta erant loci vulnera, quæ alium Machaonem efflagitarent. Quia verò Riddagshuſanis fratribus nota erat Kiſſenbrugii induſtria, ſagacitas & fides, defuncto Diderico, Mariæroda revocatum, ſui monaſterii abbatem concorditer elegerunt: in quo officio cum laude verſatus eſt, minimè interim oblitus Mariærodæ, cui moderatorem dedit Conradum virum bonum, ſed ætatis provectioris, quem paulò pòſt mors ſuperveniens ad plures tranſmiſit. Succeſſere Conrado unus & alter, verùm pertæſi ſplendidæ in loco deſerto miſeriæ, officio & dignitate ingloriâ ſe abdicarunt. Has frequentes mutationes, quæ tamen ſolatii & emendationis nihil, ac ne ſpem quidem aliquam oſtenderent, cum conſideraret Gerhardus Antiſtes Hildeſienſis, ex Baronibus Bergenſibus ad ripam Viſurgis orientalem propè Mindam natus, princeps litteratiſſimus, abbatem Riddagshuſanum ſui muneris admonuit, daret operam, ne Mariæroda negligenter curata imo neglecta, penitus deperiret. Qui ne periclitaretur de jure, quod ei competebat, alterique id cederet, conſilio cum fratribus habito, ut malorum iſtorum ærumnarumque apud Mariærodam finem faceret, profectus eò duxit ſecum tres fami-

familiæ ſuæ monachos, Hermannum Peinenſem Burſarium, Henricum Eveſanum Priorem & Joannem Oldendorpium ſpectatæ probitatis & induſtriæ viros. Horum fidei, eliminatis tamen prius fucis & inertibus fraterculis, & quos retinebat ad ſeveriorem diſciplinam revocatis, monaſterium ruinæ proximum, commiſit, ſic ut Hermannum Abbatem, Henricum Eveſanum, ex academia Pragenſi non ita nuper reverſum, Priorem deſignaret. Invitiſſimi hi exibant Riddagshuſio, præque cæteris Oldendorpius, qui ægrè à bibliotheca, cui præfectus erat, quamque libris manu propria exaratis egregie locupletarat, avelli poterat. Verum cùm aliter non liceret, morem geſſerunt Antiſtiti ſuo, cujus paternam ſolicitudinem intuentes, de felici in re difficili ſucceſſu ſpem alebant certam, quæ nequaquam ipſos fefellit.

Per idem tempus Carolus IV. Rom. Imp. Pragâ conceſſerat in marchiam Brandenburgenſem, quam nuper ab Ottone Bavaro, Ludovici Imp. F. genero ſuo emerat, & Tangermundæ ad confluentem Albis & Angræ deſidebat. Eò profectus Hermannus Riddagshuſanus Antiſtes Imperatori ſe ſuumque monaſterium humiliter commendavit, ſtatum etiam Mariærode miſerabilem expoſuit. Cæſar Riddagshuſanis confirmavit univerſa & ſingula privilegia, libertates, immunitates, conſvetudines, jura, gratias, à prædeceſſoribus ſuis conceſſas. Diploma datum eſt Tangermundæ anno M CCC LXXVII. XVII. Kal. Novembr. Præterea condolens inopiæ & ſolitudini Mariærodæ, quòd cùm olim XXX. monachos Deo militantes, aluiſſet, nunc vix tribus quatuorve ſuſtentandis ſufficeret, abbati ejus loci miſit trecentas ſexagenas groſſorum Bohemicorum Pragenſis monetæ, quibus reditus oppignoratos reluerent, novos ſibi compararent. Hujus negocii curam ſimul demandavit Riddagshuſano, daret ipſe operam, ut pecuniæ, in uſum quem ordinaſſet, minimè verò in alium converterentur. Litteræ datæ ſunt anno eodem XI. Kal. Nov.

Hoc eodem tempore vixerunt Ludolfus, Henricus & Joannes à Veltheim, Henrici filii. Hi beneficio Epiſcopæ Halberſtadenſis in pago Cremlingen, Brunſuigæ finitimo, & quinto circiter lapide inde diſtante, poſſidebant decimam frugum omnium agrorum, præterea quatuor manſos, quos vocant, cum curia una & areis duobus. Hæc omnia impetrato Antiſtitis Halberſtadenſis, totiusque collegii primarii conſenſu, vendiderunt monaſterio Riddagshuſano perpetuo poſſidenda. Henricus & Joannes progenitores ſunt omnium, qui ab eo tempore uſque in præſentem diem ex fundatiſſima Velthemiorum familia lucem aſpexerunt. A Joanne deſcendit linea alba, die weiſſe Part, ab Henrico die ſchwartze Part. Sed hanc familiam diligenter à nobis enucleatam, cum Deo bene juvante, brevi in lucem producemus.

26. HENRICUS I. cœpit anno M. CCC. XCII. Hujus temporibus Fridericus Magni Torquati Ducis Brunſuicenſ. F. *Princeps bellicoſus & prudens*, ut Cuſpinianus in vita Ruperti Imp. *optatiſſimus, optimus & ſanctiſſimus, quique multo labore ad pacem & juſtitiam contenderet*, ut Cranciús Metrop. l. XII. c. II. & Sax. l. X. c. XIX. cum abrogatum prius fuiſſet Imperium Wenceslao Ignavo, à Septemviris Francofurti in Comitiis Cæſar deſignatus eſt: verum paullo poſt & regnum & vitam amiſit. Novi forte & non ita boni res exempli videri poterat iſta à regno legitimi Cæſaris deturbatio: ſed apud hominem voluptuarium & flagitioſum nullus erat admonitioni locus, fruſtraque tam primates Imperii, quam germani fratres, Sigismundus & Joannes, aliique ex conſanguineis, à belluina fœditate & turpitudine eum avocabant. Memorabile eſt faſtisque dignum, quod de hoc monſtro annotarunt hiſtoriographi. Etenim qua die Noribergæ baptiſatus eſt, ejus diei nocte Præpoſiti ædis Sebaldinæ domus conflagravit, & infans Imperatoris aluo ſolnta aquas baptiſmi inquinavit. Quidã urina aquas tum illas, & altera fœditate altare fuiſſe contaminatum tradidere, in quod deſignatus Rex Bohemiæ adhuc infans, conſuetudine gentis illius fuiſſet collocatus. Nonnulli addunt & matrem ipſius eo partu mortuam. Infauſta hæc omnia flagitioſam & infamem vitam, ac in gubernatione infelicitatem extremam præſignificarunt. Cum igitur annos XXII. fœde indigneque imperaſſet, ſententia Septemvirorum regno exſutus eſt. Diploma exauctorationis à Joanne archiepiſcopo Moguntino publicatum, adhuc ſupereſt, in quo tum alia vecordis hominis facinora recitantur, tum quod cartis puris (Græci χάρτας ἀγράφους vocarunt) Imperatorio ſigno ſignatis immodicus, magnarum confuſionum occaſiones dederit. Et talis quidem Wenceslaus. In Friderico Brunſuigio

erant omnia, quæ in principe viro requireres: in litteris mediocris eruditio, animi ut magnitudo heroica, ita corpus robuſtum & laborum tolerans, inſita, vel potius innata, clementia & moderatio, quæ cum ſingula Electoribus Imperii commendabant. cum Moguntino intercedebant ei ſimultates, partim obſcuræ, partim apertæ. Erat is Joannes, familiæ Naſſovicæ, homo callidus & verſipellis, qui quantum acceſſiſſet honoris & potentiæ Brunſuigio, tantum ſibi metus & periculi enaſci forte non inaniter conjiciebat. Qua de cauſſa principiis obſiſtendum ratus, Henricum Waldeccium Comitem induxit, ut domum reverſurum novum regem invaderet, vitaque privaret. Geſſit ille morem Antiſtiti, & in via regia Cæſarem nihil tale metuentem, cum ſicariis aliquot, ex quibus Fridericus Hardingshuſius & Cunomannus Falcoburgius infami apud poſteritatem nomine indicantur, violenter adortus, poſt modicam decertationem partim fugatis, partim captis comitibus illuſtri loco natis, Fridericum aliquot vulneribus confoſſum occidit. Propter hoc enorme & parricidiale facinus, ab homine Eccleſiaſtico flagitioſe perpetratum, commotum eſt univerſum Imperium. Auditæ præterea paſſim voces liberiores: ſparſa dicteria in Moguntinum: inter quæ uſurpatum fuit & illud vetus παροιμιακὸν: MOGUNTIA AB ANTIQUO NEQUAM.

Poëta quidam ejus ſeculi, ingenii non infelicis, artis vero nullius, reliquit nobis Epitaphium, quod adſcribam:

Regula non ficta: NEQVAM MOGVNTIA dicta:
Germen Pilati, nunc denuo vivificati:
Sicut dum vixit, iterum Chriſtum crucifixit.
Namque ducem ſtravit Fridericum, qui quaſi David
Brunſuic protexit, gentemque ſuam bene rexit.
Tranſtulit ad Chriſtum reſpublica, dicitur, iſtum.
Pro qua perrexit, Francfort, heu! tunc ſibi texit
Traditio veſtem, quam mortis poſtea teſtem.
Nequiter inflixit, prope Fritzlar vulnera fixit.
Heu! heu! heu mille: miles validiſſimus ille
Cernitur ipſe fuga, qui ſæpius ardua juga
Belli contrivit. Spes eſt quod in æthere vivit.
Nunc jacet in crypta, de quo ſunt talia ſcripta:
FRE fremit in mundo: DE deprimit alta profundo:
RI rigidum flectit: CVS cuſpide mucroque plectit.
Vivat ut in cælis Dux inclitus ille fidelis
Optet ei quisquis, qui ſcriptis condolet iſtis.

Diſtichon penultimum, quod literis initialibus ac intermediis nomen Friderici Principis indicat, vetuſtius eſſe & ex hiſtoria Friderici I. Imperatoris repetitum, didici ex Chronico Schawenburgio Hermanni Lerbeccii, Dominicani Mindenſis, MS. quod edendum aſſervo, ubi ita legitur:

FRE fremit in mundo: DE deprimit alta profundo:
RI ius rimatur: CVS cuſpide cuncta minatur.

Fratres interemti novi Romanorum Regis, Otto archiepiſcopus Bremenſis, Bernhardus & Henricus, Duces Brunſuicenſes, germani necem indignam, ut par videbatur, & multi auctores erant, vindicaturi, armata manu aggreſſi ſunt, tam adminiſtrum parricidii Waldeccium; quam ejus architectum Moguntinum, ac utriusque terris depopulationibus & incendiis magnam vaſtationem intulerunt. Erant in caſtris eorum Otto Gaſſiæ Lantgravius, erant pene omnes totius Saxoniæ Comites & Barones: qui ſinguli enorme illud homicidium ulciſci volebant. Verum Principes Brunſuigii iſta expeditione in tantum æs alienum inciderunt, ut nonnullis arcibus, præfecturis, aliisque, tam intra urbem Brunſuigam, quam extra eam poſſeſſionibus juribusque, partim divenditis, partim oppigneratis, avitam hereditatem in anguſtum dedu-

deduxerint, exuviis iſtis præter ſpem aliis inſolentioribus redditis. Parricida Hardingshuſius interceptus pœnas Henrico Principi perſolvit diſſectione corporis in quatuor partes, quæ totidem rotis impoſitæ ſunt, ut ſcribit auctor Chronici Saxonum vernacula linqua exarati, cujus ſententiæ ſuffragantur Spangebergius in Chronico Saxonico, Henniogeſius in Genealogiis, & alii. Moguntinum ab infamia cædis iſtius liberare conatur rerum Moguntiacarum ſcriptor, Jeſuita, Nicolaus Serarius producto inſtrumento, in quo parricidæ Moguntiuum excuſant. Verum rei iſtius fides eſto penes auctorem. Saoe Gobelinus Perſona, homo diligens, minimeque vanus, contrarium affirmat in Coſmodromio his verbis: *Henricus* (Comes Waldeccius) *tunc advocatus in Roſteborg ex parte Archiepiſcopi Moguntini aſſeruit, ſe de mandato ejus hoc feciſſe, quod Archiepiſcopus negavit, & coram principibus ſe de hoc juramento purgavit.* Huic ut fidem habeam facit, quod in vicinia, ubi iſta acciderunt, vixit, in diœceſi nempe Paderbornenſi, cujus Antiſtes metropolitanum agooſcit Moguntinum, cui peperciſſet Gobelinus, ſi per legem veritatis hoc ei licuiſſet. Cædes Friderici Cæſaris perpetrata eſt an. Chriſti M. CCCC. pridie Pentecoſtes, die Bonifacii Saxonum & Turingorum Apoſtoli, quæ incidit in quintum Junii. Exuviæ Brunſuigam delatæ in templo San-Blaſiano humatæ ſunt.

Triennio poſt hanc cædem Henricus abbas Riddagshuſanus interfuit tractationi rei alicujus controverſæ inter Bernhardum & Henricum Duces Brunſuigios, ac Bartoldum Kegelium Regiæ-Lothariæ Abbatem ordine XXIV.

27. BURCHARDUS. cœpit M. CCCC. VII. ſequente anno in Saxonia magna fuit anonæ gravitas; Cujus cauſſa exiſtimata fuit hyems ſolito aſperior diuturniorque. Multi homines fame perierunt: ſecuta eſt peſtis non minus crudelis: ut ita annus iſte gemina calamitate inſignis fuerit. Octennio poſt, hoc eſt anno M. CCCC. XVI. Joannes Abbas Ciſtertienſis Nicolaum Heidenricum, abbatem monaſterii Laockheimenſis in diœceſi Bambergenſi, hominem eximie doctum & veneranda caoicie ſpectabilem, legatum ordinavit, ut viſitandis reformandisque per Germaniam familiæ Ciſtertienſis monaſteriis operam daret. Venit is Mariæ-rodam menſe Novembri & evocato Riddagshuſano abbate negocium Reformationis poſtridie Eliſabethæ aggreſſus eſt. Extant leges, quæ tunc temporis monachis Mariærodenſib⁹ præſcriptæ ſunt. Langckheimenſe cœnobium, ut & hoc addam, in Sudetis montibus terræ Nariſcorum vicinis, non procul ab amœni flumine Mœni ſitum, fundatum eſt anno M. C. XXXII. imperante Lothario Saxone.

28. HERMANNUS III. eligitur anno M. CCCC. XX. præfuit annis XV. Propter ſapientiam & moderationem, quæ in eo ſingularis erat, multis arduis negociis adhibitus fuit: in quibus tractandis fideliter & feliciter verſatum conſtat. Erant à multis annis controverſiæ & lites inter Præpoſitum Cœnobii S. Mariæ prope Helmæſtadium, & cives ejus urbis: quæ cum viderentur aliquid mali parituræ, Epiſcopo Halberſtadenſi Joanni Hoimio placuit, negocium hoc commendare Henrico Sanct-ægidiano & Hermanno Riddagshuſenſi abbatibus, ut litium iſtarum finem facerent. Audiverunt coram in monaſterio Sao-Ludgeriano utramque partem, & negocio ex æquo bonoque dijudicato, diſſidentes ad concordiam reduxerunt. Factum anno M. CCCC. XXII. Friderico in monaſterio Divæ Virginis, Hermanno apud Ludgerianos Præpoſitum agente.

Poſt quadriennium evocatus eſt Mariærodam à Guidone Morimundenſi Abbate, cum quo erat Johannes Clarofontanus archimandrita, ut electioni novi abbatis Mariærodani intereſſet. Albertus Miltzingus, podagræ doloribus confectus, onere iſto liberari petebat, & impetrabat. Subſtitutus eſt ei Henricus à Bernthen, ætate juvenis, ſed præter literarum cognitionem oppido humanus, prudens, & induſtrius. Multa ejus in Mariærodam merita, quam ornavit ædificiis, conſtructo inter cætera templo, quod adhuc ſupereſt. Extat ejus Chronicon Mariærodenſe, de auctoris inſigni eruditione & ſtudio conſervandæ memoriæ rerum geſtarum teſtimonium perhibens. Vidi præterea quædam ejus Theologica: vidi poematica, ſeculum, quo vixit, redolentia. Dignus ſane eſt vir ille, qui apud poſteros aliquid famæ & nominis habeat. Exceſſit ex hac vitâ anno M CCCC LXIII. De Morimundenſi cœnobio hoc addo: eſſe unum ex primariis familiæ Ciſtertienſis ex Ciſtertio inſtar coloniæ deductum,

ductum, ſitum in Lingonenſi Galliæ Belgicæ Epiſcopatu cœpit anno M. C. XV. quo eodem tempore Divus Bernhardus Clare-vallam intravit. Ex Morimundo in Germaniam deductæ ſunt itidem coloniæ duæ, collegia Veteris campi & Veteris-montis, hujus ordinis monaſteriorum apud nos fœcundæ matres. Vitam cum morte commutavit Hermannus Riddagshuſanus antiſtes anno M. CCCC. XXXV. VI. Kalend. Auguſti.

29. HENRICUS II. ſucceſſit Hermanno, eodem, quo ille obiit menſe & anno. Vidit ſuo tempore peſtilentiam horribilem graſſari per univerſum orbem terrarum infinita hominum millia auferentem. Riddagshuſii intra ¼ menſis ſpacium obierunt XXXVI. homines: octo periculoſe decumbentes ægre reſtitui potuerunt: plerique alii fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt. Erat is annus Chriſti M. CCCC. XXXIX. Eodem anno abbas Henricus emit decimas frugum in agro pagi Valbergenſis, à Joanne & Ludolfo, Ludolfi filiis, & Ludolfo Joannis filio, Honlagiis, depenſis duobus aureorum Rhenenſium millibus. Proxime inſequenti anno interfuit inaugurationi templi Mariærodenſis: cujus anterior pars ab Henrico Berntenio abbate, quem dixi, neceſſitate urgente, ædificari cœpta, & licet difficulter, abſoluta. Solemnitas iſta confluentibus multis perſonis eccleſiaſticis magnifice & ſplendide pro re nata per IX. dies continuata eſt. Exceſſit ex hac vita Henricus abbas anno M. CCCC. XLV. VII. Kal. Maji.

30. BALDUINUS II. cœpit anno eodem. Per id tempus in univerſo orbe Chriſtiano frequentes audiebantur querelæ de ordine monaſtico: quod neglecta ſeveriore majorum diſciplina, inſtitutisque arctioribus, ſui ipſius immemor plurimum degeneraſſet, ac in pudendam ἀταξίαν prolapſus eſſet. Hanc intolerabilem reipublicæ Chriſtianæ labem ex proceribus Eccleſiaſticis, qui è medio ſublatam vellent, inveniebantur aliqui: plerique, ipſi quoque ſui officii obliti, diſſimulando in re peſſima connivebant. Magnus Hildeſienſis Antiſtes è Ducibus Saxoniæ Laoburgicis ortum trahens, cui diœceſis erat ampliſſima, & in ea utriusque ſexus monaſteria bene multa, ſui ſeipſum officii admonens adhibitis viris religioſis ac circumſpectis, epiſcopatus ſui cœnobia viſitari reformarique curavit omnia. Obiit Balduinus abbas anno M. CCCC. LI.

31. JOHANNES IV. anteceſſori ſuo ſtatim ſurrogatus eſt. Eo ipſo anno Nicolaus de Cuſa. Germanus, natus ad ripam Moſellæ fl. in diœceſi Trevirenſi, Epiſcopus Brixienſis & titulo S. Petri ad Vincula, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Pontificis Maximi legatus, Saxoniam tranſiens, in vitam & mores clericorum inquirebat diligenter, eosque ad fidem Romanæ ſedi ſervandam, quibus poterat modis, hortabatur. Magdeburgi cum eſſet tempore verno, concilium ibi coëgit provinciale: publice concionatus eſt cum magna auditorum admiratione, erat enim diſertus, & ſingulari vitæ morumque præditus ſanctimonia. Helmæſtadium transſiens, accitu Henrici Pacifici Brunſuicenſium Ducis adiit Wolfenbutelam, ubi ante paucos dies principis conjunx Helena Adolfi Ducis Clivenſis F. marito filiolam enixa erat. Hanc pater religioſus à Cardinali ritu Chriſtianis uſitato ſacra unda ablui, & à peccatis expiari voluit. Nomen puellæ datum Margaritæ: nubſit poſtmodum Wilhelmo Comiti Hennebergio, principi laudatiſſimo, ipſa Heroina nulli ſui ordinis ſecunda. Cardinalis Cuſanus Brunſuigam inviſurus, cum principe, à quo honoris cauſſa deducebatur, deflexit Riddagshuſium, ibique honorifice exceptus cumulateque tractatus in ſui memoriam indulgentias prolixas cœnobio rcliquit.

32. JOANNES V. defuncto anteceſſore ſuo nimirum anno M. CCCC. LIV. electus eſt & inauguratus. Non diu præfuit, cujus rei cauſſam inveſtigare non potui. Credibile eſt ſubterfugientem labores gubernationis oneroſæ, & tranquillæ ſilentia vitæ amantem, officium abdicaſſe: Conſtat enim ex monaſterii martyrologio poſt obitum Matthiæ ſucceſſoris rurſus ad gubernacula pertractum.

33. MATTHIAS cœpit anno M. CCCC. LVI. quo tempore cum à noſtris Belgradum Hungariæ adverſus Turcas, Imperio Occidentis inhiantes, munitiſſimum propugnaculum fortiſſime defenſum fuiſſet, Pontifex Romanus in memoriam illuſtris & incruentæ victoriæ feſtum transfigurationis Chriſti quotannis VI. Auguſti celebrandum inſtituit. Biennio poſt ſeculo iſto infelici, in urbe etiam Brunſuiga cultus idolatrici accumulati ſunt. Colebatur ibi ab annis plus minus CCC. XL. tanquam nu-

men

men tutelare S. Anctor, olim Trevirenſium Antiſtes, ejusque λείψανα, ſive reliquiæ in arca cuprea reconditæ in æde Divo Aegidio ſacra religioſe aſſervabantur. Huic ſuo idolo abbas ejus loci Joannes, ex eleemoſynis & oblationibus quotidianis opulentior redditus, plus honoris quàm ab Anteceſſoribus ſuis factum eſſet, tributurus, oſſa carioſa viliori exemta in arcam repoſuit argenteam. Addidit etiam diem feſtum, quo tum hujus, tum aliorum patronorum memoria quotannis ageretur. Interfuit ſuperſtitioſo huic actui Riddagshuſanus abbas, ratus debere ſe hoc & religioni & viciniæ. Credibile eſt Deum graviſſime iſti idolomaniæ iraſcentem, mala, quæ ſubſecuta ſunt, hiſce regionibus immiſiſſe. Etenim & ipſe Nazianzenus horribile & atrox inprimis eſſe dicit, νεκύων λείψανα σέβειν. Multa præterea in eandem ſententiam dicuntur in vita S. Antonii eremitæ, per Athanaſium deſcripta, ab Evagrio è Græco translata.

Vix effluxerant ab hoc ſuperſtitioſo actu anni duo, cum horribilis & inaudita in omni memoria peſtilencia Saxoniam invaſit. Tollebat illa è medio, non tam fœminas vel pueros, quam juſtæ ætatis viros, qui urente malo correpti pene extinguebantur univerſi. Propter communem iſtam calamitatèm in hiſce locis inſtituta ſunt ſacra publica in templis & ſacellis, ſpectatoribus diſcalceatis cum tædis ardentibus eo catervatim confluentibus. Indicta præterea jejunia ſolemnia, quoad ira Dei mitigata plaga divinitus immiſſa ceſſare videretur.

Obiit Matthias abbas anno M. CCCC. LXXIII. IIX. Idus Junii.

34. Defuncto illo officium iterum delatum eſt ad Joannem V. Màtthiæ anteceſſorem, ſed aut non accepit illud, aut non diu adminiſtravit. Electus eſt igitur EBERTUS, in urbe Brunſuicenſi honeſto loco natus. Reliquit induſtriæ piæ monumentum pulcerrimum, nempe ædificium lapideum, in uſum bibliothecæ extructum, cui abſoluto, ne memoria rei intercideret nomen ſuum incidi juſſit his verbis: Anno Domini M. CCCC. LXXXIIX. tempore Eberti Abbatis. Sequentibus annis deſtinatum fuit ſcholæ & minori, ut vocant dormitorio. Impetravit idem Abbas à Pontifice Romano jus geſtandæ infulæ Epiſcopalis, interceſſione Henrici XXVI. abbatis veteris campi, anno M. CCCC. LXXXII. Sed ita impetravit, ut ſoli ſolicitatori dati ſint CC. ducenti ducati: quid reliquis in aula Papali vulturibus & harpyis ad hujusmodi prædas intentis, ceſſerit, non eſt annotatum. Infulam Ecberto inſequenti anno impoſuit Epiſcopi Halberſtadenſis ſuffraganeus, præſentibus Amelungsbornenſi, Mariæ-vallenſi & Mariærodano, abbatibus, aliisque tam ex nobilitate, quam vulgo hoſpitibus bene multis.

Hoc eodem tempore vitam cum morte commutavit, ac Riddagshuſii apud majores ſuos terræ mandatus eſt Riddagus à Wenden, homo antiqua virtute &, fide impenſe ad ſuperſtitionem uſque religioſus. Erat ei pater Ludolfus ſanctimonia & integritate vitæ conſpicuus, qui hunc Riddagum, cæterosque filios ſuos, ab ineunte ætate & literis imbui, & ad virtutem aſſuefieri curavit. Ex his Eggehardus Halberſtadii & Hildeſiæ Canonicum egit, cumque animadverteretur in eo acumen ingenii & prudentia ſingularis, Hildeſiæ munus Præpoſiti ei demandatum eſt, quod annis bene multis laudabiliter adminiſtravit, & inter cætera monaſterii San-Gothardini reformationem plurimum promovit. Ibidem egregium pietatis ſuæ monumentum reliquit, πτωχοτροφεῖον ſcilicet ſive convictorium, tredecim pauperibus deſtinatum: cujus inſpectionem fratris ſui Riddagi filiis eorumque poſteris commiſit. Incidit hoc in annum Chriſti M. CCCC. LXXXVII.

Balduinus alter Ludolfi Wendeni F. in ſtudiis bonarum artium & litterarum aliquandiu verſatus ſacerdotium impetravit in æde San-Blaſiana apud Brunſuigam.

Tertius horum fratrum Riddagus, ut familiam propagaret, uxorem duxit. Fuit, ut dixi, homo perquam religioſus, & ſalutis ſuæ ſatagens: qui cœnobiis ſacrorumque hominum cœtibus quibusvis gratificari & prodeſſe nunquam non ſtudebat. Religionis ergo Aquisgranum pedeſter adiit, ſpectatum adoratumque reliquias, ſi credere fas eſt, omnium ſanctiſſimas: linteolum, videlicet, quo ſervatorem noſtrum in cunis vagientem involutum fuiſſe affirmant, ſudarium ab eodem reſurgente in ſepulcro relictum: induſium beatæ virginis Mariæ, & nonnulla alia, quæ Carolum M. Hieroſolyma, quam nunquam vidit, & Conſtantinopoli, quo non acceſſit, ſecum aſportata, Aquiſgrani in æde San-Mariana ſingulis annis ſeptem evolûtis publice ſpectanda, recon-

didiſſe,

didiſſe, audacia pene impudenti hominibus credulis perſuaſum fuit. Idem Riddagus Halberſtadii in templo primario, depenſa ad id certa pecuniæ ſumma, ordinavit, ut ſingulis diebus Veneris, campana major, cui Cantabonæ nomen, ad horam undecimam impellaretur: ui hoc ſigno admoniti pii homines, Filio Dei Chriſto Jeſu, pro amariſſima ejus paſſione & morte recitata ſemel atque iterum oratione Dominica, gratias agerent. Egit hoc anno M. CCCC. LXXXIX. Idem Helmæſtadii ante paucos menſes fieri curarat. Schoningæ in fano Divo Vincentio ſacro conſentiente Herwico Præpoſito San-Laurentiano, & Senatu opidano, aram extrui curavit eique certos reditus annuos adjunxit, unde ſacrificulus aleretur, qui ſingulis ſeptimanis minimum quinquies rem faceret divinam. In hoc negocium ſumma fuit cum cura Riddagus, ut literæ fundationis prolixe graviterque ſcriptæ, quas admirabundus ſemel atque iterum pellegi, demonſtrant.

Ludgeriano apud Helmſtadium conventui, recens ſecundum inſtitutum unionis Burſfeldenſis reformato, dono dedit ſacra Biblia, viginti aureis Rhenanis comparata, ea conditione, ut ſi à reformatione iſta monachi reſilirent, jus ipſi eſſet volumina iſta repoſcendi. Actum anno M. CCCC. LXXVII. Dies me deficeret, ſi omnia recenſere vellem, quæ ille pro honore divino, & augmento religionis hinc inde ordinanda ſuſcepit. Unum addam, & quidem eam ob cauſſam, ut noſtri temporis homines ſuperioris ſeculi tenebras intuentes, pro luce Evangelii, poſtliminio nobis reddita, æterno DEO gratias agant. Anno C. M. CCCC. LIIX. Brunſuigæ capitulum, ſive Synodum celebrabant monachi familiæ Divi Franciſci, præſentibus patribus cucculligeris circiter CCC. Ad hos acceſſit Riddagus à Wenden, datisque largiter eleemoſynis, in eorum ſodalitatem, quam vocant, adſcriptus eſt. Exemplum literarum tale eſt: *Generoſo ac ſtrenuo famulo Riddach* von Wenden/ *honeſtæque conſorti ejus ac liberis eorundem, frater Matthias, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac fratrum Minorum provinciæ Saxoniæ miniſter, ſalutem & gratiæ incrementa ſempiterna. Cum pia devotio favorque ſincerus vos ad ordinem noſtrum ſpeciali affectu inclinet, prout fratrum meorum fida relatione intellexi, hanc eandem veſtram devotionem affectu ſinceræ caritatis acceptans, Chriſtoque non immerito acceptabilem fore credens, piis ipſorum beneficiorum ſpiritualium viciſſitudinibus cupiens recompenſare, auctoritate reverendiſſimi Patris noſtri generalis miniſtri mihi conceſſa, vos ad univerſa noſtræ religionis ſuffragia, tam in vita recipio, quã in morte, plenam vobis participationem concedens, Miſſarum, vigiliarum, orationum, jejuniorum, caſtigationum, & aliorum ſpiritualium bonorum, quæ per fratres noſtros, & Sorores ordinis S. Claræ, in duobus millibus centum & octoginta ſex clauſtris per orbem Domino famulantes, operari dignabitur clementia ſalvatoris. Adjiciens inſuper, ut cum Domino placuit de miſeriæ præſentis exſilio ad cœleſtem patriam vos vocare, veſtriq; obitus, adhuc annuente altiſſimo longo tempore differendus, noſtro generali, vel provinciali capitulo, fuerint nunciati, ſpecialia pro vobis ordinabuntur ſuffragia, à fratribus noſtri ordinis perſolvenda, juxta quod conſuetudo eſt fieri pro noſtris ibidem recommendatis fratrib9 & confratribus, & ſpecialibus fautoribus & amicis. Inſuper animas parentum veſtrorum, ſororum, conſanguineorum, in Domino, ut ſpero, pie ac feliciter defunctorum & omnium progenitorum veſtrorum, auctoritate eadem recipio ad ſuffragia noſtri ordinis ſupra dicta. Datum Brunſuic, anno Domini M. CCCC. LIIX. tempore noſtri provincialis capituli, profeſto Pentecoſtes.*

Hiſce omnibus actis & impetratis nondum ſibi ſatisfecerat vir religioſus Riddagus Wendenus: valedixit igitur rebus mundanis omnibus, & monaſterium Hujesburgenſe inſtituti Benedictini ingreſſus, veſtem in eo ſacram induit, monachumque profeſſus eſt: Sed non multo poſt vivendi finem fecit. Id factum eſt anno M. CCCC. LXXX. vel ſequenti. Sed de hoc fortaſſe nimis prolixè: redeo igitur ad Riddagshuſanam hiſtoriam.

Anno M. CCCC. LXXXIII. Abbati Werdinenſi Conrado Comiti de Gleichen, controverſia erat cum ſubditis ſuis civibus Helmæſtadianis, ſuper juribus nonnullis; quæ ille querebatur imminui quotidie: hi literis productis ab anteceſſoribus abbatis jam pridem divendita eſſe probaturos ſe affirmabant. Henricus Dux Brunſuicenſis, quod in ejus territorio ſitum eſſet monaſterium Imperiale San-Ludgerianum, quodque tam monaſterii, quàm urbis Helmæſtadenſis advocatum, quem vocant,

cant, ageret cùm de negotio edoctus eſſet, utramque partem benevolè & clementer invitavit Riddagshuſium: ut ibi cognoſcerentur, tàm querelæ abbatis, quàm opidanorum Helmæſtadenſium excuſationes. Compromiſerunt utrique in Ducem Henricum & Abbatem Ebertum, qui poſt deliberationem maturam ſententiam dixerunt.

Elapſis ab iſto, quod dixi, tempore annis novem, exortum eſt bellum in Saxonia inteſtinum & civile: quod duces Brunſuicenſes ac Lunæburgenſes Henricꝰ & Ericus fratres contra Brunſuigam urbem ſuam hereditariam ſuſceperunt cujꝰ hiſtoria prolixior eſt, quàm ut hîc exponi poſſit. Quas verò antiſtes optimus Ebertus in iſtis belli diuturni turbis curas & ærumnas exantlarit, quamque annonæ reique familiaris jacturam fecerit, qui adſiduè eum rerum eventus ſolicitum habuerint, facilè quiſque ex animo ſuo conjiciet, qui aut motuum civilium, vel ipſe quondam ſpectator fuit, vel audiendo legendoùe ex aliis cognovit, aut qui hujus ſaltem à ligâ Henſaricâ exaſperati belli ſeriem inſpexit aput Telamonium Ornatomontanum Brunſuicenſium civem: ex quo pauca huc facientia excerpere libet: *Poſt hos rerum turbines*, inquit, *civitates ipſæ quinque ſeorſim & globatæ paſſim terras Ducis Henrici Senioris, jam in Deiſterno, jam in Brunſuicio diſtrictu, ferro & igne multiſque rapinis inde abactis vaſtare cœperunt. Illa dum fierent mala, mercenarii civitatum milites, ut ajunt, nimiâ uſi licentiâ, ne dicam impiiſſimâ temeritate, ſacratiſſima templa & ſanctis ſuis dicata, invadunt, ſpoliant, immo & hominum cæde, quæ ad ipſa confugerunt, maculant: ita ut illud Propheticum, heu dolor! de nobis Chriſticolis ſit conſummatum: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam: deturbaverunt templum ſanctum tuum, ac ipſam ſpeluncam latronum ac locum impiorum conſtituerunt. Nec hoc ſolo contenti, immo etiam, id quod dum ſcribo totus tremo horreoque, divinisſimum illud corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacramentum ex vaſe ſuo, quod monſtrantiam appellant, effundunt, aurumq; & argentum ſibi uſurpant, ſuiſque ſacculis infarciunt. Nonne hoc ipſum horribile dictu & auditu? ô cœlos! ô ſidera! ô maria! quis hoc ſine rubore de nobis poterit narrare Chriſtianis? Parce itaq; parce, benigne Jeſu, ac miſericors Deus, & non avertas faciem tuam à fidelibus tuis: Declinavimus omnes ſimul inutiles facti ſumus. Imitati ſunt ſacrilegi iſti templorum Dei & ſacrorum vaſorum violatores Dionyſium tyrannum, Syracuſis genitum: qui detracto Jovi Olymplo magni ponderis aureo amiculo, quo cum Hiero tyrannus è manubiis Carthaginenſium ornaverat, injectoq; ei laneo pallio, dixit: æſtate gravem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum: laneum autem ad utrumq; anni tempus aptius. Sic etiam plæraq; alia ſacrilegia ſua jocoſis dictis proſequi voluptatis loco ſolebat. Qui tametſi debita ſupplicia propriâ in perſona non perſoluit: dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemq; ſupplicii gravitate repenſat. L. etiam Cinna & C. Marius avidè hauſerunt civilem ſanguinem: Sed non protinus ad templa Deorum & aras tetenderunt. Quanquam autem hoc ipſum in mercenarios milites ſacrilegium refundatur, ipſorum tamen ducum intereſt de militari diſciplina ſolerter providere, quæ ut Valerius Maximus inquit, decus & ſtabilimentum Rom. imperii fuit principium. Plerumque enim diris pœnis milites pro minoribus ſunt exceſſibus rigore militaris diſciplinæ per exercituum duces excruciati:* Hæc Telamonius ille Brunſuicenſis: ex quibus quis hujus tunc monaſterii ſtatus, quæ Antiſtitis fratrumque ejus ſolicitudo aſſiduè, quæ rerum diſcrimina fuerint, intelligi poteſt. Etſi enim clementiſſimus clauſtri patronus Henricus Senior firmo idem præſidio munierat, ita ut violentia prædonum illorum impreſſionibus hoſtilique ferro & igni non pateret, tamen & ipſi præſidiarii cœnobitis graves moleſtique non eſſe non potuerunt. Et Ebertus curas quidem iſtas, iſtaque rerum diſpendia cum cœnobitis ſuis patienter exantlavit, atque ne quid gravius monaſterio accideret, vigilantiâ ſummâ providit, & pace denique factâ, quæ inter iſtos, quos Telamonius ait, turbines, vel perdita & abſumta, vel intermiſſa & neglecta fuerant, ſolicitè fideque & induſtriâ ſummâ ſarſit, pietate, meritis, prudentiâ, animique fortitudine Antiſtes vix anteceſſorum ſuorum ulli ſecundus.

35. BURCHARDUS II. eligitur anno M. CCCC. XCVI. ultra ſeptennium fratribus non præfuit: vidit tamen claudi tertiam periodum iſtius temporis, quod à nativitate filii Dei usque ad hoc noſtrum ſæculum decurrit, quarum ſingulæ quin-

gentis annis circumſcribuntur. Vidit ſimul incoari quartam & ultimam, quæ utreligioſe creditur, & piè ſperatur, adventu Filii Dei ad judicium univerſale terminabitur. Conſpexit etiam ultimum Jubileum, quem Alexander VI. Romanus Pontifex, homo irreligioſus & profanus, orbi Chriſtiano indixit: Ultimum dico, quòd, qui habiti ſunt deinceps, cum ſuperioribus conferri nullo modo poſſint: cum ipſis Italis, præſertim doctioribus, ex ſuperſtitione in Epicureiſmum prolabentibus, iſtæ nundinationes ludibrio, reliquis nationibus, quæ Papam Eccleſiæ hoſtem & Antichriſtum ipſum indicarunt, ſint abominationi. Cœperant tamen iſta ſacrilegia pecuniarumque aucupia, piis & cordatis hominibus diſplicere: atque à temporibus Huſſi contra datam fidem apud Conſtantiam flammis abſumti, multi impudentiam indulgentiarum & voce & ſcriptis taxarant, id quod ex catalogo teſtium veritatis, quem Matthias Flacius Illyricus, antiquitatis indagator ſolertiſſimus, incoavit primum, alii acceſſione non parvâ locupletarunt, manifeſtum fit. Verùm nondum apparebat tempus illud gratiæ & liberationis, quod noſtra vidit & admiratatâ eſt ætas.

Reviviſcebant etiam hoc tempore literæ humaniores, quæ ab imperii Romani occaſu in Europâ, Gothorumque & Longobardorum in Itâliam infuſione per occidentem conticuerant. Latinas literas à ſpurcâ & tetrâ barbarie non ita pridem in Italiâ liberare cœperant Franciſcus Philelphus, Mapheus Vegius, Flavius Blondus, Leonhardus Aretinus, & his omnibus elegantiores, Laurentius Valla, vindex Latinitatis, & Angelus Politianus, vir politiſſimus. Græcas invexit clades Byzantina, quam urbem, mundi oculum, Mahometes Turcarum Tyrannus in ſuam poteſtatem cum redegiſſet, doctores literarum Græcarum (quas Ottonis IV. Cæſaris ſeculi nullus, & ne Accurſius quidem legere, ne dum intelligere potuit) Emanuel Chryſoloras, Georgius Trapezuntinus, Theodorus Gaza, Johannes Argyropilus, Laonicus Chalcondyles, Moſcopulus, & alii immanitatem Scythicæ tyrannidis fugientes, in Italiâ ſub patrocinio Nicolai V. Pontificis Maximi, & Laurentii Medices Florentini principis, eaſdem profeſſi ſunt. Ab his exſulibus eruditus eſt Georgius Tifernas, qui Italiâ relictâ in Galliam conceſſit, & Lutetiæ græcas literas docuit, anno M. CCCC. LXX. Tifernati ſucceſſit Hieronymrs Spartiata; quem Joannes Capnio Suevus, & Eraſmus Roterodamus Batavus, hic Alexandri Hegii Monaſterienſis in ſchola Daventrienſi, ille Ludolfi Dringenbergii Paderbornenſis apud Seleſtadienſes, diſcipulus, Pariſiis audiverunt. Hi duo Germani poſt Hegium, quem dixi, ejusque auditorem Rudolphum Agricolam, qui & Theodoro Gazæ in Italia operam dederat, in patria felicius & latius Græcæ Hebrææque linguæ cognitionem propagare & eloquentiæ ſtudia accendere cœperunt.

Mirifice iſtam litterarum & univerſæ Philoſophiæ repurgationem ac inſtaurationem promovebat artificium excudendi libros characteribus ex metallo nigri cinereique plumbi æris & ſtibii conflatis. Quod ſcribendi genus, ut Moguntiæ in Germania inventum & excogitatum, ita apud Italos excultum, & in Galliis demum perfectum eſt. Non alieni fuerunt etiam monachi nonnulli ab iſta reduce litterarum elegantia, id quod ex Joannis Trithemii viri doctiſſimi ſcriptis apparet.

Obiit Burchardus Riddagshuſanus anno M. D. III. quo tempore etiam ad plures abiit Alexander VI. Pontifex Romanus, orbis terrarum venenum: cui ſucceſſit nihilo melior Julius ſecundus, bellator magis, quam ſacerdos, Romulo quam Petro ſimilior.

36. HERMANNUS IV. ſucceſſit Burchardo, electus propter ætatem maturam rerumq; uſum: annis præfuit XXIIX. ſub ejus regimine Riddagshuſii ſepultꝰ eſt Franciſcus Epiſcopus Mindenſis Dux Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Henrici Senioris filius, junioris frater, mortuus Wolfenbutteli die Catharinæ, anno M. D. XXV. Epitaphium parieti affixum periit tempore Windruvii. Hic princeps natura inquietus fax fuit belli inter Epiſcopum Hildeſienſem Joannem Ducem Saxoniæ, & Ericum ſeniorem ac Henricum juniorem Duces Brunſuicenſes, eo eventu geſti, ut Epiſcopæ Hildeſienſis, quæ ſeptem Comitatus ſive Dynaſtias complexa in Saxonia ampliſſima habebatur, metropoli tribusque arcibus, ſive præfecturis, exceptis culpa ferocientis Antiſtitis in Ducum Brunſuicenſium ditionem jure legitimi belli tranſierit. Quæ hiſtoria, ut memorabilis eſt, ita non unum ſcriptorem meruit, neque noſtram operam de-

fide-

ſiderat; hoc tantum conſideretur, Epiſcopos, qui intra quadringentos annos plæraſque in Germania diœceſes gubernarunt, à laudabili majorum ſuorum moribus, inſtitutis, vitæque integritate & ſanctimonia non parum degeneraſſe. Primi illi & priſci in Germaniis Epiſcopi verbum Dominicum populo annunciabant, atque hæc unica eorum erat cura: neque ullum miniſterium majore cum gravitate & diligentia fuerunt exſecuti. Habebant autem ſecum presbyteros & Diaconos, qui ſi abeſſet, paſtoris vicem certo ordine gerebant: ſi præſens eſſet labores ejus magna obſervantia juvabant, præcipue in ſacris peragendis & ſacramentis erogandis. Quotidianum officium erat vacare precibus, & ſtatis horis pias cantiones ſive hymnos decantare. Hi Canonici dicebantur, quoniam in collegium recepti, certum diſciplinæ genus legibus canonibusque præſcriptum profiterentur. Unde & fratres appellati, vetuſtis annalibus & monumentis fidem facientibus, & ſimul uno piſtore, & promo communi condoque uſi ſunt. Quin & ædes Epiſcoporum, quæ una cum collegiis contiguæ baſilicis erant monaſteria dicta ſunt, non minus, quã cœnobia, nomine hodie etiam nonnullis in locis vulgo perdurante. Qui inter Canonicos præ reliquis doctrinæ eruditione & facundia pollebat, eum epiſcopus lectorem ordinabat, inſignitum honorifica Scholaſtici appellatione, quæ cum dignitate conjuncta in eccleſiis cathedralibus adhuc perhuc perdurat, etſi officii cura nulla. Sed exemplis res illuſtranda & quidem domeſticis. In Eccleſia Bremenſi tempore Adaldagi archiepiſcopi florentiſſimo ſtudio ſcholas rexit Tiadhelmus quidam, magni illius Otrici ludi magiſtri Magdeburgenſis diſcipulus, ut Albertus Bremenſis hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ lib. II. cap. VI. Eandem ibi provinciam, ſuſtinuit Albertus, quem dixi, in inſtrumento quodam donationis, cui ſubſcripſit, magiſter Scholarum indigitatus. Temporibus Henrici quarti & quinti in eccleſia Paderbornenſi docuit nobilis magiſter Hermannus, cujus meminit Helmoldus hiſtoriæ Slavicæ lib. I. cap. XLIII. ejusque exſcriptor Crancius Metrop. lib. VI. cap. II. Vicelinus Epiſcopus Aldenburgenſis in Schola Padibornenſi hoc præceptore uſus, Bremenſi præfici meruit gymnaſio, ut idem Helmoldus dicti libri cap. XLV. Eadem monaſteriorum fuit ratio, ſuos quoque Scholaſticos, ſive ſcholarum magiſtros, alentium. Magdeburgenſis gymnaſiarchæ Otrici meminimus antea, is ſcholam habuit in monaſterio Bergenſi prope Magdeburgam, ut Ditmarus Merſepurgenſis lib. III. Docuerat antea Corbeiæ ad Viſurgim, ſucceſſor Widekindi viri doctiſſimi, cujus exſtat hiſtoria Saxonica. Trithemius in Chron. Hirſaugienſi nominat Otricum virum ſanctum, & tam in divinis ſcripturis, quam in ſecularibus litteris eruditiſſimum. In eadem ſchola Bergenſi docuit Eckhardus arte Grammaticus, de quo Ditmarus lib. IV. docuit Giddo Philoſophus, præceptor Brunonis dynaſtæ Querfurtenſis, à Pruſſis martyrio coronati, ut idem Ditmarus lib. VI. Degenerantibus autem & ad negocia politica ſe convertentibus Epiſcopis, Canonici etiam immutati ſunt. De Epiſcopis ſui temporis conqueritur Crancius Metrop. lib. II. cap. XXVII. his verbis, *Noſtris temporibus Pontifices Evangelizandi miniſterium relegarunt in ſacerdotes, ipſi Superintendentes (ſic enim ſonat Epiſcopi nomen) meliora ſibi deſumunt in decimis & primitiis & oblationibus, equis, armaturis, evectionibus magnificis intenti curam gregis abjecerunt.* Sic argentum eccleſiæ paullatim verſum eſt in ſcoriam: nam ut idem Crancius Metrop. lib. IV. cap. IX. *Humilitati succeſſit faſtus: religioni vanitas: ſanctitati rapacitas & immunditia.* Cauſſam rei aperire non dubitavit Divus Bernhardus, cujus hoc laudatur apophthegma: *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem:* quam ſententiam paucioribus expreſſit verbis Arnoldus Lubecenſis inquiens: *Crevit poſſeſsio & evanuit religio.* Sane initio tenuius ſe aluiſſe Epiſcopos ex fundationum litteris, quæ ſuperſunt, manifeſtum fit. Atque unde cæteris, unde Hildeſienſi Epiſcopæ tantæ & tam amplæ poſſeſſiones? An non, ubi familiæ illuſtres defeciſſe auditæ ſunt, excluſis, vel vi, vel fraude, legitimis heredibus, exuvias defunctorum invaſerunt ſibique vendicarunt Epiſcopi? Stratagema ſi requirit lector adeat Crancii Metropolin lib. IIX. cap. XXV. Saxoniam lib. IIX. cap. XXIIX. Opes in eccleſiam invectas fuiſſe ſummi materiam mali intellexerunt ſapientes Imperatores, & ita intellexerunt, ut ſubmovendas putarint. Legatur oratio Ottonis quarti Imp. apud Guilelmum Britonem Philippidos lib. X. cujus hæc eſt ſumma: *ut eccleſiæ decimas tantum & oblata munera poſſideant, regalia autem, id eſt, villas & prædia Imperatori relinquant, ut hinc*

 popu-

populus vivat, & milites ſua habeant ſtipendia. A qua ſententia non abit ſucceſſor Fridericus II. cujus apud Petrum de Vineis lib. I. Epiſtolar. c. II. hæc ſunt verba. *Semper fuit noſtræ voluntatis intentio, clericos cujuslibet religionis ad hoc inducere, & præcipue maximos, ut tales perſeverent in fine, qualas fuerunt in* Eccleſia *primitiva. apoſtolicam vitam ducentes & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque clerici ſolebant angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare cum ſanctitate vitæ non armis, ſibi reges & principes ſubjugare: at iſti inebriati delitiis Deum poſtponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus ergo divitias ſubtrahere nocentes, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt caritatis.* Hæc ille: nos ad hiſtoriam Riddagshuſanam redeamus.

Bello Hildeſienſi, de quo dixi, flagrante, Mariæroda, metropoli per integrum menſem obſeſſa, vicinia ſuas etiam experta eſt injurias & adverſitates: quas mitigare pro virili ſtuduit Riddagshuſanus Antiſtes, apud Principes victores pro fratribus deprecans, ſpoliatisque ſubſidia & alimenta ſubminiſtrans.

Ex rebus geſtis Hermanni abbatis invenio, quòd anno M. D. X. feria tertia pòſt diem Andreæ Apoſtoli pagos Honlage & Hegerſtorp cum omni jurisdictione & jure piſcandi venandique certa pecuniæ ſumma emerit à Joanne Honlagio, Laurentii Filio, ejus proſapiæ ultimo. Pagi Honlage partem dimidiam à multis annis poſſidebant Riddagshuſani: nam anno M CCC LXXXIV. Johannes Honlagius eques, & agnatus ejus Ludolfus, Ludolfi F. eam Hermanno Abbati vendiderant. Hoc verò tempore pagus uterque unà cum ſilvis, pràtis, & rivulis monaſterii poſſeſſionibus adjunctus eſt, conſentiente & contractum litteris ſolemnibus ratum faciente Henrico Seniore Duce Brunſvigio.

Familia Honlagiorum inter equeſtres hujus Ducatus familias non poſtrema fuit, quippe quæ feuda poſſederit diverſa impetrata à Ducibus Brunſvicenſibus, Epiſcopis Halberſtadenſibus, & Abbatibus monaſterii Werdenſis. In his erat Wevelinga arx ad Alarim ſita, in eo tractu, quem Holtlandiam vocant, prope Walbecum, arcem vetuſtiſſimam, ex quâ Lotharius Comes Walbecenſis, conſpirationis in Othonem M. Imp. reus factus, ut ſcelus illud expiaret, anno D CCCC XL. monaſterium canonicorum regularium condidit: cui deinde ab Ottone IV. everſo reſtauratis ædificiis, ſucceſſit canonicorum ſecularium collegium, quod adhuc ſupereſt. Wevelinga quomodo exciderit Laurentius Honlagius, explicat Chronicon Saxonicum vernaculâ linguâ ſcriptum, & ex eo repetit Spangebergius in ſua Saxonia cap. CCC. XLII. Ex hac familia tempore Henrici Ducis Saxoniæ & Palatini Rheni, anno M CC XXIV. vixit Ludolfus. Integram familiam cum dare nequeam, quantum in certam ſeriem redigere potui, apponam.

N. Johan-

N.

Johannes eques torquatus.	*Ludolfus eques torquatus. 1330.*

Tidericus miles ſive eques auratus obiit ante 1335.	*Johannes Eques auratus obiit ante annum 1332. Uxor ejus Jutta 1310.*	*Ludolfus Eques auratus. Uxor ejus Heilwigis.* *
Berta uxor Ludgeri de Garsnebuttel 1350.		

Ludolfus Canonicus S. Blaſii 1310. theſaurarius 1322. Præpoſitus S. Cyriaci 1338. 1348.	*Joannes junior Eques 1331.*	*Bertoldus de Honlage Eques auratus, 1338. ſepultus Riddagsh. Uxor Margareta.*

Ludolfus ſepultus Riddagshuſii 1341.	*Joannes ſepultus Riddagshuſii 1341.*	*Ermgard. 1335.*	*Adelgundis. 1331.*	*Gebhardus ſepultus Riddagshuſii 1347.* *	*Bertoldus 1366.*

Ludolfus anno 1344. Uxor ejus Jutta obiit Helmæſtadii ibidemq; ſepulta eſt.	*Joannes Eques. 1383.*	*Berta uxor Henrici à Veltheim,*

Joannes 1413. — *Ludolfus.*	*Godelina uxor Friderici Alvenslebii.*	*Heilwigis conjunx Buſſonis à Wansleve. 1384.*	*Eliſabeth uxor Buſſonis à Bartensleve.*	*Fridericus homo inquietus, varius, & inconſtans: contraxit multum æris alieni, & patrimonium avitum valdè diminuit. Obiit 1439.*	*Henricus ab Honlage.*

Laurentius ab Honlage, defuncto patre minorennis tutores accepit & curatores Buſſonem, Bernhardum & Matthiam Schulenburgios, Johannem & Janum Marenholtios, qui divenditis aliis poſſeſſionibus & prædiis Wevelingam ei conſervarunt. Verùm & illam amiſit cum iſthac iter facientes prædabundus infeſtaſſet, ideoque vicinos principes ad arma ſumenda impelleret. Factum hoc anno 1487. Georgius Fabricius perperam Laurentium Holleccium vocat Origin. Saxon. lib. 7.

Joannes ultimus hujus familiæ animo & corpore æger vendidit Riddagshuſanis pagum Honlage, qui cum pacto retrovendendi ſuperioribus annis ad ipſos translatus erat. Pagus Honlage finitivus eſt Riddagshuſio. Johannes Honlagius vixit adhuc anno Chriſti 1510.

Inſignia habuit hæc familia penè eadem cum Bortfeldiis: unde ſuſpicari quis poſſit ejusdem eſſe originis utramque familiam.

Idem Abbas Hermannus unà cum Theodorico antiſtite Sant-ægidiano Brunſvicenſi, aliisque equeſtris ordinis proceribus compoſuit controverſiam inter Henricum Seniorem Ducem Brunſvicenſem, & Ludovicum Veltheimium in antiquiſſima nobilium Dominorum Harbeccenſium arce hereditaria, non procul Helmæſtadio habitantem. Factum hoc anno M D XII. Solebant iſtis temporibus Principes viri in explicandis expediendisque negociis arduis, uti opera & conſilio Prælatorum, quos tanquam pietati & religioni deditos præ cæteris æquitatis & moderationis rationem habituros confidebant. Neque hoc tempore mos iſte obſolevit. Meminimus potentiſſimum & ſapientiſſimum principem, Henricum Julium, Ducem Brunſvicenſem, Petri Windruvii Abbatis Riddagshuſani, de quo ſuo loco, prudenti conſilio uſum eſſe, tum in aliis negociis ponderoſis, tum in tollendis quæ irrepſerant

 contro-

controverſiis, & facienda ſalutari conventione inter principem memoratum, & agri ſive diſtrictus Calenbergenſis ordines: quæ pacta conventa extant.

Non putavi prætermittendum, quod huic Phrontiſterio perquam honorificum eſt: nempe vixiſſe in conventu Riddagshuſano hoc tempore Magiſtrum Antonium Corvinum, Warburgi in diœceſi Paderbornenſi natum. Hic inter Theologos ſui temporis non poſtremus fuit, eruditione doctrinæ, conſtantia & Zelo pietatis inſignis quod tùm vitæ ipſius curriculum, tum ſcripta, quæ poſteritati reliquit, oſtendunt. Recenſentur hæc in Bibliotheca Geſneri, & alibi. Docuit initio in Haſſia Witzenhuſii ad Viſurgim fl. inde accitus reformavit Eccleſias in Ducatu Gottingenſi & Calenbergenſi auſpicio Eliſabethæ Marchicæ, Erici ſenioris Ducis Brunſvicenſis viduæ: Idem fecit in Ducatu Wolfenbutelenſi, cum is à confœderatis reformatæ religionis Principibus occuparetur. Propter confeſſionem doctrinæ non modò multiplices ærumnas & perſecutiones, verùm etiam carcerem diuturnum ſuſtinuit: ex quo liberatus quidem eſt, ſed pœdore nimium afflictus, obiit anno M D LIII. ipſis feriis Paſchalibus. Ferunt carceris auctores auditam innocentis viri mortem vel invitos lacrymis proſecutos: noſtrum de eo in Heroibus Saxonicis tale extat epigramma:

Haud ego Corvinus, dextra qui vindice Gallum
Stravit humi, & patrios auxit honore lares:
Bella tamen geſſi fuit & mihi barbarus hoſtis,
Nec dubito nomen dicere, Papa fuit.
Ille Viſurgiacos latices fœdarat, & amnem
Leina tuum infectis roribus imbuerat.
Indolui, ſuperosq; vocans in vota, fugavi
Sacra, Deos, bullas, fulmina, tura, preces.

Obiit Hermannus abbas ætate decrepita, cum ſui nominis monumentum reliquiſſet domicilium illud, quod eſt in pago Honlage deſtinatum abbatibus, quos ætas exhauſta, aut valetudo afflictior, ab onere officii ſubmovet, ut ipſi reſiduum vitæ tranquille & ſine moleſtia tranſigere poſſint.

37. JOANNES hujus nominis VI. ſuffectus eſt anteceſſori ſuo, anno quo ille obiit, M D XXXI. Patria fuit Möringenſis: vir non malus, ſed ſimplicior fortasſis, quàm placeret quibuſdam: vel ex re monaſterii videretur. Vivebat tum temporis in aula Wolfenbutelenſi Lambertus à Balven, natione Weſtvalus, homo doctus, ſed nonnihil ambitioſus & honorum cupiens. Is fretus gratiâ, qua valebat apud principem, cudebat conſilia, quomodo Johannem abbatem loco movere, ſeque intrudere poſſet. Non latebat id bonum virum qui quòd tam potenti æmulo ſe imparem metueret mœrori ſe dedit & ægrimoniæ, qua contabuit anno M.D.XXXVI. cum ante menſes aliquot Henricus Junior Dux Brunſvicenſis cum fratre ſuo Wilhelmo de paterna hereditate tranſegiſſet: Et quòd iſta pacta conventa ordines Ducatus ſuo quoque aſſenſu rata haberent, inter cæteros Proceres eccleſiaſticos Johannes abbas tractationi, quam & Carolus V. deinceps ratam habuit, manuque & ſigillo monaſterii ſui appendiſſet.

38. LAMBERTUS à BALVEN, quod concupierat diu, impetravit tandem, nempe ut Riddagshuſii abbatem ageret. Non erat iſto honore indignus, quippe qui eruditus, prudens, facundus & religioſus eſſet, gradum etiam Licentiæ in Theologia haberet: tantùm expectaſſet juſtum exaltationis ſuæ tempus. Verùm quem affectavit ambitioſè honorem, talem invenit, qualem Dionyſius Syracuſanus Damocli paraſito ſuam dominationem depinxit, nempe cum curis, miſeriis, perpetuoque metu & ſolicitudine conjunctum. Præfuit annis XIIX. quibus tantùm calamitatum & tribulationum hoc monaſterium ſuſtinuit, ut ſi omnes omnium ſuperiorum temporum miſeriæ & adverſitates in unum conflatæ & conglobatæ, cum hac turbulentiſſima tempeſtate conferantur, aut nullæ, aut exiguæ fuiſſe cenſeri dicique poſſit. Primùm enim anno χιλιοστῷ M. D. XLII. XXII. Julii, die Mariæ Magdalenæ ſacra, poſtquam à confœderatis principibus Henricus junior, Dux Brunſvicenſis, tota ſua ditione pulſus eſſet, ab hoſtili exercitu Riddagshuſium direptum fuit, & incendio turpiter deformatum. Subſequens copias iſtas Bernhardus à Mylen Eques auratus,

ratus, & Septemviri Saxonis Johannis Friderici ſupremus militiæ præfectus, caſtra ibidem locavit, & quicquid reliquerant priores hoſpites cum ſuis abſumſit. Neque iſta ille contentus injuria fuit, ſed archivo monaſterii vi effracto, literas & inſtrumenta, quæ placebant, inde ſecum abſtulit. In his erant documenta emtionis prædii Unsburgici: hoc ille ſibi contra fas & æqvum, à quibusdam Imperii principibus tanquam beneficium hereditarium transſcribi & addici curavit. Verùm, reſtituto Duce Henrico, de poſſeſſione decedere coactus eſt. Inſtrumenta & literas, quas dixi, Johannes Lorberius abbas non ſine impendio poſtmodum recuperavit, quæ una cum aliis id generis diplomatis, & literis ſigillatis ibidem aſſervantur.

Triennio ab iſtâ impreſſione evoluto, nimirum M. D. XLV. non minor calamitas monaſterium oppreſſit, ſed quæ ei cum vicinia communis. Hoc tempore Abbas Lambertus cum ſuis exſulatum abiit: cum prius urbe Brunſuigâ in quâ monaſterio domicilium proprium erat, iniquè & injuſtè ex cluſus eſſet. Reſtituto in Ducatum ſuum principe Henrico, inſtaurari etiam cœpit Riddagshuſium: verùm non diu duravit iſta felicitas; Nam ab ea, quam dixi urbe, quam ſibi reluctantem, debitamque obœdientiam ſuperbè abjicientem, obſidione cingere & ut imperata faceret, armis adducere volebat Princeps, hoſtili eruptione factâ, à collectitiâ multitudine denuo monaſterium immaniter direptum, ſpoliatum, exinanitumque eſt & devaſtatum. Graviſſima erat illa clades, quæ tamen tolerari potuiſſet, niſi aceſſiſſet altera, & hac recenti & ſuperioribus omnibus nocentior, magiſque exitioſa: accidit illa anno Chriſti M. D. LII. die Burchardi Epiſcopi, qui in faſtis Eccleſiæ Romanæ undecimo Octobris adſcriptus eſt, prædatorias copias in agrum Brunſvicenſem ducente Volrado, Alberti Filio, Comite Mansfeldio:

Quis cladem illius lucis, quis crimina fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare dolorem?

Tanta tùm loco iſti illata vaſtitas, ut dubitatum fuerit, an unquam ex ruderibus reſurgere monaſterium poſſet. Erat conflatum æris alieni permultum, quod hîc in immenſum auctum: cùm nec eſſet amplius, unde creditoribus ſoluerentur uſuræ. Non defecit in his turbis animus Abbatem Lambertum. Isluctabatur quodammodo cum fortunâ adversâ: tantum inſtaurationi ſtudens, quantum nefarius hoſtis everſioni. Reparabat diruta, ut poterat, etiam eo tempore, ubi omnia in pulverem & cineres redacta: Sed in hoc ejus conatu ſupervenit novus hoſtis, prioribus infeſtior: qui & operas ædificantium diſturbabat, & quæ mendicando mutuandoque ægrè à fratribus corrogata eſſent, cum ſuis locuſtis abſumebat. Erat is Albertus Marchio Brandenburgenſis, juvenis præferoci & inquieto ingenio, qui hoſtili in inferiorem hanc Saxoniam deſcendens animo, in ſubditos Henrici Brunſiſicenſis iram effundebat omnem. Lambertus hactenus duris ut ilex tonſa bipennibus per damna, per clades ab ipſis duxerat opes animumque infortuniis: verùm debilitatus tandem fractusque continuis calamitatibus Wolffenbuteli, quò conſilii auxiliique petendi gratiâ ad optimum principem profectus fuerat, ægrotare cœpit, ibidemque vitæ & miſeriarum ſatur diem obiit extremum IIX. Id. Novembr. eodem, quo hæc evenit ei clades, anno M. D. LIII. Funus ipſi factum honorificè: Riddagshuſii erectum cenotaphium, in quo viva ipſius imago depicta eſt, & additi verſus epitaphii quatuor, quos adſcribam:

Præfuit hic quondam ſummo Lambertus honore
Abbas à Baluen, vir pietatis amans.
Deſtruitur vivo, vivo reparatur eodem
Hic locus, heu Saxum nunc pia membra tegit!

39. LAMBERTO Wolfenbuteli defuncto, terræque parenti cum lacrymis tradito, à fratribus concorditer electus eſt abbas JODOCUS OPPERMAN, natus Hildeſiæ in ſuburbio, quod eſt orientem verſus ad montem Divi Mauricii collegio inſignem. Fuit vir bonus, ordinis ſui diſciplinæ monaſticæ obſervans, de monaſterio reparando plurimum ſolicitus. Sed quod neque diu præeſſet, neque nervos rerum gerendarum haberet, quod cupiebat præſtare non potuit. Deſtinarant fata Deusque Lorberio hanc laudem, qui eam omnium teſtimonio meritò plenoque jure conſecutus eſt.

Jodo-

Jodocus cum quadriennium rebus præfuiſſet viam univerſæ carnis ingreſſus eſt anno M. D. LVII. invigiliâ omninm ſanctorum, hoc eſt pridie Kal. Novemb. Sepultus in choro templi Riddagshuſani: affixo non procul inde ad poſtem epitaphio tali:

Deſerit hoſpitium migrans mortale Iodocus:
Hoſpes in his terris regna paterna petit.
Tranſit & incertum fortunæ ludit amorem,
Quaſque tenet fallax reſpuit orbis opes.
Ante Deum æternæ felicia tempora lucis
Lætus agit, celebrans inclyta facta patris.
Tu quicunque hodie mortali veſceris aurâ,
Heu vitam rapiet craſtina fortè dies!
Diſce mori; tranſire puta; migrare memento:
Nam bene ſi mortis clauditur hora, ſat eſt.
Ergo cavam aſpiciens tumbam, dilecte viator,
Maxima de tumulo ſit tibi cura tuo.
Tu quod es ille fuit; quodq́ eſt eris, æquus iniquâ
Extincto lætum mente precare diem.
Dormit & in cælo ſanctisſima templa frequentat,
Hacq́ tegi voluit membra Iodocus humo.
Quatuor huic domui ſacratæ præfuit annis,
Et ſibi commiſſum quàm bene rexit opus.
Molliter ut tacita requieſcat corpus in urnâ;
Hæc illi poſuit qui monumenta rogat.

40. Orbati parente ſuo cariſſimo monachi Riddagshuſani de alio in ejus locum ſurrogando non ſine quiritatu & lacrymis deliberabant. Erat is ſtatus cœnobii, qui requireret hominem pium, induſtrium & laborioſum, cujus prudentiâ fundi & prædia alienata ex manibus, vel jure, vel injuriâ poſſidentium, extorquerentur: quique ædificia partim collapſa, partim ruinam minitantia, inſtauraret, cùm primis qui cultum divinum & pietatis exercitia per iſtos tumultus è monaſterio eliminata reduceret. In multis qui aderant nullus repertus fuit, qui onus iſtud ſubiret: Singulis in mente erat JOHANNES LORBERIUS: hunc deſignabant unanimiter, & adeſſe maluiſſent, ut efficeretur quod vellent, nihilque interveniret vel moræ, vel ex eâ forte aliquid vitii. Aberat id temporis Lorberius Oſlebii degens, nuper iſti prædio, opimo & amœno, curator datus. Moris erat antiquis temporibus, prædiis quæ poſſidebant monaſteria, unum ex collegio præficere, qui & parochum Eccleſiæ, & ſimul Oeconomiæ ageret inſpectorem. De electione in capitulo concorditer factâ, cum per literas edoctus eſſet Lorberius, ad inſperatum nuncium totus cohorruit, quippe qui tranquillitatis amans naturâ ab oneroſis honoribus alienus eſſet. Reputans tamen ſecum, quid cœnobio, cum ingreſſus illud eſſet, promiſiſſet, dat ſe itineri & Riddagshuſium advolat. Ibi denuo repetitis ſuffragiis eligitur, & per Andream Amelungsbornenſem Abbatem, qui unà cum aliis Præſulibus hujus rei gratia advenerat, uſitato more, in poſſeſſionem dignitatis immittitur, anno M. D. LVII. ipſo die Ananiæ Epiſcopi & Confeſſoris: quo tempore, in Saxoniâ nunciata eſt mors Alberti Marchionis Brandeburgici, qui ceu Alcibiades quidam Germanicus, cùm in patriâ magnas turbas dediſſet, tandem exul in portâ Harcyniæ apud Carolum Marchionem Badenſem deceſſit anno ætatis triceſimo quinto. Sed ad Lorberium redeo, de quo ut altiùs aliquid repetam concedite, qui hæc legitis. Id enim pliis manibus debeo officium, & requiritur à me, ut nempe extet, qui ſui ordinis hominibus ſit exemplo. Tulit eum Brunſuiga, agri iſtius, cui nomen dedit, metropolis, natum patre Chriſtophoro & matre Annâ, hominibus plebeis, honeſtis tamen, qui in ſudore vultus ſui pane veſcerentur, quod ipſum tamen Lorberio apud rectè judicantes magis hono-

honorificum erit, quam ignominioſum. Annus natalis annotatus eſt M. D. XXV. qui quaſi inundatione quadam ſeditionum fatalis fuit magnæ parti Germaniæ. Malum hoc ortum eſt in Sueviâ, & locis quæ ſunt ad Danubium, cumque longius inſtar gangrenæ ſerperet, paſſimque cœnobiis & ſacrorum hominum domiciliis everſionem inferret, etiam ad Thuringos pervenit. Animadverſa fuit tum temporis vigilantia Henrici Brunſuicenſis Ducis, qui ad primum de hoc tumultu rumorem in armis fuit: & tum ſuos in fide continuit, tum vicinis Principibus in ſeditioſis coercendis auxilio fuit. Hoc tamen idem annus nobis emolumenti attulit, quod ſub ejus finem Lutherus, Germaniæ Orpheus, hymnos ſuos, qui totius ſacræ ſcripturæ nucleus ac enchiridion ſunt, quosque ſuperiori anno emiſſos, nunc demum recognitos auctosque in lucem edidit. Quos ipſos Pſalmos bonitate & dulcedine excellentes quantopere amarit Lorberius, teſtabitur eorum luculenta & nervoſa explicatio, quam ipſe à D. Simone Pauli Theologo Roſtochienſi precibus & precio impetravit. Liber prodiit Magdeburgi Lorberio jam in cœleſtem Scholam tranſlato. Is in patriâ, quam diximus, literarum rudimenta didicit, anno ætatis quinto ludum literarium ingreſſus: neque multo poſt parentem amiſit, qui caſus cùm Hildeſiam eum extruſiſſet, triennium ibi vixit integrum, oſtiatim victum quærens, & apud moroſum herum ſervitutem ſerviens inclementiorem. Quæ quod ſtudia impediret, matris ſolicitudine domum reductus honeſto cuidam civi Brunſvicenſi miniſter traditur, cui ita operas præſtabat, ut de ſtudiorum tractatione nihil decederet. Ejusdem juſſu frequenter Riddagshuſium ibat, quòd herus mercator eſſet, & cum œconomiæ præfecto negociaretur. Comitabatur eundem aliâs perſæpe Lorberius, nunc monaſterii magnifica ædificia ſacrorumque ſplendorem, nunc diſciplinæ monaſticæ ſeveritatem admirans, & apud alios dilaudans. Iſta eadem conſideranti ſecum in animo, cùm amorem vitæ monaſticæ perſuaſiſſent, rogavit herum, ut ſe Abbati commendaret, nihil enim ſibi magis in animo, nihil potius optare, quàm ut inter cœnobitas vitam agat religioſam. Præſtitit herus, quod miniſter, quem amabat, volebat, & quidem eò expedivit citius, quòd apud Abbatem valeret gratiâ. Confectâ re Lorberius monaſterium ingreſſus eſt, matre multum reclamante, quippe quæ religionem reformatam amplexa eſſet: ſed ille à pio, ut ſibi perſuadebat, propoſito nullo modo abduci potuit. Quæ ab hoc tempore annis ſubſequentibus Lorberio evenerint longum eſſet referre. Fuit ſpectator omnium iſtorum malorum, quæ inſtar tempeſtatum horribilium monaſterium afflixerunt: neque ſpectavit tantum, ſed omnis generis ludibria, moleſtias, vexationes ab effreni laſciuoque hoſte expertus eſt: cùm non ſemel poſt atroces contumelias veſtibus exſutus, fuſtibusq; pulſatus, fugâ ſalutem ſibi quærere cogeretur. In hoc tumultu, qui non unius, ſed multorum fuit annorum, hæſit aliquandiu Hamerslebii: deinde Groningam ſe deportavit, quæ cœnobia diœceſis Halberſtadenſis antiqua & non inamœna. In utroque etſi uteretur hoſpitibus benevolis & amicis, non tamen ibi ſatis tutus ſibi videbatur, furore martio illam etiam diœceſin cominus infeſtante. Abiit itaque Magdeburgum, ibique in monaſterio Mariæ Semper-virgini ſacro delituit uſque ad annum Chriſti M. D. XLIX. Biennio ante Henricus Brunſuicenſis Dux, Cæſaris Caroli de Evangelicis ordinibus imperii triumphantis potentiâ in principatum ſuum reductus fuerat: jamque de monaſteriis & religioſorum hominum collegiis inſtaurandis non minus, quam de arcibus paſſim dirutis & exuſtis reſtituendis, paternam curam ſuſcipiebat. Ad eam famam, qui hinc inde exſulabant monachi, ad ſuos nidos revolabant feſtinè, viſuri, quid ſperandum eſſet poſt tam graves & diuturnas afflictiones. Nec minus Archimandritæ ſoliciti greges ſuos palantes revocabant domum vigore obſervantiæ monaſticæ, ne videlicet cultus divinus, aliquandiu intermiſſus, planè conticeſceret. Sic igitur Lorberius Magdeburgâ ex pathmo ſuâ Riddageshuſium ad Abbatem Lambertum rediit, in cujus conſpectum non ſine lacrymis, quas uterq; ejecit largiſſimas, venire potuit. Videbantur eluctati Riddageshuſani ex graviſſimis malis: ſed graviora reſtabant, ea nempe, quæ recitavi ſuprà: quæ rurſus monachos ejecerunt: donec ſublatâ etiam iſtâ nube halcyonia reſtituta ſunt. Quam felicitatem paulò poſt interpolavit mors abbatis Lamberti, eò triſtior, quòd conſtaret omnibus, non morbis, neque ſenectute, ſed ægritudine & mœrore

rore animi confectum. Qui ei ſucceſſit Jodocus quadriennio completo eandem univerſæ carnis viam ingreſſus ſucceſſorem accepit, ſicut diximus, Lorberium. Erat hoc tempore Riddageshuſani collegii ſtatus & conditio longè triſtiſſima, ſive ſpectes ædificia, ſive poſſeſſiones & reditus, quos habuerat hactenus. Ædificia plæraque erant diruta, templum intus labefactatum: ornamenta & ſuppellex eccleſiaſtica ablata; tectum laminis plumbeis revulſis amotum; muri everſi; piſcinæ & vivaria pertoſſis aggeribus exſiccata. Poſſeſſiones veteres erant diſtractæ, quòd harpyiæ inter ſe illas diviſiſſent: nonnullæ oppignoratæ ab aliis poſſidebantur: agri cùm inculti jacerent in ſenticeta degenerarant. Hæc emendare conabatur abbas Jodocus, verùm quòd negocii arduitatem conſiderans imparem ſe iſti putaret, ante diem mortuus exiſtimatur. Lorberius igitur auſpicatò, ut meminimus, Antiſtes deſignatus, ſtatim fani, aliarumque ædium reſtaurationem, bonorumque abalienatorum vindicationem magno excelſoque animo aggreſſus eſt, plus de ope divina in functione legitima rerum ſuarum ſatagentibus ſemper præſente, quam de rei arduæ & difficilis operoſitate cogitans, brevique temporis ſpacio, cum Deo auxiliante, tantum effecit, ut mirarentur qui audirent: obſtupeſcerent qui viderent. Hanc ſolicitudinem, tàm piam, quàm providam, uti gubernavit Deus optimus maximus, ita pro more ſuo remuneratus eſt làrgiſſimè. Nam Lorberium immenſa miſericordia luce verbi ſui, miniſterio Martini Lutheri à fœce corruptelarum quarumcunque liberati, colluſtravit, veræque eccleſiæ vivum membrum ac ſuæ voluntatis organum ſalutare effecit. Etenim eccleſiis univerſi Ducatus Brunſvicenſis pio Zelo Divi Julii, princípis pientiſſimi & ſapientiſſimi, ab inveterata idolomania Antichriſti Romani liberatis, & ad noticiam repurgatæ doctrinæ adductis, Lorberius vocem ſpiritus ſancti audiens non obduravit cor ſuum, ſed cum gaudio lucem obviam amplexus, relictis vitæ monaſticæ laqueis & ſuperſtitionibus, ſimplici & defœcato Chriſtianiſmo ſe adjunxit. Conſiderans præterea, quàm periculoſum ſit extra conjugium vivere, cùm Chriſto teſte, *iſtud verbum omnes non capiant*, conjugem duxit, fœminam modeſtam & diligentem, factus ex ea quinque filiarum, & duorum filiorum parens. Non defuere malevoli, qui conjugium hoc improbarent, neſcio quas Pontificum ſanctiones & pſeudo-ſynodorum decreta, rigoroſa illa multum, inculcantes: verùm acquievit ipſe in mandatis filii Dei, & auctoritate Divi Pauli Apovoli, ſvadentis, ut qui continere non poſſunt, nubant. Inſtigabant etiam de matrimonio cogitantem è veteri, & ab oneribus traditionum humanarum adhuc libera eccleſia, tum Divi Hilarii, tum aliorum ſanctiſſimorum Antiſtitum exempla, quæ ſi qui objicerentur ſcrupuli, illos ex animo evellebant. Cum profligatione Papiſmi Lorberius conjunxit introductionem novæ Scholæ in ſuum monaſterium. Sic enim ex vetuſtis ſcriptoribus didicerat, ſic ſtatuebat, fuiſſe antiquitis, & eſſe debere etiamnum, monaſteria, non ocioſorum, & occultè, ut Eraſmus alicubi loquitur, peccantium hominum latibula, ſed cœtus docentium & diſcentium doctrinam de eſſentia & voluntate Dei, una cum artibus linguis & diſciplinis pietati ancillantibus. Ex eo enim fonte natæ ſunt apud ſcriptores eccleſiaſticos appellationes iſtæ, quod φροντιστήρια, σεμνεῖα, καὶ ἀσκητήρια indigitantur monaſteria, nempe loca ſolitaria & ſeceſſus à publico ad pietatis, innocentiæ veræque Philoſophiæ exercitationem. Et hanc quidem ob cauſam, Lorberius labem illam, quæ inter reliquas eccleſiæ degenerantis maculas irrepſerat, prudenter amoliri, & ſuum monaſterium in priſtinum ſtatum reducere conatus eſt. De hujus ſcholæ magiſtris, ut & doctoribus eccleſiæ, cum aliquid dicendum ſit, quia hìc non licet, alibi id agemus. Facto ita à pietatis, ejusque inſtauratione initio, & fundamentis feliciter jactis, non dubitavit Lorberius futura deinceps omnia meliora: affulſuram, ſcilicet, cœlo divinam benedictionem, quæ pietatem præcedentem pone à tergo ſequatur, & veſtigia opulentiæ & ubertatis undiquaque relinquat. In quo minimè falſus eſt. Debita enim, quæ conflata erant turbulentis iſtis temporibus, diſſoluit paulatim: poſſeſſiones abalienatas recuperavit maxima ex parte: templum reſtituit: reliqua ædificia reparavit, & quidem plæraque ex his magnificentius, quàm fuerant antea. Id oſtendebant olim in templo parietes exquiſitè depicti, ſuggeſtus artificioſè cœlatus, ambones & ſedilia decenter adornata. In reliquis ædificiis, conclavia ampla, & feneſtris virgato opere lucida, cubicula ſalubria & munda, hypocauſta tam ſitu, quàm ſtructura com-

modiſ-

modiſſima. Erat in hoc homine, non quidem ambitio vel cupiditas gloriæ: munditiem tamen & elegantiam ac decorem in rebus omnibus amabat & requirebat. Sed hæc fortè ei cum multis communia: majus igitur dicam, multoque excellentius, quo inſignis fuit quàm maximè. Ea erat vera & ſincera pietas, Dei opt. maximi & ſimul proximi amorem ſpirans ardentiſſimum: ex quo fonte ſcaturiit indefeſſum illud ſtudium cognoſcendæ doctrinæ cœleſtis, ſtudiumque ejus tuendæ & propagandæ ferventiſſimum. Præterea beneficentia & liberalitas inexhauſta erga miniſtros eccleſiæ, tenuiùs ſe alentes: erga ludimagiſtros, exules, viduas, & orphanos, qui quotidie ad eum ventitabant, & ſine ſolatio & eleemoſyna nunquam diſcedebant. Memini ego, cùm in illuſtri quadam magni nominis Theologorum ſynodo ad Albim, de beneficentia Lorberii mentio injiceretur, & quidam ejus neceſſarius, & per menſes aliquot nuper hoſpes, eum valde dilaudaret, alterum jocantem ſubjeciſſe: Lorberius tam eſt bonus, quàm magnus. Hæc ille non inargutè. Erat enim Lorberius procero & valido corpore: minimi tamen cibi, & ab ebrietate luxuque alieniſſimus: Hinc ei valetudo firma & color oris in ſenectute hilaris. Sermone utebatur parcè, imitatus in eo ſapientiſſimos quosque omnium ſeculorum: quæ loquebatur cum ſuis, & apud alios, animi manſvetudinem, integritatem, candorem, moderationem & gravitatem arguebant. Sed quo delabor? non eſt enim mihi animus panegyricum ſcribere: vel omnia, quæ in hoc viro laude digna fuere, in luce nunc collocare. Paucis dicam omnia: Vixit, dum vixit, bene: ſuique deſiderium æternamque memoriam apud omnes reliquit. Vitam, cujus ſatur erat, cum morte commutavit anno filii Dei M. D. LXXXVI. die Octobris XXIII. ſexagenario major, cum aliquot ſeptimanis morbo pectoris ancipiti incertoque laboraſſet. Morienti qui adfuerunt de ſanctiſſimo ejus ex hoc ergaſtulo exceſſu multa præclarè teſtati ſunt: quibus tanquam graviſſimis hominibus fidem habentes; non dubitamus, agere eum nunc vitam in ſinu Abrahæ beatiſſimam: Funus ei factum eſt piè & religiosè, ut dignum fuit tali viro, concionem habente M. Georgio Leſebergio, Paſtore & Superindente in Valle-Salinarum, deſumtâ materiâ ex XVII. cap. Apocalypſ. Johannis, de turbâ illa ingenti ante thronum agni ſtante, quæ ex tribulatione venerit magnâ, ſtolasque ſuas laverit dealbaritque in ſanguine agni: nunc verò ſtolis candidis amicta palmas virentes triumphi & victoriæ ſignum manibus geſtet. Hæc concio ab homine erudito & pio, piè ac eruditè habita non paucis ex circumſtante multitudine lacrymas expreſſit. Dormitorium, quod ei paratum eſt in veſtibulo templi occidentem verſus, ſucceſſor Windruvius propter futuræ reſurrectionis gloriam quibus potuit modis exornavit. Fuerunt eodem tempore in diverſis academiis & Eccleſiis viri docti, qui partim acceptorum beneficiorum memores, partim ſanctiſſimi ſenis ex hac vita emigrationem dolentes, defuncto epicedia & epitaphia conſecrarent, eaque typis mandarent: ex quibus εἰδύλλιον meum hîc etiam extare viſum fuit non inconveniens.

EIDYLLION

De Lauru Arefacta, & uva in ejus locum feliciter Subſtituta,

Scriptum:

Ad Reverendum & Ampliſſimum Virum,

DN. PETRUM WINDRUVIUM

deſignatum Cœnobij Riddagshuſenſis Abbatem.

Nobilis auguſta florebat Laurus in æde
Quæ vetus à Ridago præſide nomen habet:
Laurus Ateſtino multum dilecta Leoni,
Cujus honorifico tuta favore fuit.
Illa caput tollens vitreas ad fluminis undas,
Delitium campi luxuriantis erat.

 Hoſpitia

Hoſpitia exſulibus præbebat idonea Muſis:
Multaq; per ramos nidificabat avis.
Indicium pacis non jurgia cruda ferebat:
Vna ſed innocuæ cura quietis ei.
Hinc neque commoti metuebat fulmina cœli:
Nec Borea amiſit flabra movente comas:
Sed devota Deo, ſacras crepitante per aras
Thure, coronavit frondis honore lares.
O decus: ô vitâ digniſſima perpete laurus
O quantum meriti pondus & aura tui
Invidit fortuna tamen, laurumque venuſtam
Cana repentino frigore læſit hyems.
Decuſſit gracileis vis grandinis improba Baccas,
Vſſit odoratas ſæva pruina comas.
Sic caput affectum poſuit radice revulsâ:
Et ſubiit foſſam fertilis arbor humum.
Iamq; gemit Phœbus, lacrimantur Naiades udæ,
Triſtis in acciſo termite mæret avis.
Sed Deus aſpexit viduatam molliter ædem:
Factaque clementi damna favore levat.
Inque locum rapta ſuccedit idonea Lauri
Vva, decus campi nobile, vitis honos
Vtilis uva Deo, nam ſuccos gignit amœnos,
Quos pia ſub templi fornice turba litat.
Vtilis imprimis mortalibus uva, dolore
Quos levat, & medicam triſtibus addit opem.
Quam bene proſpiciunt noſtris clementia rebus
Fata, ſecuturis obveniuntq; malis
Gratia Chriſte tibi: tu vitis vera racemos
Protege: tu veſpas pelle, repelle capros.
Sacra ſit excubiis fac vinea cincta, maliq;
Immanes juſſum continuemus opus.
Vt poſt defunctos durâ in ſtatione labores,
Contingat merito pax reparata tuo.

Henricus Meibomius.

41. Quem vivus valensque piis precibus & diligenti informatione iſti honori deſtinarat, eum de conventus ac Principis clementi voluntate ac ſuffragio Lorberius habuit ſucceſſorem, PETRUM dico WINDRUVIUM, virum integræ tum vitæ, & vel majori, quàm iſto honorum faſtigio dignum. De illo prolixior hîc eſſe cogor, faciam tamen ut quibus vir ille notus fuit intelligant me nihil à veritate alienum dixiſſe. Natus eſt Windruvius anno gratiæ M D LI. die Mercurii poſt Dominicam Invocavit, hoc eſt XIIX. Februarii, parentibus Stephano Windruvio, & Catharinâ Gotſchalciâ: qui in opidulo Neuſtadt (quod Wolffenbütelo contiguum Princeps Julius in memoriam parentis, biennio antè defuncti, privilegiis nonnullis donatum Henricopolin anno M D LXX. indigitavit) in re parum lautâ, famâ tamen inculpata multis vixere annis. Puer cum eſſet, parentibus domi operam locabat, foris

foris inſinuabat ſe apud alios, ut haberet, quorum ope & auxilio ſublevaretur. Anno ætatis XIII. qui erat Chriſti M D LXIV. cœpit frequentate ludum literarium: ac ut tum quoque parentibus parceret ex eleemoſynis oſtiatim quæſitis vivere non erubuit. Erat iſto tempore in opidulo, quod diximus, templi ædituus Balthaſar Engelinus, vir probus & probus & ſimplex, is adoleſcentuli fortunam miſertus Riddagshuſium eum deduxit, ibiqᷓue Lorberio abbati familiari ſuo de meliori notâ commendavit. Qui non minus facilis, quàm circumſpectus, cùm in adoleſcentulo indolem deprehenderet excitatam, modeſtiam etiam & morum civilitatem, probatione annali interpoſitâ, cum aptum & idoneum cenſeret, conventus ſui membrum eſſe voluit, demandatis per vices ipſi muneribus quibusdam, quibus non tam experiretur quàm aleret confirmaretque augeſcentem juvenis induſtriam. Objit illo tempore Henricus Junior, Dux Brunſvicenſis, princeps laudatiſſimus.

Sive fide, ſeu quis bello eſt expertus & armis.

relicto ex Mariâ Wirtenbergica unico herede & filio Duce Julio, qui à reformatione eccleſiarum & profligatione abominationum regni Pontificii felix & auſpicatum gubernationis ſuæ fecit initium. Quod cum ſapienter, ut cætera omnia, ageret, non tamen prætextu Evangelii prorſus monaſteria evertit, aut in præfecturas commutavit, ſed conſervatis in ſuo ſtatu & avitâ dignitate Prælatis (qui Ducatus membra, ut antiquitus fuerant, nunc etiam manent) ſcholas puerorum & virginum, quotidianis ſtudiorum & piarum cantionum exercitiis præſcriptis, effecit: Aperuit idem princeps illuſtre Pædagogium in antiquiſſimâ, adeoqᷓue primâ, ſi qua annalibus noſtris fides, urbe Gandeſia, ad Gandam fluvium, non procul ab Hercyniis montibus ſitâ. Ea tum temporis principi ſagaci digna viſa fuit, quæ Muſarum domicilium eſſet, tum quod vetuſtiſſimo illuſtrium ſanctimonialium collegio inſignis eſſet, tum quòd barbaris etiam temporibus aliqua eo in loco & Græcæ & Latinæ litteraturæ veſtigia reliqua permanſerint, quod ipſum Roſvitæ Poëtriæ comœdiæ & poëmata, non infeliciter pro captu ſexus temporumqᷓue conditione elaborata, planum faciunt. Ad hoc novum Saxonlæ Ciſueſeranæ gymnaſium mitti voluit Windruvius, & ut mitteretur facile ab altero ſuo parente impetravit. Cupiebat is hunc ſuum alumnum (quem ut olim D. Auguſtiuus Adeodatum diligebat unicè) litteris & pietate exerceri excolique optabat. Audiuit ibi è Theologis Nicolaum Selneccerum, hominem multæ lectionis & juxtim laboris tolerantiſſimum: cui in Miſniam revocato cum ſucceſſiſſet Timotheus Kirchnerus, non minus illum quoque ſtudioſè audivit. Præterea operam dabat diligentem M. Adamo Byſſandro, Illuſtris Pædagogii Rectori, homini diſerto, ejusque collegæ M. Eſaiæ Preiſero, Græcæ linguæ profeſſori. Migrante paullò poſt Gandeſiâ ad Elmum gymnaſio iſto Windruvius cum commilitonibus ſuis eò ſe deportavit. Translationis hujus me adoleſcente hæc ferebatur cauſſa: Gandeſium ſitum, ut dixi, ad radices ſaltus Hercynii initium veris liqueſcente nive & aqua copioſâ ex editis montibus delabente, eluvionibus ſubinde infeſtabatur: ita ut libri & ſuppellex literaria tam docentium, quàm diſcentium periclitarentur. Exemplum contigit paullò antequam translatio accideret, octavo die menſis Junii, totâ urbe horribiliter undis perfuſâ, quod damnum bis mille vallenſibus æſtimabatur. Præterea remotius erat Gandeſium à meditullio Saxoniæ & quaſi in angulo ſive receſſu poſitum, unde minus frequentari putabatur. Helmæſtadium verò præterquam quòd inter Magdeburgum & Brunſvigam urbes amplas & populoſas, loco ferè intermedio, eoqᷓue aperto & ſalubri ſitum eſt, vicinas habet concurrentes regiones, Ducatum Brunsvicenſem & Lunæburgenſem, archiepiſcopen Magdeburgenſem, & diœceſin Halberſtadenſem, quæ commoditas cum victus neceſſarii copiæ importandæ, tum alliciendæ ex iſtis regionibus vicinatis ratione ſtudioſorum multitudini profutura videbatur. Hæ fuerunt cauſſæ, quæ optimum principem impulerunt, ut illuſtrem ſuam ſcholam Gandershemio Helmæſtadium traduceret: accepit illa tum temporis cum novo hoſpitio novum nomen, ut à conditore, ſive parente JULIA indigitaretur. Accidere hæc anno Filii Dei M D LXXV. menſe Julio, quo ipſo tempore Windruvius amiſit parentem Stephanum Windruvium, à quo plurimum amabatur, quod ille de filii in litteris profectu & honeſtiſſimis moribus multa quotidiè inaudiret. Mater Windruvii ma-

rito ſuperſtes fuit, cumque filii conjugium optatum honoresque ampliſſimos cum gaudio grataque mente conſpexiſſet, anno M D LXXXIIX. die octavâ menſis Aprilis ex hac vita emigravit ſepulta Oſlebii in fano ejus loci. Filius in novâ ſcholâ ſtudia, quæ Gandeſiæ tractarat ſummâ continuavit diligentiâ: cumque fama ſpargeretur, Principem Julium per legatos in aulâ Imperatoris Maximiliani II. Juliæ ſuæ ſcholæ petere privilegia academica, piis precibus & votis ſalutare illud negocium proſequebatur, ſperans inde ad ſe etiam aliquid commodi & utilitatis redundaturum. Sed eodem, quo privilegia impetrata ſunt, anno, qui erat M D LXXV. accitus eſt à Lorberio Antiſtite Riddagshuſium, ut ibi eccleſiaſtes eſſet. Huic officio præfuit ſummâ fide typum gregis agens: id enim muneris gravitas, & conſcientia ejus tenera efflagitabat. Quinquennio pòſt, anno videlicet M D XXC. dignitate Prioris honoratus eſt, conjugemque duxit. De hoc matrimonio non ſine cauſa aliquid ſubjicio: duxit Windruvius Eliſſam Helmboldiam, virginem liberali formâ moribusque honeſtiſſimis præditam, cum quâ ei conjugium concors & tranquillum ad annos XXX. Nulla quidem ex eâ nata ſoboles, non minus tamen inter conjuges amor fuit ardens, qui aliis in matrimonio viventibus admirationi pariter & exemplo. Seneſcebat ſub id tempus Lorberus, ac piis precibus & meditationibus totum ſe tradens onus gubernationis permoleſtum in Achaten ſuum Windruvium transferebat, qui illud nequaquam detrectabat, ſed promptè & alacriter defatigati Alantis humeros ſublevabat, donec ille ſenio fractus & confectus ex hac vitâ ſe expediret.

Ad gubernacula Riddagshuſii evectus Windruvius, utrumque commiſſum ſibi putabat, nempe ut veſtigiis anteſſoris inſtaret diligenter, ſuoque conventui præeſſet fideliter, deinde ut Lorberii relictis orphanis parentem præſtaret. Certe poſterius non minore fide ac diligentia egit, quàm prius. Etenim Filios litteris imbui, & quod primum eſt ad pietatem ab ætate ineunte aſſueſieri curavit. Filias nubiles nuptui collocavit, non plebeis hominibus, ſed honoratis, qui vel Eccleſiaſtica vel politica munera cum laude adminiſtrarent. Ex his Lorberii liberis, quotquot ſuperſtites erant, quotidie ſentiebant Windruvium, non modò patronum, ſed alterum parentem. Quos mors interceperat, eorum poſteris præſtabat, quæ parentibus ſolebat. Omnem etiam, quem potuit honorem defuncto exhibuit: nam & monumentum ei erexit ſplendidum, & poëmatia memoriæ ac honori ejus conſecrata, typis exſcribi partimque inter amicos & notos diſtribui, partim diligenter aſſervari mandavit, ne videlicet quoquo modo viri religioſiſſimi memoria oblivione aboleretur. Huic etiam fini inſervit Chronicon noſtrum Riddagshuſenſe, quod Windruvius ſuo ſumptu colligi publiceque exſtare voluit, ut nimirum anteceſſores ſuos omnes, & in his Lorberium anteſignanum, ceu redivivos, una cum rebus eorum pie ſapienterque geſtis conſpiciendos exhiberet. Celebrat antiquitas tam Græca, quàm Latina illuſtria amicorum paria, puta Pyladem & Oreſtem, Theſeum & Pirothoum, Patroclum & Achillem, Niſum & Euryalum, Damonem & Pythiam, Lælium & Scipionem; Ciceronem & Pomponium Atticum: noſtra ætas habuit Melanchthonem & Camerarium, quibus jure accenſeri poſſunt Lorberius & Windruvius, inter quos propter naturæ morumque ſimilitudinem mutuus amor erat flagrantiſſimus, quem obſequiis, reverentia & cultu inter ſeſe velut decertantes aliis manifeſtum faciebant. Quomodo verò veſtigiis anteceſſoris inſtiterit: quomodo ejus pietatem cæterasque virtutes æmulari & repræſentare conatus ſit, id nemini cuiquam per hanc Saxoniam univerſam ignotum eſſe poteſt. Talis ille reverâ ut cognomentum *Boni*, quod Athenienſes Phocioni: *Corculi* quod Romani Scipioni Naſicæ tribuerunt, & illud ab Æſchylo expreſſum præconium jure meritoque ei conveniret:

Neq; enim videri volebat, ſed eſſe is optimus,
Sulcum profundum habens in pectore conſitum
Suo, veneranda conſilia unde germinant.

Imò *ad id virtutum omnium faſtigium aſcenderat, ut cuncta iſta, quæ vel ſapienter monentur, vel facunde prædicantur, vitâ ſuperaverit*, quemadmodum de Cerellio ſuo Cenſorinus retulit. Sacris, quæ quotidie in templo peraguntur, ut plurimùm intererat,

Digitized by Google

tererat, concionibus ſemper. Eæ cum ad populum haberentur, exemplo aliis erat, quâ reverentiâ & attentione auſcultandum eſſet. Et ſanè effectum hoc ipſo, ut vix alibi in auditoribus ſimilis conſpiceretur devotio. In ornando templo non ceſſit anteceſſoris ſui laudabili magnificentiæ, quod demonſtrabat olim utrumque altare, tum majus, quod in choro erat, tum minus, in areâ templi conſpiciendum. Utrumque impenſa non modicâ pecuniâ innovari, ac picturis artificioſis auroque rutilantibus illuſtrari curaverat. In ſcholâ monaſticâ ephorum agebat, ipſe, docentium diſcentiumque operas & ſtudia inſpiciens: deque puerorum ingeniis ac profectu inquirens, diligentes collaudabat, ſegniores reprehendebat. Examina quoties habebantur, niſi θεῦ βία prohiberet, præſens aderat. Hinc factum eſt ut tam præceptores, quàm diſcipuli in officio eſſent: quorum hos à ſe abeuntes, ut non ſine aliquo liberalis benevolentiæ ſigno dimittebat, ita illos ad majora evehere modis omnibus nitebatur. Neque iſta beneficentia ac largitas intra muros cœnobii ſe continebat, ſed longius evagabatur ad vicinos pariter & remotos excurrens. Scribo non audita ſed viſa, quæque expertus ſum ipſe, & per me alii. Habebat in trivialibus, in regiis (quas vulgo academias nominamus) ſcholis alumnos ſuos, quibus de victu amictuque liberaliter proſpiciebat. Tantum ſibi ipſi detrahere, aliisque elargiri non dubitabat: quanquam hîc nihil ſibi decedere, ſed in iſtos uſus erogata mirabiliter à Deo rependi, & experiebatur & grata mente prædicabat. Hujus ſuæ μεγαλοδωρίας καὶ φιλοδωρίας fructum tulit uberimum, nam & cœnobium ubivis terrarum hoc nomine prædicabatur, & qui ei devincti erant, in curando officio obeundisque negotiis alacres ſe ſemper gnavosque oſtendebant. Commemorari hîc etiam debet, quòd Windruvius perpetuum munificentiæ ſuæ ad poſteritatem teſtimonium exſtare voluit ordinatis duobus ſtipendiis pro totidem ex familiâ & cognatione ſuâ ſtudioſis, Theologiæ operam daturis, quibus ſingulis in annos quatuor viginti quinque valenſes numerari teſtamento ſancivit. Hanc pecuniam in fœnore tolerabili locatam honeſtâ parſimoniâ optimus vir acquiſierat, neque in alium quam hunc uſum convertere voluit, μεγάλη χάρις αὐτοῦ. De cæteris ejus virtutibus multa dici poſſent, ſed paucis multa complectemur. In adminiſtrandâ juſtitia Ariſtidem illum Athenienſem, qui ob virtutis iſtius ſtudium δίκαιος appellari meruit: in dijudicandis dirimendisque inter ſubditos controverſiis Salomonem æmulabatur. In vindicando cœnobii jure & libertate: in bonis ejus conſervandis amplificandisquè: in ære alieno per tumultuum bellicorum injurias frequentes conflato, diſſolvendo, tam ſe exhibuit ſtrenuum vigilantem & induſtrium, ut non æquaret modo anteceſſores ſuos, verùm etiam, quod pace illorum citraque invidiam dictum ſit, plerisque palmam eripere videretur. Atque inde evenit, quod per omnipotentis Dei gratiam ſub Windruvio is monaſterii ſtatus fuit, quem multis ſeculis fuiſſe nemo recordabatur. Verùm iſta felicitas ut inopinato, ita acerbiſſimo caſu interpolata eſt, de quo ut aliquid commemorem,

Quanquam animus meminiſſe horret luctuq; refugit,

ipſa imperat mihi neceſſitas. Res autem omnis hoc ſe habet modo: Henricus Julius potentiſſimus Brunſvicenſium & Lunæburgenſium Dux, multiplicibus enormibusque Senatus populique Brunſvicenſis injuriis laceſſitus, coacto ex ſubditis ſuis, ab aliquot menſibus ad uſum armorum præparatis, numeroſo exercitu, cui cohortes aliquot mercenariorum militum conjunxit, urbem Brunſvigam hoſtiliter obſedit, valideque tormentis concuſſit. Increbeſcente rumore de repentino iſto tumultu bellico, civitates Hanſeaticæ, Reipubl. iſti confœderatæ, in Weſtvaliâ, Belgio & alibi equites peditesq; magno conduxere numero, quibus luſtratis: bellicisq; tormentis ſufficienter inſtructis, in diribitorio licentia graſſandi in Ducis Brunſvicenſis ſubditos permiſſa ferebatur. Ordines provinciæ ſive Circi Saxoniæ inferioris miſſis legatis maturè ſe interpoſuerunt, eas pacis conditiones utrique parti proponentes, quibus principi Henrico Julio, tanquam indubitato magiſtratui auctoritas & jura hereditaria à majoribus accepta, urbi ſine controverſiâ ſubditæ, privilegia & poſſeſſiones, vel gratis donatæ, vel precio acquiſitæ, integræ, ſartæ tectæ remanerent. Verum tota hæc actio, etſi temporis longi, laboris moleſtiſſimi, ſumtuumque infinitorum, fruſtra fuit. Cæſarea majeſtas de incendio, ut opinione graviore, ita

Digitized by Google

umptis viribus longius latiusque ſeſe diffuſuro, per litteras edocta, legatos illuſtres cum auctoritate miſit, qui utrique parti armorum depoſitionem imperarent, communicatoque cum ordinibus Circi Saxonici conſilio, res in controverſiam deductas cognoſcerent, lites dirimerent, & hoc modo tam provinciæ toti, quam urbi obſeſſæ pacem ſalutarem conficerent. Princeps Φιλόμοχθος καὶ Φιλόπατρις intellectâ ſeverâ ſummi magiſtratus voluntate, è veſtigio obſidionem ſolvit, militemque omnem tam domeſticum, quam extraneum, numeratis ſtipendiis, dimiſit, nihil ſuſpicans, quod ad pacem ſe componenti fraudi & incommodo eſſe poſſet. Dum hæc ita aguntur civitatum fœderatarum copiæ nemine prohibente Brunſvigam ingrediuntur, quod cum ſtipendiorum petendorum cauſsâ fieri à noſtris crederetur, derepente apparuit, parum ſincerè ab adversâ parte in pacificationis negotio verſatum, ingensque malum territorio urbi vicino imminere. Etenim mandatis avocatoriis Imperialibus, ſeveris illis, ac contumacibus proſcriptionis pœnam denunciantibus, quibus princeps ſine morâ paruerat, neglectis ſive contemptis, cohortes aliquot prædatoriæ portis ſubinde erumpentes, primò pagos ſuburbanos crudelem in modum incurſabant, nulli neq; ſexui neq; ætati parcentes. Quod cum impunè agerent, ſumptâ majore audaciâ longiùs progredi cœpere, pagosque circumquaque, qui principis eſſent, hoſtiliter invadentes, armentis pecoribusque abactis, colonis inermibus cæſis, fugatis, ſacris privatisque ædibus effractis, atque exinanitis, cum ingenti prædâ triumphantes in urbem rediere. Iſtis diebus princeps Henricus Julius Schœningæ commorabatur, exauctoraturus equites nondum dimiſſos, qui pauci admodum. Negocio confecto publicâ ſive regiâ viâ tendebat ad auguſtale majorum Wolfenbutelum, ſtipatus equitatu circiter hominum triginta, quos longo intervallo ſequebantur centum & quinquaginta equites. In itinere cum vix quinto lapide ab aulâ abeſſet, prope paluſtria paſcua pagi Dethem princeps cum ſuo comitatu incidit in manifeſtas inſidias, diſpoſitis ab utraque parte viæ militaris cohortibus armatis perquam multis. Quibus cum nequaquam parem ſe videret, ut præſens adeoque extremum diſcrimen evitaret, per prærupta juga vicini nemoris, Aſſam vocant accolæ, viâ clivosâ & perdifficili, concitato indeſinenter calcaribus equo, Wolfenbutelum contendere neceſſe habuit. Senſit tum optimus princeps in periculo capitali divinam protectionem, alioqui fieri vix potuiſſet quin ab hoſte fuiſſet interceptus. Vivum, quâ erat animi magnitudine nunquam ſe abduci paſſus fuiſſet, quæcunque ei eveniſſet fortuna. Rediit ad ſuos cum Deo bene juvante incolumis, ſed luto & aquis contaminatus, ſudore diffluens & ſupra modum defatigatus. Riddagshuſani in propinquo habitantes cum calamitates vicinis illatas intuerentur, de ſuâ ſalute commodisque ſoliciti, partem ſupellectilis & annonæ, quâ potuerunt celeritate avehi & in loca tutiora reponi curabant. Quod cum emanaſſet, hoſtes non ignari, quanta ibi nuper rerum omnium fuiſſet copia, in monaſterium, jam à multis annis eruditæ pietatis & honeſtæ diſciplinæ domicilium, omniumque tam pauperum, quàm nominis & exiſtimationis alicujus hominum commune quaſi Xenodochium, catervatim involarunt, ita in eo graſſati, ut nec Scythæ, ab omni humanitate alieni fœdius immaniusque potuiſſent. Nobile illud, ſpacioſum, ſpecioſumque, ac toto Ducatu celebre fanum, à Lorberio & Windruvio aris, baptiſterio, ſuggeſtu, ſacrario, ſubſelliis, organo, & pavimento operosè magnoque ſumptu fabrefactis, exquiſite adornatum, ita exinanitum eſt & deſpoliatum. ut vix trabs unicâ remanſerit integra. Itum deinde ad reliqua ædificia, horrea, armentorum gregumque ſtabula, moletrimas, cellas, granaria, cubicula & bibliothecam, in quæ omnia pari furore debacchatum.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?

Exſtant inſtrumenta authentica, exſtant libelli accuſatorii, tam Imperatori ipſi, quam dicaſterio regni Germanici ſupremo, qvod eſt Spiræ Nemetum, oblati, in quibus omnia maleficia, in hoc ſacro loco enormiter perpetrata, ordine commemorantur. Sed non contenti iſta, quam diximus, immanitate, profani & impii homines, prioribus flagitiis colophonem addiderunt, injecto nimirum igne in ædificia monaſterii, quo omnia miſere conflagrata in cineres & pulverem corruerunt.

Qui

——— *Quis talia fando*
Temperet à lacrymis?

Adminiſter incendii annotatus eſt centaurus quidam Franciſcus Ludewicus Rumpfius, neſcio cujas, qui ſe hoc atroci facinore, exemplo Heroſtrati, ad omnem poſteritatem nobilitare voluit: quem tamen Nemeſis pone à tergo ſecuta eſt, ſiquidem à rege *S*ueciæ perfidiæ ac pecuniæ interverſæ publice accuſatum meminimus.

Windruvius cum ſua familia (Scholaſtici enim iam pridem dimiſſi erant) ante direptionem monaſterii exſulatum ierat Oſlebium, ſumma in hoc perturbato rerum ſtatu uſus patientia, eoque ſe conſolatus unice, quod nullam acerbiſſimo hoſti præbuiſſet cauſſam aliquid erga ſe ſuosque tentandi, quod tantam oſtenderet ſævitiam.

Infamiam vero tam atrocis & Chriſtiano nomine indigni facinoris, Senatus Brunſuicenſis edito ſcripto prolixo, à ſe ſuisque civibus avertere, omnem culpam in militem mercenarium, ejusque Duces transferre conabatur, ſed illi oppoſita apologia ſuam teſtati innocentiam, ſacrilegia, rapinas, incendia, reliquasque Riddagshuſio illatas injurias, à plebe urbana, militibus longe deteriore, commiſſas fuiſſe, concorditer affirmarunt. Scripta partis utriusque ſunt in medio, ad quæ lectorem remitto. Pace Imperatoria auctoritate conſtituta, Windruvius de monaſterio reſtaurando perquam fuit ſolicitus, in quo negocio, neque divina benedictio, neque optimi Principis Henrici Julii munificentia, neque ordinum Ducatus, cumprimis Eccleſiaſticorum, ſuppetiæ ei defuere. Felicitatum eſt opus arduum præter omnium, qui calamitatem infelici loco illatam coram intuiti erant, deque ſumptibus neceſſariis prudenter cogitabant, opinionem & rationes. Verum pium hoc negocium cum aſſidua cura agentem Windruvium, nova calamitas eaque domeſtica obruit, conjuge amantiſſima ex hac mortali vita evocata. De matronæ iſtius pietate erga Deum, reverentia erga maritum, & beneficia erga pauperes, multa hic dici poſſent, ſed lectoris ocio abuti noluimus. Sufficiant threni tum temporis a me effuſi, quos ſubjungam.

SIc aliquis, vel vicinus, vel ſanguine junctus,
Grandævæ ad tumulum SARÆ funebria juſta
Manibus exſolvit ſanctis, triſtisque mariti
Parte aliqua undantes ſtuduit lenire dolores.
Ergo jaces patriique ſoli ſtirpisque vetuſtæ
Eximium ſidus? nec te potuere mariti
Vota ſenis, natique preces & crebra piorum
Immunem à rigida ſuſpiria reddere morte?
Quæ te autem melius primis cognorat ab annis
Naturam auctoris rerum, & quo gaudeat ille
More & honore coli? quæ relligioſius aras
Viſebat ſupplex & quæ de ſemine ſancto
Longævi divina ſenes oracula nobis
Ore dabant, animi cura graviore notabat?
At jam nacta virum, quo nemo à tempore SEMI,
Vel pietate fuit major, vel rebus agendis
Dexterior, quam tu obſervans illius amansque!
Cum conjunx eſſes domum appellare ſolebas
Et multum præferre tibi, quia creditus illi
Cardo ſalusque domus: à cujus luce reſultet
Lucis honos & imago tuæ. Perferre coactum
Exſilia, & varios non una in gente labores
Sponte ſequebaris, caſtumque intacta pudorem
Servabas inter medios divinitus hoſtes.
Felix ô nimium felix! quæ effœta ſenili
Corpore geſtaſti fœtum ſiccisque tenellam
Paviſti uberibus ſobolem, ceu JOVA futurum
Omnipotens multum dubiæ prædixerat ante.
Ex hoc magna parens, princepsque vocabere gentis

Iſacidum, fatis quæ toto ex orbe coacta
Spemque fidemque ſuam benedicto in ſemine ponet,
Salve ornamentum ſexus & nobile morum
Spectamen, dum poſteritas heroica SEMI
Servabit patrios infracto pectore ritus,
Conjugioque ſuo illæſum gaudebit honore,
Æque nota viris vives & matribus æque.
Hæc ille ad tumulum SARÆ, quæ priſca ſuperbum
Tollit ad aſtra caput Chananæis Hebron in oris,
Et vicina ſolum denſa tegit ilice Mambre.
Fas mihi nunc iiſdem numeris & vocibus uti
Dum munus ſolemne paro: dum largior iſti
Exequias animæ. quæ fama clara mariti,
Clara pudore ſuo ſanctæque ſimillima SARÆ,
Matribus exemplum virtutis præbuit omnis.
Quæ genus, unde domo, non eſt ut pluribus edam.
Splendor abeſt illic: ruri vixere parentes
Contenti modico: fama integra utrinque, nec ulla
Labe notata domus: formandæ maxima prolis
Cura vigilque labor. Natarum prima maritum
WINDRUVIUM meruit, cui non tam forma venuſta,
Quam pudor & mores nymphæ placuere decori.
Tali nupta viro felix HELMBOLDIA, nomen
Quod proluta ſacris Baptiſmi acceperat undis
Omine firmari docuit; gratiſſima quippe
Ipſa Deo, & rurſus reverens tam mitis & almi
Numinis. O quali precibus fervore vacabat!
Quam cupide intererat ſacris! quam ſæpe reatus
Faſſa prius noxaſque ſuas acceſſit ad aram,
Myſticaque ætheriæ libavit fercula menſæ.
Atque hic non hyemis obſtabat frigore duræ,
Nec face qui torret ſitientes Sirius agros
Nec multo gravis imbre Notus. Flagrabat amore
Tota Dei, totoque animo divina colebat.
Proxima cura fuit caro placuiſſe marito
Obſequiis puraque fide, quem ſi qua gravabant
Pondera curarum: ſi quis turbaverat æſtus
Muneris impoſiti vel lecto affligere inerti
Morbus anhelabat, mirum! quam commoda blando
Alloquio fidaque manu ſolatia ferret.
Atque hæc cauſſa fuit cur tot labentibus annis
Tam concors utrique thorus, quem tetrica nunquam
Lis aggreſſa fuit, nunquam ſuſpicio læſit.
Dicite nunc inopes animæ deſertaque turba,
Sive domo extruſos latis errare plateis
Cogit acerba fames: vacua ſeu detinet æde
Longa lues caſſusve pudor: num defuit unquam
Auxilio vobis HELMBOLDIA? nonne parentis
Induit affectus ærumnæ conſcia veſtræ
Admovitque manus? quæ membra emortua tabe
Integerent nevit digitis, nutrimina ventrem
Placatura dedit nullo non tempore prompta.
Scitis & heu! nimium reminiſci corde poteſtis.
O ſanctas imitata nurus! quas ultima jactant
Secula, quas ſacri decorarunt nomine Faſti.
Qualis ISACE tibi multum dilecta REBECCA,

Aut

Aut quales DORCAS operum haut ignara Minervæ,
Quam circum innumeræ matres viduæque ſedebant
Nudæ humeros nudæque pedes, quibus illa viritim
Veſtimenta dabat contra horrida frigora & imbres.
Denique qualis erat conjunx Senioris ABRAMI
Plena fide, exemplar morum ſexusque corona.
Quas dum fama memor venturis prodere ſeclis
Gaudet & æterno penſat benefacta favore:
Te quoque poſteritas illis HELBOLDIA junget,
Factaque virtutesque canens: præſentia donec
Secula & arſuro confinia tempora mundo,
Subruat una dies regnique exordia ſiſtat
Alterius: ubi vera fides operata Jehovæ,
Gratificata inopi, juſta mercede laborum
Æternum & ſtabilis gaudebit honore triumphi.

Henricus Meibomius f.

Obiit conjunx Windruvii XV. Martii M. DC. X. ſepulta decenter in templo Honlagiano. Concionem ad funus habuit M. Chriſtianus Præpoſitus monaſterii Prior & Parochus, vir vere religioſus & doctus. Verum idem, paullo poſt, nempe XXIII. ejusdem menſis viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Inopinatus iſte caſus graviſſime afflixit Windruvium, amiſſo nimirum eo, quem ſucceſſorem ſperabat, cui vivo omnia ſua conſilia credebat, quemque manum dextram appellare ſolebat. Sic igitur bonus ſenex verum experiebatur, quod in proverbium abiit, nulla calamitas ſola: Funus monaſterii admodum lugubre exceperunt duo obitus triſtiſſimi, conjugis deſideratæ & amici intimi, mala catenata, ne quid ad luctum continuandum mortemque maturandam deeſſet.

Permanſit in viduitate Windruvius ſupra biennium ſex menſes: tum enim ſuadentibus amicis, ut curarum caſuumque levamen haberet, alteram duxit conjugem Annam ab Hern/ Gerhardi Abbatis Lutterani relictam viduam, fœminam moratam & religioſam: verum matrimonium hoc, ut vix duorum fuit annorum, ita in eo valetudo Windruvii ſemper fuit infirma, tentata catharris ad pectus delabentibus, quorum vi & violentia oppreſſus ſpiritum creatori reddidit XXIV. die menſis Octobris anni M. DC. XIV. cum vixiſſet annos LXIII. menſes IIX. dies III. Sepultus eſt honorifice præſentibus ex aula legatis Ducalibus, & ex nobilitate vicina, præterea academiæ Juliæ profeſſoribus nonnullis. Concionem funebrem habebat Baſilius Satlerus Doctor Theologus, quæ publice legitur, una cum diverſis amicorum carminibus epitaphiis, quæ hic repetere nimis foret prolixum: parentationem in Julia academica à me inſtitutam omittere nullus potui, quæ, cum Programmate publice affixo, ita ſe habet.

PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ JULIÆ LECTURIS S.

INter ornamenta florentisſimi hujus Ducatus, quibus à tempore ſalutaris reformationis, per illuſtriſſimum ſapientisſimumque Principem Divum Julium factæ, divinitus illuſtratus eſt, meritò numeramus reverendum & amplisſimum virum, *Dn. Petrum Windruvium*, antiqui & celebris monaſterii Riddagshuſenſis abbatem dignisſimum. Vix autem putamus quenquam eſſe inter vos, cui vir ille ignotus fuerit: quique non de ejus inſigni pietate, beneficentia, candore & humanitate ſermones audierit multoties jucundisſimos: Certè ut merebatur ille, ita virtutum ſuarum non tantum in hoc illuſtri ad Elmum gymnaſio, cui plurimum favebat, multisque in eo, tam docentibus, quam diſcentibus, benefaciebat, verum in aliis etiam academiis, ad quas non minus rivulos munificentiæ ſuæ dimanare patiebatur, præcones invenit. Hunc communem Evergetam, ſive ut literatisſimus pariter & fortisſimus princeps Henricus Julius, nutritor noſter clementisſimus, illuſtri præconio eum dignari ſolebat, *Prælatorum hujus Ducatus coronam*, anno ætatis ſexageſimo quarto nondum completo, ex ſtatione ſua placida morte evocatum Deus in cœleſte θεολογεῖον collocavit. Dignus equidem fuiſſet vir tantus longiore vita, quam quidem ipſe ſibi pollicebatur, nos à Deo precabamur, ut nempe ἀσκητήριον ſuum eruditæ pietati ſacrum, per ſummum ſcelus, & infami inter Chriſtianos exemplo, à profligatis graſſatoribus, nulla impellente cauſâ, in cineres & favillas redactum ſicuti feliciter ceperat, inſtaurare potuiſſet. Verum Deo opt. max. *cujus in manu ſunt tempora noſtra*, aliter viſum fuit. Quia vero Cl. vir. Henricus Meibomius, Poeta & Hiſtoricus hujus academiæ celeberrimus, collega noſter honorandus, Windruvii τοῦ μακαρίτου ab annis quadraginta amicus, imò neceſſarius, & hoc nomine cum ſuis benigne ſemper & liberaliter habitus, privato publicoque nomine patrono & amico, hodie hora nona laudabili more parentabit, cives noſtros hortamur, ut frequentes conveniant, audituri communis benefactoris laudationem, non ab adulatione, à qua collega noſter quam longisſime abeſt, ſed ex rei veritate, omnibus cognita, multis experta, nec paucis prædicata, profectam. Rareſcunt hodie, ut videmus, & areſcunt litterarum ac litteratorum patroni, vixque tot inveniuntur, quot Thebis fuerunt portæ, Nili numerantur oſtia. Laudandi igitur meritò qui bona Deo & eruditæ pietati conſecrata fine ſuo defraudare veriti, beneficentia & liberalitate hos juvant, illos ad imitationem provocant. Quos ut multos deinceps habeamus faxit omnipotens & miſericors Deus. O. V.

P. P. XIIX. Febr. quo ante annos LXIV. bono publico natus eſt
Windruvius πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. anno
cIɔ Iɔc XV.

Digitized by Google

SI mihi per ſuperos olim licuiſſet ademto
Inferias donare patri, lacrymisque ſepulcrum
Spargere, & immites dictis inceſſere Parcas,
Haud alio cultu me Sol vidiſſet & ore,
Quàm qualem aſpicitis, noſtri pars optima cœtus,
Prona Deum in ſanctis præſentem agnoſcere, & iſtis
Diſcere ab exemplis quid noſtro ſerviat uſu.
Illi etenim jam juſta viro funebria ſolvam
Dante Deo, quem nemo ſatis laudaverit unquam:
Non ſi Mæonii ſublimem pectoris auram
Accipiat, totusque novo deferveat igni
Virtuti prohibere potens oblivia & arti.
Quicquid id eſt, cùm plectra meæ vocalia Muſæ
Semideûm manes non aſpernentur, & ædes
Audiat hæc memoretque viros & facta quotannis
Ardua, noſtro etiam non dedignabitur alter
Ore cani, mihi ſufficiat monſtraſſe patronis,
Quantoperè ingrati fugiam exſecrabile nomen:
Et benefacta libens aliquà mercede rependam.
Quâ jacet algentem Guelforum regia ad Ocrim
Nacta LUPI nomen, quòd læſa remordeat hoſtem,
Olim vicus erat tenuis, rariſſima tecta,
Sed ſpacio oſtendens olidas majore paludes.
Nunc ibi converſis urbs eminet inclyta rebus,
Magnificæque domus & ſplendida mœnia ſurgunt
Turmatim coëunte manu plebisque patrumque.
Ipſe forum, merces & diſcurrentia cernens
Agmina, felicem nimium ſe prædicat Ocris,
Inque dies avida majus ſpe cogitat augmen.
Iſte locus cunas & primos præbuit ortus
Windruvio, à nato ter quinque ubi ſecula Chriſto,
Nec non luſtra decem atque unus decurrerat annus.
Si genus excutias ſine cenſu & munere totam
Invenias ſeriem: vitæ frugalis amantes
Quæſivere manu victum, neque pauperis unquam
Extra ſepta domûs ſpes extendêre remiſſas.
Primus ab obſcuræ deflexit tramite vitæ
Hortatu STEPHANI genitoris PETRUS, ad artes
Ingenuas animum adjiciens conamine pulcro.
Non deerant puerum qui prima elementa docerent,
Qui faciles cultis formarent moribus annos:
Sola aberat pietas templis, dominante Papatu
Principis HENRICI juſſu, qui JUNIOR audit,
Inferior nulli procerum victricibus armis,
Germanâque fide: ſi tantum devia recti
Orgia monſtriferæ potuiſſet linquere Romæ.
Hujus in imperio ſucceſſor JULIUS omnem
Abſterſit templis labem, purumque reduxit
Doctrinæ Solem, qualis felicibus annis
Luxit Apoſtolico mundum inſtaurante ſenatu.
Idem etiam Hercynii propter juga pinea ſaltus
Ad vada declivis *Gandæ* (quàm *Roſuita* quondam,
Roſuita Saxonicæ decus indelebile gentis,
Lesbidos auſa ſequi numeris veſtigia Sapphûs,
Eripuit tenebris Pimplææque addidit undæ)
Gymnaſium ſtatuit formandæ nobile pubi,

 Accivit-

Accivitque viros diverſis partibus orbis
Inſignes meritis, cathedræqui munus obirent
Arte animoque pari: ne ſuccedentibus annis
Deficeret noſtras doctorum copia gentes.
Fama rei ſuperat, noſtroque eſt creber in ore
Flumine *Ganda* ſuo: veteris ſtat gratia conſtans
Hoſpitii, multumque juvat primordia noſſe
Magnæ parva rei: nunc omnia tradidit *Elmo*
Jova potens, humilemque prius æquavit Olympo.
Dii faciant tantum munus rectè æſtimet ille,
Fortunæque memor veteris res ferre ſecundas
Æquo animo, fontemque boni cognoſcere norit.
Perſtitit in ripa Gandæ trieteride tota
Windruvius, præbens avidas doctoribus aures,
SELNECCERE tibi Chriſti meritiſſime præco.
Nec non BYSSANDRO, Logicas qui gnaviter artes
Sermoniſque uſum Latii Graijque docebat.
Acre viri ingenium, vigilanſque induſtria, & omni
In re dexteritas, fandique decora facultas,
Nunc quoque nomen habent, & multo teſte probantur.
At poſtquam Hercynias rupes illuſtre reliquit
Gymnaſium, viridemque lares defixit ad ELMUM,
Fundatore novum ſumens à principe nomen,
Windruvius ſeſe KIRCHNERO tradidit uni,
Kirchnero, quem ſinceræ pietatis amantem,
Oſoremque trucis faſtus, levitatis & omnis,
Ipſe etiam erubuit dictis perſtringere livor.
Hoc auctore frequens ſuggeſtum aſcendit, & artem
Expertus vireſque ſuas, cœleſtia plebi
Dogmata propoſuit, quò ſeſe ad grande pararet
Rectiùs officium, & naturæ ſemina prima
Uſibus augeret crebris, lapſuſque notaret
Defectuſque ſuos, quos corrigat æmula virtus.
Utile conſilium juveni, quem fata vocabant
Ad meſſem vicina ſacram, myſtamque volebat
Eſſe ſuum præſul Ridagi venerandus in æde
LORBERIUS, quem dum ſequitur paretque monenti,
Seque oneri accingit, venturo ſternit honori
Certum iter, & diſcit quo pacto rebus egenis
Subveniat mactetque ſuos ſplendore penates.
Quippe ſeneſcentis feſſos Antiſtitis annos
Ipſe ſua fulcivit ope, imminuitque laborem
Juſſus obire vices, ubicunque & quando neceſſe.
Fecerat ingenio facilem natura bonumque
Lorberium, cui ſumma aliis prodeſſe voluptas,
Remque ſuam donare piis: conſortia tantum
Congreſſuſque hominum ſtudioſius evitabat,
Incertum an genii culpâ, ſeniive rigore,
Sive quòd ærumnis mens fracta prioribus eſſet,
Defectuſque vigor. Nequid tamen inde ruinæ,
Aut minus officii hoſpitibus, pubiſve regendæ
Neglectus: labor & curæ volvuntur in unum.
Windruvium: templum ille ſacris ſermonibus implet,
Gymnaſiique operas luſtrat: tum cætera fidus
Expedit Oeconomi munus quæcunque requirit.

In

In quibus ut pariter cunctis venerabilis eſſet,
Principis aſſenſu PRIOR eſt de more creatus.
Tum quoque Tharſenſis præcepta ſalubria vatis
Presbyterum ſancita gregi, ſervataque ritè
Chriſtiadum primis & adhuc inſontibus annis,
Intuitus, carniſque memor quàm perdita noſtræ
Improbitas, licitos formoſæ virginis ignes
Ambiit, & vinclo ſubmiſit colla jugali.
Quæ fuerat ſuperos & tunc atque antè precatus,
Nempe ut conjugium ſine litibus eſſet amaris,
Prole bearetur pulcra, ſuccedere partim
Jova dedit, partim, quæcunque eſt cauſſa, negavit.
Manſit amor flagrans utrinque & mutuus ardor
Haud lites metuens, nec motæ jurgia bilis.
Connubii ſolùm vota ingeminata fefellit
Fructus, & hæc avidis invidit gaudia tædis,
Ne pater audiret PETRUS, neu mater ELISA.
Interea ſenio morbique tyrannide victus
Antiſtes ſenſim ſupremæ proximat horæ:
Feliceſque obitus & ſanæ mentis agonem
Nunc prece, nunc lacrymis plusquam ferventibus orat.
Audiit omnipotens gemitus, nexuque ſoluto
Vitæ avidam alterius animam ſuſcepit Olympo.
Exſtinctum flevere boni, per rura, per urbes,
Munificæ memores dextræ: qua largiter ille
In multos ſpargebat opes, ſeu durior ægros
Fecerat, aut inopes fortuna, domoue paterna
Ejectos alibi mandarat quærere nidum.
Sive ſupra vulgum doctrina & vivida virtus
Extulerat, famæque aliquo donarat honore.
His munem nunquam ſe non præbebat amicum
Lorberius: ſuperant teſtes, procuſaque paſſim
Scripta fidem faciunt: nec poſtera neſciet ætas
Facta viri: dignum multâ pietate ſepulcrum
Collegæ poſuit vacuo ſucceſſor honori
Debitus. O nimium miti dilecta Jehovæ
Sacra domus *Ridagi l. Laurum* componis in urnam,
Eximiam fructu Laurum, ſed nectare plenam
Ætherio recipit divis donantibuus *Uvam*,
Arripe fatidicum tam pulcri nominis omen.
Quem teneræ vitis lento ſupenſa racemo
Turgida purpureo non afficit uva colore?
Quæ non exhilarat riguo mœrentia ſucco
Pectora ſopitis inducens gaudia curis,
Candida cum peragunt hilares convivia amici?
Verùm agite huic noſtræ *Ridagus* quid debeat Uvæ,
Quid totus BRUNONIS æger: quid Palladi caſtæ
Turba vacans, quocunque agitet ſub ſydere vitam,
Fas meminiſſe hodie, memorique inſcribere cartæ,
Quæ via ſublimem tulerit ſuper ætheris oras,
Publicus unde favor magnis expertus in aulis,
Cognitior plebi & plauſu majore notatus.
Prima viri virtus Pietas, non illita fuco
Nec vaga, ſed conſtans, quæ fundamenta ſalutis
Inviolata tenens, & robore fulta virili
Errorum laqueos potuit vitare nocentes.

Sive

Sive illos orbi fatis poſuiſſet iniquis
Roma furens, ſeu quiſquam alius de fæce profana,
Cuipax eſt odio, infelix diſcordia cordi.
Nil deſperandum eſt, Pietas ubi vivida præſens
Conſiliis & rebus adeſt. Hac auſpice fretus,
Hac duce cœnobii intrepide ſuſcepit habenas
Windruvius. Damnum non uno nuper ab hoſte
Illatum, triſteſque minas dejectaque fœdè
Mœnia ſolliciti ſenis emendaverat acre
Ingenium: ſed quæ fieri meliora volebant
Plurima reſtabant: alieni ſcilicet æris
Magnum onus & manibus ſolvendum fœnus avaris,
Prædiaque indigne peregrino ſubdita juri:
Scriptus exciſi ſaltus, vivaria ſicca,
Semirutæque domus; quæ verti cuncta volebant
In melius, medicaſque manus operamque rogabant.
Quanto oneris gravior moles, quo crebrius irent
In litem, & damno vicini finibus eſſent:
Acrior hoc ſemper mens, hoc audentior ibat
Windruvius contra: dubiumque labore juvaret
Laſſaretve animum. Diſtracta prioribus annis
Prædia, agros, villas extorſit jure, vel ære,
Sæpe etiam invitis, lapidemque moventibus omnem,
Ne poſſeſſa diu è manibus paterentur abire.
Debita quæ fuerant cumulata exſolvit, & ædes
Clade ruinoſas fundo inſtauravit ab imo,
Haud opibus parcens ullis ulloque labori.
Quis non obſtupuit mecum (fac cætera deſint)
Impenſos templo ſumtus, altariaque auro
Fulgida, & artificum doctas in pariete dextras,
Pulpitaque & validis ſubſellia proxima pilis,
Haud operæ informis, ſed acuto lævia torno?
Ut de gymnaſio ſileam: cui multa ſupellex
Addita librorum pluteis diſtincta decoris.
His ita perfectis Ridagi floreſcere cœpit
Alma domus, famaque aliis præcellere fanis
Quotquot habet Brunonis ager: ſeu laxior illis
Regula, & antiquo BENEDICTI à tramite ritus:
Sive ordo BERNHARDE tuus: ſeu Præſulis AFRI
Nomine lætentur, quem torridus audiit HIPPO.
Sic alias inter procerior eminet arbos,
Nota viatori, nemoris decus, ardua ramos,
Denſa comas, cujus volucres in frondibus hærent,
Subtus agunt pecudes & mollia gramina tondent
Solſtitium capiti tremulis arcentibus umbris.
Sed neque finitimis tantum, quos aſpicit Albis,
Leinaque & Auſonia calcatus claſſe Viſurgis,
Fama domus Ridagi jucunda innotuit aura.
At Rhenus, Viader, Lanuſque & Balthica Tetys,
Quique vadis Phyliren Myſam fœcundat Eliſter,
Munificos novere lares, & glena benigni
Tecta patrocinii ac tutum pietatis aſylum.
Huc miſere ſuos doctorum turba labores
Windruvii titulo comptos: nunc myſta verendus
Ore potens calamoque fidem defendere veram;
Nunc aliquis Themidos cultor, ſolerſve Machaon,

Aut Phœbo plenus vates, lapſique notator
Temporis & rerum: aut menſor terræque mariſque
Nemo operæ precio caruit, dignoque laboris
Munere ſuſcepti: ſuperavit ſæpe modeſtam
Prodiga ſpem pietas dignataque Muſa favore
Conſpicuo ſtimulos majores ſenſit ad auſus.
Talis erat Latio *Hetruſcis* de regibus ortus
Mæcenas eques, *Auguſto* Romana tenente
Sceptra manu: qui ſi meritis prolixior audit,
Confer opes animo: fecit fortuna profuſum
Succeſſus nullius egens: par illa fuiſſet
Huic botro, & vultu natum vidiſſet eodem
Major in ore foret vatum, palmamque negaret,
CILNI magne, tibi: tam plenum nomine pectus;
Tam cupiens animus famæ ſervire perenni.
Qui peregre hæc audis nullo diſcrimine facta,
Arvaque læta vides noſtris extraria rivis,
Crede domi affectus haud ulla parte minores.
Atque heic mille animas ſexus utriusque putato
Obverſari oculis, tremuloque incedere greſſu.
Pars habitu informis, perfuſaque corpore toto
Illuvie turpi, populatos mœreat artus
Morbis ſive fame: pars ingemat hoſtis acerbi
Illatas in tecta faces armentaque rapta
Abſtractosque greges, alius violenta queratur
Exilia, & patrio ſedes in rure negatas,
Tybridis ob furias & non tolerabile ſævæ
Imperium Romæ: ſit quem ſpoliaverit horæ
Momento Vulcanus edax laribusque bonisque,
Heu luſtris aliquot partis! ſit mercibus hauſtis
Impacta ſcopulis vel arenæ nave latenti
Ad patrios inopem Nereus quem miſerit agros.
Non abſint viduæ, non turba parentibus orba,
Quæque ambita proco dotem ſibi corroget ore
Exiguam virgo: ſuper hos appareat ingens
Præconum verbi numerus, geſtuque modeſto
Et placido vultu propenſam viſitet ædem.
Hos inter medius facie ſpectetur amica
Windruvius, dextra nunc hos nunc comiter illos
Amplexus: placidi nemo ſolaminis expers,
Nemo indonatus ſua tecta laresque reviſat.
Quid magis oblectet pietatis amore flagrantem
Præſentisque Dei cupidum veſtigia noſſe:
Dum ruit in præceps quicquid ſub ſole moratur:
Nec quisquam ærumnas vicinæ cogitat ædis,
An miſeram morbi, aut penuria vexet edendi:
Aut gelidum frigus nudatos excoquat artus.
Dum ſibi, non aliis, natam ſe maxima credit
Pars hominum, & ſterilis pietas in verba migravit.
Vidi ego, viderunt alii, quos advoco teſtes,
Sive heic, ſive alibi vivant: ſub Præſule noſtro
Nullus pene dies abiit, quin conſcius eſſet
Sanctorum teſtisque operum, multosque videret
Ære hilares aliquo Ridagi diſcedere tectis.
Quod tamen evenit longe cumulatius ægris,
Cladibus infamis quoties apparuit annus:

Sive ille immodicus pluviis, ſeu Sirius agros
Ureret, & victum ſeges enervata negaret.
Aut fluidæ cœlum traheret contagia peſtis,
Multa hominum miſerè demittens corpora leto.
Invenit pietas & munificentia laudem:
Nec timuit leges: ipſi quos ordine vidit
Commiſſos patriæ faſces & ſceptra tenere.
Nil horum vetuere Duces, nullumque favori
Præſcripſere modum: in magnis diſcretio rebus
Cognita perſuaſit, nullos adrepere abuſus:
Haud tribui fucis, apibus quæ debita caſtis,
Nec faciles ultra cenſum procedere ſumtus.
Qui verò poterant propiùs ſpectare, quis eſſet
Cœnobii ſtatus & facies: quòd plena favoris
Omnia divini, denſarentque horrea meſſes,
Ampla gravarentur multo granaria farre
Laxaque complerent ſpacioſas dolia cellas;
Præterea in ſtabulis eſſent armenta gregesque
Non pauci, & piſces per ſtagna lacusque frequentes,
Agnovere Deum vultus, & reddita fonti
Flumina lapſa ſuo: clemens hoc more rependit
Quæ data ſunt inopi, dicebant: congrua merces
Ante oculos illi, cum vixdum velle videmur.
Uſque adeo nihil eſt, quod gratis Jova requirat.
Credite purpurei reges, patrimonia Chriſti,
Quæ veterum pietas cumulavit fervida, inuſus
Verſa pios, finique ſuo famulantia, nullos
Defectus metuunt: cui ſunt data pervigil ille
Vim prohibet partis, diſperſaque legibus æquis
Computat, & fructu jacturas penſat opimo.
Vidi ego fortunâ qui velificante ſederet
Magnas inter opes, proventuque ubere felix
Poneret illicito ſacros in fœnore nummos,
Sordidus interea, nec dictu affabilis ulli,
Nec viſu facilis, præterquam dona ferenti.
At bona, quæ demens vero privaverat uſu,
Nec fuit in cœtus prolabi paſſus egenos,
Diffugere nivis ritu, quam blanda Favoni
Aura volans campo deprenſam invadit aprico,
Nec patitur radios redeuntis cernere Solis.
Da pater omnipotens, ne quisquam moribus iisdem
Provolet ad ſacros ingrato nomine faſces,
Sit precor, & vitam multos producat ad annos,
Cui melior genius, qui rectè noverit uti
Dote ſacrâ, nolitque ſuos excedere fines;
Quod ſemel aſſertum ſuperis mundoque remotum,
Ille frequens aulas adeat, ſacrique ſenatus
Pars mereat dici, noſtræque ſimillimus Uvæ
In commune bonum facundo conſulat ore,
Seu ſchola turbetur rixis, indignaque doctis
Ambitio moveat nullo certamina fructu.
Sive operâ indigeat monitisque fidelibus ordo
Juſſus oves Chriſti cœleſti paſcere verbi:
Aut dubias gignant pacta & connubia lites.
Hactenus expertes gravioris turbinis anni
Windruvii: quos appoſuit rex magnus Olympi

Fœcun-

Fœcundi, heu! luctus ærumnarumque fuere
More Dei, qui nunquam animas pietate flagrantes
Exſortes vult eſſe mali: ſed mille periclis
Objectas lætis prohibet torpeſcere rebus.
Quis verò heic noſtros caſus, quis turbida neſcit
Fata ſalutiferam terris prohibentia pacem,
Auſa patri patriæ proprios opponere cives,
Fœderaque antiqui ſolemnia rumpere juris?
Vidimus heu! piguitque ævi ſine more furentis.
Mille modis læſus majoraque fulmina ab hoſte
Inſano metuens princeps oſtenderat iras
Ultoremque animum: nec jam Mars ampliùs anceps
Ille, ſed in manibus præſens victoria noſtris:
Qua tamen haud uti licitum. civilia bella
Indignans CÆSAR capulis abjungere dextras,
Armaque ad horrentes derepta reponere muros,
Juſſit, & æquato litem ſubmittere juri.
Paruit, obſeſſaque manus abduxit ab urbe
GUELFIADES, fraudis quæ pòſt apparuit effrons,
Nil metuens verbisque fidem non defore credens.
Tum verò patuere doli, ſimulataque verba,
Et ſine mente manus, vindictæque improbus ardor,
Nec mora continuò contra promiſſa fidemque
Ritè datam ſcripto portis erupit apertis
Externata cohors, vicinaque rura pererrans
Nil intentatum ſceleris fraudumque reliquit.
Tum ſua vicatim flevere armenta gregesque
Agricolæ, vacuosque lares & inania tecta.
Nec parſum templis: foribusque ſerisque revulſis
Sacrilegis calices & abollæ præda fuerunt.
Quid cædes & ſtupra loquar, prolataque nusquam
In caput, & domini inſontis convicia famam?
Væ tibi! qui prædas agis, & tua tecta rapinis
Noctes atque dies aliis injurius imples.
Tempus erit, cùm te furiis inimicus iisdem
Percitus ex merito raptis ſpoliabit egentem.
Væ! qui ſemideos inceſſas crimine reges
Immemor unde orti, quæ ſceptra vicaria geſtent.
Quem pater æternus ſceptris aſſignet honorem.
Diſperean, ſi non vindictam cogitat ultor
Juſtus, & immites luctantur ad oſtia pœnæ.
Quis verò ex nobis facinus ſperaſſet id ipſum,
Quod poſt tot cædes hominum, poſt mille rapinas,
Perque fugâ vacuos agitata incendia pagos
Impietas auſa eſt? ætas vix poſtera credet:
Vix aliquis faſtis adſcribet idoneus auctor
Prodigiale nefas: Ridagi ſpectabilis ædes,
Caſta Deo, dilecta piis, incommoda nulli,
Nullius metuens iræ: cum prædo ſuperbus
Quicquid ibi reliquum priùs avexiſſet, & inſons
Delubrum ſociosq; lares ſpoliaſſet iniquè,
Ignibus injectis, ipſum ſi dicere fas eſt,
Ni pudor audiri, cineres conſedit in atros.
Plura dolor proferre vetat lacrymæque calentes
Impediunt vocem: vidi, vidi ipſe cadaver
Inſontis deforme domus, æquantia colles

Rudera & averſos ingeſto pulvere rivos :
Pendenteſque minas, & hiantes undique muros :
Omnia funeſtas odii ſpirantia flammas.
Quis tibi tum ſenſus, Præſul mitiſſime, rumor
Diditus hæc trepidas cum nuncia ferret ad aures ?
Quos miſer edebas gemitus ? ingrata dolorem
Auxit, & aſperius fecit vicinia vulnus.
Hácne fidem mercede probas, benefactaque penſas,
Hoſtis atrox, oblite Dei ? quid feceris amens,
Quod tibi ſupplicii Furiæ, quid congerat Orcus,
Si venit in mentem, mirum niſi vita dolori :
Mors propera in votis, ſceleriſque oblivio perpes.
Ex illo languere ſenex, inſperpere membris
Torpor, & occultis præcordia fervere flammis,
Obſcurique calens cerebrum infeſtare vapores.
Quæ mala præpropero mox auxit funere conjunx,
Dulce viro decus, & curæ caſuſque levamen.
Hei mihi! quòd nunquam clades mortalibus ulla
Incomitata venit: quod acerbi conſcia luctus
Continuat lamenta dies, & veſpere ſero
Aggravat aurorâ damnum ſurgente creatum.
Ille quidem, hortatu medici, monitiſque ſuorum
Perſuaſus, vidui mutavit tædia lecti
Jam ſenior, ſociamque precum comitemque laborum
Invenit qualem voluit, pietate, pudore,
Officioque omni canis nutantibus aptam :
Jamque omnes placidoſque dies, & longius ævum
Spe tacita veteri promittebamus amico :
Nequicquam & fruſtrà! diffuſus in omnia membra
Morbus, & exhauſtæ curarum pondere vires,
Monſtravere viam leto finemque dedere.
Quid faciam, lacrymiſne genas atque ora rigabo,
Præſidium Muſis raptum, viduataque fido
Templa parente gemens? an poſt certamina dura,
Qualia ſæpe piis non unus ſuſcitat hoſtis,
Immarceſſibilem laurum gratabor adepto?
Sancta quieſce anima, & ſupremum hoc accipe munus
Inferius meritis, ſed grato pectore plenum.
Luce quater denæ meſſes numerantur ab illa,
Quæ mihi te primùm fraterno junxit amore.
Par utrique animus, ſed non fortuna: quiete
Me mea donavit placida, timidumque procellæ
Serpere juſſit humi : tua te mactavit honore
Atque opibus, meritiſque dedit clareſcere magnis.
Nec minus unanimis profiteri nomen amici
Dulce tibi, domuique meæ monſtrare favorem
Munifica promptaque manu, noſtræque clientes
Commendare tuos fidei, ceu pignora cara.
Ante feras ergo niger averſabitur Elmus,
Squamigeros Alaris piſces, confinia Bodæ
Rura vago Cererem, pallentes Bructerus herbas,
Quàm mihi Windruvii veniant oblivia, & iſte
Excidat è noſtro ſedatus pectore vultus:
Oraque terrenum quoddam referentia numen.
Non ſi me gelidum potare Boryſthenis amnem
Sors velit, aut laribus donet glacialis Jerne,

Imme-

Immemor hujus ero: tumulo ſuſpiria mittam,
Si coràm ſpectare vetar, cineresque beatos
Proſequar ore pio: nec dedignabitur umbra
Officium, & miſſos ignoto à Sole ſuſurros.
 Sanctæ quieſce anima, & votivum hoc accipe munus.
Hæc ſchola tè vidit primæ lanuginis ævo
Florentem ſtudiis: vidit ſplendore verendum
Auſpiciis patris patriæ procerumque Ducatus,
Cónſulere in medium & decernere jura Lyceo,
Nóſtra quibus totum debet reſpublica robur.
Heîc etiam geminos, quos nutris largus, alumnos
Verſari, & caſtis mandas aſſveſcere Muſis.
 Quid levibus teneor? cur non loquor omnia paucis?
Noſter eras, noſtris poteras ignoſcere nævis:
Metiri ſinceré operas: laudare merentes:
Subſidiis tutari inopes: cenſoris iniqui
Præcipites cohibere animos feſtinaque vota.
Has igitur voces & amicos accipe plauſus:
In gremio atque ulnis ABRAHÆ, de paupere dives,
De miſero felix, ubi LAZARUS exigit ævum,
Vincta triumphali radiantia tempora lauru,
Juſtitiæque induta togam, ſecura malorum,
Sancta quieſce anima, & cui te tuaque omnia debes,
Aligeros inter cœtus, manesque piorum,
Voce hilari grates ſummo perſolve parenti.

VErum priusquam à Windruvio abeamus, indicanda eſt mutatio, quæ temporibus hujus Antiſtitis in nobiliſſimâ Wendenorum familiâ, monaſterii Riddagshuſani auſpice, Deo ita volente, accidit. Dixi de gente illa ſuprà, dediqúe eam ex tenebris & ſitu vindicatam, ſed hoc tempore invenit finem, claudente eam Joanne à Wenden Ludolfi F. id accidit anno filii Dei M. D. XCV. XIII Martii. Dederat Johannes operam literis in adoleſcentiâ non uno in loco: Wittebergam miſſum invenio anno M. D. XLIIX. quo tempore Rectorem agebat Caſpar Cruciger, Doctor Theologus & Profeſſor. Ex academiâ domum rediens militiæ operam dedit ſub Henrico Juniore, Duce Brunſvicenſi: quo ſeneſcente, & ad pacis ſtudia ſe convertente, in aulâ ipſius hæſit, donec moreretur. Succeſſor Dux Julius, quód à parente clementer habitum, & induſtriam ejus ab aliis commendatam meminiſſet, ſecum retinuit, & non multo poſt filio primogenito, gubernationem diœceſis Halberſtadenſis aggreſſuro, Præfectum Prætorio, vulgò Marſchalcum, ſive Comitem ſtabuli vocant, eſſe voluit. Ex duabus conjugibus, quas ordine duxit, nullam ſobolem ſuſtulit: atque ita nobiliſſima familia, quæ ſupra CCCC. & L. annos in his regionibus, rebus pace & bello feliciter geſtis, floruerat, in hoc ultimo exſtincta eſt, qui cum moreretur annorum erat LVII. Corpus defuncti, galeâ, clypeo & enſe fractis prius & contuſis, atque unà ut moris eſt, in ſepulchrum projectis, humatum eſt Roderſtorfii pago diœceſis Halberſtadenſis: etſi maluiſſet Windruvius Riddagshuſii apud majores ejus ſepulturæ traditum fuiſſe. Concionem ad funus habuit M. Heimbertus Oppechinus, vir inſigniter doctus, & facundus, nec minus recti & erecti ingenii, olim cum Henrico Grunfeldio Jurisconſulto, & Politico excellentiſſimo, literatorum Principum facilè Henrici Principis Julii, Brunſuicenſium & Lunæburgenſium Ducis, magiſter, deinde eccleſiaſtes Wegelebianus; quem ut civem, ita per annos pene quinquaginta, tum ſtudiorum ſocium, tum amicum & neceſſarium Windruvius habuit conjunctiſſimum. Mihi & affinitate propinquâ & arctiſſimo [illegible] vinculo conjunctum fuiſſe, non in poſtremâ felicitatis parte colloco: cujus etiam verſus in Johannem à Wenden familiæ ultimum ſubjungo.

Wendeniam memoro gentem, quæ tempore longo
Nomine in his oris clara opibusque fuit.

 Vidi

Vidi ego, præſentis Satur ut vitæ, ultimos heros
Vivere ſpe plenus deſiit alterius.
Nec ſatis hoc-Saxo colliſa inſignia gentis
Atque enſem, cingi quo ſolitus fuerat,
Imos projecta ante pedes, buſtoque repoſta
Horreſcens vidi, totus & ingemui.
Quin Myſtes etiam funebria juſta peregi
Rapta ſolo memorans oſſa, locanda polo.

42. HENRICUS SCHELEN, præeunte legitimâ omniumque collegii membrorum ſuffragiis comprobatâ electione, quam clementiſſimus Princeps Fridericus Ulricus ratam habuit, inauguratur die IX. Januarii anni Chriſti M. DC. XV. ineuntis. Patria ei Oremium pagus in præfecturâ Slademenſi antiquiſſimus: nam eo in loco, teſtantibus pervetuſtis Francorum annalibus, Carolo M. Saxonum domitore feliciſſimo præſente, Saxones Septentrionales (Hiſtorici Nortleudos indigitant) ejuratis majorum ſuperſtitionibus & Idolomaniâ, ſalutari baptiſmatis undâ abluti, Chriſtoque inſerti ſunt. Parens Schelii colonus fuit, homo ſimplex, verè pius vitæque integer, qui ſub ingraveſcentem ætatem hoc divinitus affectus eſt beneficio, ut ſummos in Philoſophiâ honores filio unicè dilecto in academiâ Juliâ attribui coràm intueretur. Agebat tum temporis Schelius Ludimagiſtrum Riddagshuſii, vocatus eò ex prædictâ academiâ, in quâ per annos non paucos eruditæ pietati operam dederat, uſus privatâ publicâque docentium inſtitutione, cumprimis incomparabilis Theologi Danielis Hoffmanni, ejusque collegæ & diſcipuli γνησίου Caſparis Pfradii. A piſtrino Scholaſtico avocatus ad miniſterium verbi divini, primò docuit Dornæ, deinde inſpectorem egit eccleſiarum in præfecturâ Woldenbergenſi usque ad obitum M. Chriſtiani Præpoſiti, cui piè defuncto, tam in Prioratu Riddagshuſano, quàm officio eccleſiaſtico ſucceſſit. Quanti eum fecerit Windruvius norunt utriusque familiares, eſtque argumento, quòd hujus ſui patroni ex ſorore neptem in matrimonium accepit.

Favorem iſtum ſibi conciliabat Schelius pietate, doctrinæ liberalis eruditione, modeſtiâ, ſobrietate, aliisque virtutibus litterato homine dignis, quæ cum ætate in eo incrementum ſumſerunt, in hac illuſtri dignitate nunc maximè eluceſcentes. Doctrina ea eſt, ut ſi Deo optimo maximo, vias & actiones noſtras dirigenti, viſum fuiſſet (quod ſine adulatione dicam) cathedra academica nequaquam ipſi denegari poſſit. Prudentiam, dexteritatem, circumſpectionem & moderationem inconventibus tam eccleſiaſticis, quàm Politicis, ita Principi, ita reliquis Ducatus ordinibus probavit, ut apud utrosque optimè audiat, omnibusque carus ſit & ſuſpiciatur. Ad honores evecto gratulatus ſum tenui elegidio, quod lectori non invidebo.

Tertius ergo ſacram Ridagi *moderaberis ædem,*
(Ex quo ſe totam tradidit illa Deo,
Deſeruitq́ tuos, meretrix Babylonia, ritus,
Quos niſi qui damnet nemo beatus erit)
SCHELI care Deo, & caſtis cariſsime Muſis,
Elmani *germen nobile Gymnaſii?*
Vix alius quisquam ſuccedere dignior illis,
Quos ibi in officio vidimus eſſe, viris.
Heroas dico geminos, fatalia nactos
Nomina, & à meritis non aliena piis.
Quis ſacram hic LAVRVM, quis mitem neſciat URAM?
O capita haud ullo tempore digna mori!
Mortua nec dicas; animæ ſervantur Olympo:
In terris obitus neſcia fama viget.

Quod

Quod tenuere illi tu nunc moderabere fanum,
Atque humeris, SCHELI, grande ſubibis onus.
Haud impar equidem: quid poſſis novimus omnes,
Et tyrocinii vidimus acta tui.
Quas docuere Sophi didiciſti gnaviter artes;
Biblia quicquid habent enthea, id omne tenes.
Nec tantum memori es complexus ſingula mente:
Rectè aliis eadem tradere cura fuit.
Quæ doctrina tuos ſi diriget æqua labores,
Non deerit velis aura ſecunda tuis.
Cetera ab exemplis deſume; imitanda reliquit
Plurima Lorberii VVindruviiq́ fidei.
Degenerare cave, virtutis adorea utriq́
Quæ data ſi videas, non minor eſſe voles.

Henricus Meibomius.

Octavo ab inauguratione Schelii menſe, Riddagshuſium in novas conjectum eſt difficultates: etenim illuſtrisſimo & potentisſimo principe Friderico Ulrico Brunſvigam obſidente, pars exercitus in monaſterio caſtra habuit. Etſi autem non hoſtes ſed hoſpites eſſent, eam tamen præſentes abbati cum ſuis, more iſti hominum generi uſitato, exhibuerunt moleſtiam, tantum diſcedentes damni dederunt, ut fidem penè excedat. Verè dixit de his Curtius, Populatores terræ ſunt, quam à populationibus vindicare debebant. Obſidione ſolutâ, alioque amandatis hoſpitibus iſtis plusquam imperioſis, invenit Schelius fores & januas effractas, ſeras & cardines evulſos, feneſtras eliſas, conclavia omnia fœdè contaminata, ſordibus & illuvie plena, ut Augiæ ſtabulum referret nuper non infeliciter reſtaurata domus. Hic Herculeo opus erat animo, ut ſacer locus ab inquinamentis per purpugaretur, diruta reficerentur. Nihil in ſe deſiderare paſſus eſt Schelius, ſed ſumma induſtria & diligentia templi ornamenta reparari, ædificia everſa reſtaurari, deformata in integrum reſtitui curavit. Faxit Deus Opt. max. ut ejusmodi horribilis & atrox tempeſtas, qualis prior fuit ſub Windruvio & poſteriot ſub Schelio, hoc ſanctuarium Domini, propter ſua erga eccleſiam, erga ſcholas, merita & beneficia, celebratum notumque nullo unquam tempore invadat aut perturbet: ſed pax, tranquillitas & abundantia in ædibus ejus perpetuò habitet. Idem cœleſtis parens Schelium robore corporis & animi donet, ut Spartam, quam nactus eſt, ornet, Dominici Scholam ſervitii in religioſa ſua mandra paterno animo foveat & hoc modo exemplo anteceſſorum ſuorum æternam ſibi aqud poſteros famam lucretur.

FINIS CHRONICI.

Sequens Inſcriptio tabulæ lapideæ inſculpta legitur in templo Riddagshuſano.

ILLUSTRIS ET ANTIQUI MONASTERII RIDDAGSHUSANI FUNDATIO, ITERATUM EXCIDIUM AC RESTAURATIO.

JEHOVÆ

JEHOVÆ OPT. MAX. SACRUM.

WANDALICAM REFERENS RIDAGUS COGNOMINE GENTEM,
1145. ATQVE LVDOLFVS HUIC TECTA DEDERE LOCO.
DUX BRUNSVICENSIS LEO, QVEM DIXERE SUPERBUM,
A SOLYMIS REDIENS ACCUMULAVIT OPES.
1173. HIS BENE COENOBIUM PER MULTOS FLORUIT ANNOS,
NATIO TUTA FERO DONEC AB HOSTE FUIT.
1552. QVEM MALE GRASSANTEM POSTQVAM MANSFELDIA MISIT,
MARCHIACUMQVE FUROR TRAXIT IN ARMA DUCEM:
ATQVE MANUS HABUIT VICINA VIRAGO RAPACES:
1550 OMNIA COENOBII DISPERIERE BONA.
FLAMMA NEC ABSTINUIT TECTIS. PAX HOSTE REPULSO,
UT REDIIT, SACRA HÆC EST RENOVATA DOMUS.
PRÆSTITIT HOC MAGNIS JOANNES SUMTIBUS ABBAS,
CUI RELIQUUM NOMEN LAUREA BACCA DEDIT.

NON TULIT ID SATANAS HOSTIS PIETATIS ACERBUS,
CUM TEMPLO HANC ITERUM PERDIDIT ILLE DOMUM.
1606. QVIPPE NOVO GRASSANS VICINA VIRAGO FURORE
INTULIT IN SACROS ARMA FACESQVE LARES.
SÆVA PRIOR CLADES: FUIT HÆC DIRISSIMA, TOTUM
VULCANO MISERE DEPOPULANTE LOCUM.
NEC TANTUM HUNC, SED VICINOS SIMILI IMPETE PAGOS.
CONSULVIT TRISTI TUNC SIBI QVISQVE FUGA.
VIS CAUSAM SCELERIS? NULLA EST, NISI FORTE BENIGNE
FACTA ODIIS PENSARE INVIDIAQVE PLACET.
SED COMMISSA TIBI SINT, O DEUS OMNIA PER TE
NUNC MELIOR RIDAGI EST, QVAM FUIT ANTE, DOMUS.
PRÆSULIS AUSPICIO PETRI, QVI NOBILE AB UVA
OMINE COGNOMEN CONVENIENTE GERIT.

IOANNES ABBAS POSUIT; PETRUS SUCCESSOR RENOVAVIT ET AUXIT.

CHRISTE TRIUMPHATOR SATANÆ, VINDEXQVE MALORUM,
QUI TUA DEVASTANT TEMPLA SCHOLISQVE NOCENT:
HUNC DEFENDE LOCUM TIBI SACRUM, AVERTE FUROREM
BARBARICUM, ET PACIS DULCE TUERE DECUS.
CUM NULLI NOCEAT, PROSIT MAGIS OMNIBUS AEQVE,
QVIS VELIT INSONTI NOXIUS ESSE LARI?

ANNO REDEMPTORIS CHRISTI
M DC XIV.
QUI EST A FUNDATIONE
CCCC LIX.

APPENDIX
Ad Chronicon Riddagshuſanum.

Monaſteria, ut ſupra etiam attigimus (etiamſi ex parte id inficientur adverſarii noſtri) fuere antiquitus, primò officinæ precum, vigiliarum, beneficentiæ, charitatis & ſimilium virtutum; verba ſunt Auguſtini epiſtolâ LXXXII. Deinde ſcholæ ſtudiorum, præſertim ea, quæ Baſilium, Auguſtinum, & Hieronymum auctores habuerunt. In quibus inſtituti in ſtudiis ſacrarum literarum, artiumque utilium ac neceſſariarum, poſtmodûm evocati fuere ad miniſteria eccleſiaſtica. Hoſce duos fines Lorberius, cûm de reformando monaſterio ſuo curam cogitationemque ſuſciperet intuitus ac conſiderans diligenter, tam eccleſiæ monaſticæ, quam ſcholæ de miniſtris & operariis providit. Idem fecit Windruvius, faciuntque, ut ſperamus, ſucceſſores. Attexam autem hic nomenclationem utrorumque, qui in templo & ſcholâ totis quinquagintâ annis docuere: facturum me hoc policitus ſum ſuprà, neque puto ingratum fore lectori. Debetur hoc officium piis in Chriſto dormientium manibus, & ſuperſtites ſuæ etiam aliquem induſtriæ fructum percipient. Sed procedat expoſitio.

1. JOANNES BEIRMANNUS, Goslarienſis ab initio reformationis eccleſiæ Riddagshuſanæ præfuit usque ad annum M D LXXI quo Honlagium translatus eſt, ubi per annos XII. docuit, mortuus M D LXXXIII.

2. M. JOHANNES SCABERUS, Wirtenbergius, ſucceſſit Bejermanno, fuitque in officio biennium: quòd majore honore & onere dignus videretur ac eſſet, miſſus eſt Bocnemium, ubi in opido paſtorem & vicinarum eccleſiarum inſpectorem egit.

3. Scaberum excepit PETRUS WINDRUVIUS, monaſterii conventualis. Is tum, ut memini, in gymnaſio Helmæſtadenſi pietati, litteris & linguis operam dabat. Ex eo evocatus gregem Dominicum paſcendum accepit, perſiſtens in eo officio usque ad annum M D LXXXVII. qui ipſi Præſulatum aſſignavit.

4. Windruvio ſucceſſit M. CHRISTIANUS PRÆPOSITUS, Bornhuſanus. Erat ille tum temporis ſcholæ monaſticæ Rector, in quâ ſolerter & dextrè gubernandâ cûm fidem & diligentiam tam Abbati, quam Ephoris probare cœpiſſet, ad munus eccleſiaſticum promotus eſt, cui cum annos XIX. τύπος τῶν πιστῶν præfuiſſet, pie, ut meminimus in Chriſto obdormivit.

5. M. HENRICUS SCHELIUS Chriſtiano Præpoſito denato, de voluntate Windruvii tam in Prioratu, quàm eccleſiaſtico officio ſucceſſit: verùm poſt quadriennium Deus eum, ut audivimus, ad majores dignitates & cum eis conjunctos labores provexit.

6. BUSSO CRULLIVS, Oſlebio, ubi annis aliquot docuerat, evocatus, provinciam à Schelio depoſitam, ſibi imponi paſſus eſt, cui adhuc hodie præeſt, vir bonus & ſincerus.

LVDIMAGISTRI.

1. MATTHIAS HAVEMAN, Bremenſis, rexit ſcholam Riddagshuſanam anno M D LXIIX.

2. M. JOANNES SCABERUS, liberatus ab onere ſcholaſtico ad functionem eccléſiaſticam promotus eſt.

3. M. JACOBUS REUTERUS, Blancoburgius, ſcholæ præficitur anno LXXI. Sed paulò poſt Lunæburgum ad officium eccleſiaſticum vocatur.

4. JOANNES TEMLERUS, ab anno M D LXXII. usque ad MDLXXIII. præfuit, quo tempore ad ſuos revocatus in opido Slecenſi eccleſiæ paſtor deſignatus eſt.

5. M. CHRISTOPHORUS GUNDERAMUS, Calenſis ſcholæ huic præfuit, ſed non diu. Per gradus paullatim ad ſummos aſcendit honores, conſtitutus in eccleſiâ Lipſienſi paſtor, & academiæ profeſſor, ornatus etiam in Witebergenſi academiâ titulo Doctoris Theologi, quos honores defectione ab agnitâ veritate turpiter contaminavit, ſeq; ipſum multis involvit difficultatibus.

6. M. JODOCUS SLUTERUS, Gottingenſis, docuit in ſcholâ Riddagshuſanâ biennium, quo elapſo ex hac caducâ, & mortali vitâ in cœleſtem ſcholam migravit. Hujus tempore primaria claſſis monaſtica, quæ hactenus Riddagshuſii fuerat, translatâ eſt in Vallem Mariæ, idque propter illuſtre Gymnaſium Gandersheimio Helmæſtadium translatum. Accidit hoc menſe Januario anni M D LXV.

7. M. HENRICUS TEMMIUS, Huxarienſis, Weſtvalus, ab an. M D LXXVI. ludimoderatorem egit, uſque ad M D LXXIX. quo ad gubernationem ſcholæ Andreanæ apud Hildeſienſes accitus eſt. Moritur tandem Goslariæ in miniſterio eccleſiaſtico.

8. M. HENRICUS BOETHIUS, Steinbacchius, ſurrogatus Temmio præfuit ſcholæ biennium, eo finito demandatæ ſunt ei partes docendi in Juliâ academiâ, quas adhuc ſuſtinet Theologiæ Doctoris titulos adeptus.

9. M. THEODORUS KLEIN, Wolfenburelenſis, diſceſſit anno M D LXXXI.

10. M. PAULUS MUSÆUS, Simonis F. non totô præfuit biennio. Riddagshuſio vocatus eſt ad officium eccleſiaſticum Halberſtadium, inde Suanebecum. Conſenuit & mortuus eſt Wolfenbuteli Paſtoris & Superintendentis officio functus.

11. M. THEODORUS CRUGERUS: biennio regiminis ſcholaſtici abſoluto, anno M D LXXXV. fatis conceſſit.

12. M. CHRISTIANUS PRÆPOSITUS, Crugerio ſuccedens altero functionis ſcholaſticæ anno ad majora, ut diximus, promotus eſt.

13. M. THOMAS SLUTERUS, Hornburgius, gymnaſiarcham egit annis V. Ex iſto eluctatus pulvere primùm in monaſterio Heningenſi, deinde in opido Daſſel plebem docuit.

14. M. HENNINGUS PAPENIUS, Halberſtadenſis, vix biennio ſcholam gubernavit. Abiit enim Riddagshuſio Stendaliam, inde revocatus conſtituitur Superintendens in majori Frehen.

15. M. SEBASTIANUS CYGNUS, Heidelbergenſis, rector eligitur anno M D XCIII. præfuit duobus annis. Vocatus Riddagshuſio in aulam Ducalem Laoburgicam in eam devenit exiſtimationem ut epiſcopæ Raceburgenſis Superintendens deſignaretur. Hodie paſtorem agit in Imperiali Lubecâ.

16. M. CONRADUS STEINMAN, anno M D XCV. & duobus ſequentibus ſcholam rexit. Propter eruditionem & dona docendi demandata eſt ei inſpectio eccleſiarum in agro ſive territorio Hertzbergenſi.

17. M. HENRICUS SCELIUS, Oremenſis quadriennium ſcholæ præfuit, reliqua ejus fortuna ſupra indicata eſt.

18. M. THEODORUS BERKELMAN, Neoſtadianus, ſucceſſit: hodie Theologiæ Doctor Profeſſorem agit in Juliâ academiâ.

19. M. VITUS JOANNIS, Oſterodenſis. In hujus tempus incidit urbis Brunſvicenſis obſidio prima & monaſterii Riddagshuſani tragica devaſtatio.

20. M. FRIDERICUS FUNCCIUS, Oldenburgenſis, ſcholæ poſt devaſtationem reſtitutæ præfuit: hodie agit Rectorem Scholæ particularis Regiomontanæ in Boruſſiâ.

21. M. JOANNES CONTIUS, Calenbergenſis, annum præfuit unum.

22. M. JOACHIMUS WALSLEBIUS, Megapolitanus, ſucceſſit CONTIO, munus commiſſum hodie graviter & induſtrie adminiſtrans.

Ex hac recenſione apparet, Dei optimi maximi beneficio incomparabili, rediiſſe cœnobium Riddagshuſanum in priſtinum ſtatum, hoc eſt, rejectâ ſuperſtitione humanarumq; traditionum fermento Phariſaico, eſſe Dominici ſcholam ſervitii & plantarium cœli ac gubernatorum terræ ſeminarium: eſſe φροντιστήριον καὶ παιδευτήριον τῆς θεοσεβείας, diſciplinæ exercitiorumq; pietatis domicilium: cujus alumni exemplo diſcipulorum Divi Auguſt. (lib. de moribus eccleſiæ c. 31.) vacent orationibus, lectionibus, & diſputationibus: quod juxta morem veterum collegiorum ad vicinas remotasq; regiones ſubinde emittat verbi divini doctores, eccleſiarum inſpectores ſcholarum magiſtros: ipſis etiam academiis ſubminiſtret bonarum artium profeſſores & ſacrarum literarum interpretes, quæ ſane laus eſt longè maxima.

HENRI-

HENRICUS MEIBOMIUS
JUNIOR
LECTORI S.

AD *Chronicon Riddagshuſanum* hoc quædam circa antiquiora addere, & eorum, qui ad noſtra usque tempora ſubſecuti ſunt, Abbatum Catalogum brevem adjiere, operæ pretium duxi.

Ad p. 343. *Henrici Leonis* Diploma ipſum meretur integrum legi, ut quanto ſtudio maximus Princeps pium negotium promotum ierit, poſteris pateat:

H. *Di. grã Dux Saxoniæ omnibus Catholicæ fidei cultoribus ſalutem. Quoniam divini beneplaciti imperveſtigabilis ratio voluit nos, quamvis indignos, ſorte poteſtatis præcellere, eo amplius convenit nos aliis curam & diligentiam impendere, & non ſolum malis præſentibus contraire, verum etiam futuris oculo diſcretionis præcavere. Sed, quia in pleruſque, verumtamen maximè in Eccleſiaſticis negotiis, inſtituta majorum negligi & labi conſpicimus, ideo oportet autoritate & teſtimonio confirmari, ut non ſolum apud præſentes, verum etiam apud poſteros inconvulſa perſeverent. Noverint itaque contemporanei, noverint etiam nobis in poſteritatem ſucceſſuri, qualiter communicato fidelium noſtrorum conſilio, tradidimus villam, quæ dicitur Riddageshuſen cum omnibus appendiciis, agris, paſcuis, pratis, ſylvis, molendinis, piſcationibus, cultis, & incultis, ad honorem Dei & S. Mariæ in uſum fratrum ibidem Deo ſervientium. Præt[e]rea Ludolfus, cujus machinatione & petitione iſtud inchoatum eſt, eisdem fratribus contulit ſex manſos in eadem villa, quorum quatuor cambivit, cum fratribus S. Egidii, dans eis aliud prædium in villa, quæ dicitur Valebeke, quod ab Eppone miniſteriali noſtro comparavit, reliquos duos à filio ſororis ſuæ, nomine Reinoldo, dato pretio conquiſivit. Conſiderantes vero, quod hæc neceſſitati eorum nequaquam ſufficerent, quondam deſertæ habitationis locum, qui dicitur Choënbe, prædictæ villæ conterminum, à Fratribus S. Blaſii cambivimus, cum tribus manſis, qui ſolvunt viginti quatuor ſolidos, quorum unus ſitus eſt in villa Krelinge, ſecundus ſitus eſt in villa Hamersleve, tertius in villa Chempeleve. Hæc igitur tam rationabiliter tranſacta, utpote multis tam clericis, quàm laicis, coram aſtantibus, audientibus, approbantibus, in perpetuum ſtabilienda confirmamus, omnemque negocii hujus retractationem noſtra auctoritate interdicimus. Ut autem amputemus omnimodam dubietatis occaſionem, paginæ præſenti fecimus ſignum auctoritatis noſtræ imprimi, & nomina eorum, quorum præſentia & conſenſu acta ſunt, ſubſcribi. De Clericis Eckehardus Præpoſitus, Bruno, Geroldus, Marquardus, Reingerus & alii quamplures. De liberis Poppo, Luithardus, Bernhardus, Luidolfus, & cæteri quàm plures. De miniſterialibus Lutolfus, item Lutolfus. Berchtoldus. Anno. Burchardus & alii quàm plures. Sunt autem acta hæc anno incarnationis Dominicæ. M C XLVI. Indictione VIIII.*

Appenſum eſt Sigillum, in quo vir armatus equo inſidet cum vexillo & circumſcriptum. HEINRICUS DEI GRACIA DUX BAWARIE ET SAXONIE

Deſcriptum hoc à me eſt ex Autographo, & anni ipſi fideliter expreſſi.

P. 349. Videtur hîc ſeries Abbatum vacillare, & inter Sigebodonem & Bertramum inſerendus aliquis nomine *Amelungus*, cujus notitia ex ſequentibus tabulis ad me pervenit. Sunt quidem illæ ſine notatione temporis, quod tamen deinde à me eruetur. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amelungus Abbas ac omnis Fratrum conventus in Riddageſhuſen. Ad notitiam ducere volumus ubiq. terrarum omni-*

bus Chriſti fidem colentibus, quod à quodam viro de nobiliori genere & cum dignitate nominando, videlicet Guncelino de Lengbete, quatuor manſos in Solcege, cum legitimo heredum ſuorum aſſenſu, comparavimus. Hos poſtea canonicis Eccleſiæ virginis Mariæ in Hildensheim pro quatuor manſis dedimus, quos in villa Offenlef habuerunt. Inſuper & manſum in villa, quæ Lerze dicitur, addidimus unum. Ad hæc concordes fuerunt tam fratres noſtri, quam præfatæ eccleſiæ Canonici. Si igitur in pace & quiete hæc teneri poterunt, & non intercurrant aliqua heredum gravamina, nulla deinceps in neutra parte commutatio aut repetitio fiet. Sin autem, qualibet Eccleſia absq; omni contradictionis inquietudine ſua recipiet. Ut autem hæc noſtra commutatio inconvulſa maneat, paginam iſtam inde conſcribi, & ſigillo noſtro ſignari fecimus. Actum. Hildenesheim in capitulo. VII. Idus Decembris, præſentibus & conniventibus his Presbyteris: Bertoldo Decano, item Bertoldo, Lamberto, Bernone, magiſtro ſcholarum, Godefrido Herebordo, Dyaconis: Erpone, Brunone, Burchardo, Johanne, Harderado, Theitmaro, Widekino, Brunone Cantore, Berengero præpoſito S. Crucis. Item Theitmaro, Ludolfo ſubdyaconis, Henrico, Johanne, Eilberto, Hartberto, Echehardo, Conrado, Domino Adelhogo Epiſcopatum regente, in nomine Domini feliciter Amen. Non exprimitur quidem in his literis annus, quo ſcriptæ: tempus tamen ex Adelogi Epiſcopi regiminis annis, qui numerantur ab ao. 1169. ad an. 1189, non difficulter colligitur: & vidi ipſius Epiſcopi Adelogi litteras a. 1179, datas, in quibus iidem teſtes eodem ferme ordine recenſentur. Unde poſt Sigebodonem collocandum eſſe hunc Abbatem, hactenus præteritum, arbitror: nec confundendum cum altero Amelungo Abbate, quem poſt Bertramum collocat Chronicon.

Ibidem p. 349. Ad ea, quæ ſub Bertramo Abbate acta ſunt, pertinent Henrici Leonis litteræ a. 1190. adeoque, aliquot ante obitum annis, datæ, & poſt proſcriptionem, unde ſolo ducis titulo utitur. Cum illas integras à Cl. *Hoffmanno*, dum viveret, acceperim, multaque nos doceant, hîc apponere volui. *C. In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus Dux. Si utilitatibus ſervorum Dei, de noſtra poſſeſſione hereditaria, vel de bonis noſtrorum miniſterialium, ubicunq; ipſorum bona voluntas & juſta petitio à nobis poſtulaverit, aliquod ad temporalis emolumenti ſubſidium impendimus, nobis in æternæ retributionis præmio profuturum ſperamus, & Dei cultoribus, ad explenda charitatis & divinæ religionis opera in augmento ſanctarum virtutum, neceſſarium & magis utile eſſe credimus. Notum ſit itaq; tam futuris, quam præſentibus univerſis Chriſti fidelibus, quod intuitu Dei & perpetuæ virginis, petente dilecto Domino Abbate Bertrammo in Riddagesbuſen, nec non annuente, ſimulque poſtulante fideli noſtro, Luitdolfo Advocato, unà cum filiis ſuis, Baldewino & Luitolfo, legitimis coheredibus ſuis concambium fecimus de hæreditate noſtra, quæ beneficium prædicti Advocati dinoſcitur, in decem manſis & dimidio in Uffinleve & Alogothisdhorph, de quibus in Uffinleve ſeptem & dimidius, in Alogothisdhorph, tres habentur. In commutatione hujus concambii nos recepimus de præfato monaſterio ſanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ in Huunsleve V. manſos & dimidium in Winnigſtede quatuor & dimidium, in Benthorp dimidium, in eosdem manſos Advocato dimiſimus in beneficio, item in noſtra præſentia Advocatus de hereditate propria fecit concambium cum prætaxato Domino Abbate in Uffeleve ad tres manſos & dimidium & in Alogothisthorph in quatuor manſis. Pro hac commutatione Advocatus recepit duos manſos in Begerſtede, in Wobike manſum & dimidium, & hic manſus & dimidius pro ſolo tantum computatur in concambio. In Wattenſtede duos & dimidium. In Weverlingin duos. In his vero, quæ ex noſtra hæreditate commutati ſunt, ad noſtram hæreditatem in commutatione præferuntur duo manſi & dimidius, in Thimbere duo, in Sicheſt dimidius. Item Advocato in commutatione ſuæ hereditatis præferuntur in concambio duo manſi & dimidius in Dalehem ejusdem Advocati. Ut autem hæc facta commutatio utrobique rata & inconvulſa permaneat, teſtibus adſcriptis hujus rei firmamentum ſigilli noſtri impreſſione roborari juſſimus. Teſtes hi ſunt: Hartmannus Abbas S Ægidii, David præpoſitus in Luibike, Baldewinus Capellanus curiæ & S. Blaſii Canonicus. Magiſter Ecbertus, Frithericus de Velthem, Canonicus, Johannes de Obergin. §. Laici hi ſunt. Conradus Comes de Rothen, Ludolfus de Hagin liber & nobilis. Jordanus dapifer, Heinricus de Schedirſtede, Dapifer, Heinricus de Rolſtidde, Rotherus de Veltbem & alii quamplures. Wilhelmus de Folcmarrothe: Acta*

ſunt

Digitized by Google

ſunt hæc anno incarn. Dominicæ MC. nonageſimo. Data in Scheniggun. per manum S. Notarii. S. Bertordi de Carsbeck.

In ſigillo appenſo parvus Leo apparet & circumſcriptum : SIGILLUM HENRICI DUCIS. Quali illum poſt proſcriptionem uſum ex aliis ejusdem mihi conſtat. Advocati autem illius Luidolfi, cum quo concambium factum eſt, meminit *Gerhardus* Stederburgenſis, *in hiſtoria de Henrico Leone*, ibique in Notis de eo agit Avus meus pag. 443.

Pag. 356. Ad Arnoldi Abbatis hiſtoriam pertinet acquiſitio aliquot manſorum in Hachem, quæ ex ſequentibus tabulis liquet. *Dei gratia Otto Dux de Brunſvvich omnibus in perpetuum. Notum eſſe cupimus univerſis Chriſti fidelibus tam præſentis temporis, quam futuri, quod Helenburgis vidua Thiderici Militis de Werberghe, cum conſenſu & voluntate hæredum ſuorum, ſcilicet filiorum Bertrammi & Rotberi fratrum de Veltheim, vendidit domino Arnoldo Abbati de Riddageshuſen & Fratribus ſuis pro ſeptuaginta marcis Halberſtadenſis monetæ, quatuor manſos proprietatis ſuæ ſitos in Hachem cum duab⁹ areis, & ſi quæ fuerunt alia attinentia, liberos & ab omni prorſus gravamine alienos. Cum prædictis igitur Fratribus Bertrammo & Rotbero, Warandiã & ſecuritatem debitam præſtabunt Willehelmus Marſcalcus, Bertramus de Bodenroth, Bertrammus de Veltheim, Johannes de Kiſſenleve, ut nullus omnino in poſterum præfatum Abbatem & Eccleſiam ſuam pro bonis ſuperius memoratis impetere valeat, vel indebite moleſtare: ſed ea quiete cum omni integritate & plenitudine juris ſui poſſideant: & perpetua gaudeant libertate. Huj⁹ rei teſtes ſunt Jordanus Dapifer, Baldevvinus Marſcalcus, Ludolfus de Weverlinghe, Ecbertus de Wulferbutle, Henricus de Wenethen, Johannes de Dalem, Henricus & Fridericus fratres de Ampeleve. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio XV. Kal. Septembris. Ut autem hoc factum firmum & inviolabile valeat permanere; nos prædictorum manſorum venditioni affectum bonum & conſenſum noſtrum curavimus impertiri, præſentem chartam ſuper ea conſcriptam ſigilli noſtri munimine roborantes.* Quas litteras integras vel ea de cauſa publicare volui, quoniam in iis Otto, Henrici Leonis ex filio Wilhelmo nepos, Puer alias dictus, *Ducem de Bruneswieck* ſe nominat anno 1233, cum tamen anno demum 1235, Moguntiæ à Friderico II. Cæſare ſolemniter ipſi Ducatus collatus ſit: de qua re aliàs. Accepi autem tabulas ab *Adolpho ab Overham*, harum rerum peritiſſimo, diligenter deſcriptas.

P. 361. Ad ea, quæ ſub Conrado Abbate Monaſterium Riddageshuſanum ſibi acquiſivit, pertinent ea, quæ in Iggeleve ſibi ab Ilſeneburgiis comparavit: qua de re tabulæ ipſæ merentur legi. *Henricus Dei gratia Abbas in Ilſeneborck Ordinis ſancti Benedicti, univerſis Chriſti fidelibus, quibus præſens ſcriptum contigerit exhiberi, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Quæcunque aliquam perennitatem debent neceſſario obtinere, expedit ut ſcripturæ teſtimoniis imprimantur, ne ſimul cum tempore defluant, & à futurorum memoria deleantur. Hinc eſt, quod notum eſſe cupimus per præſentes, quod nos, cum noſtri conventus conſenſu, tres manſos in villa Iggeleve, quos à nobis Henricus Laicus dictus, de eadem villa jure tenuit cenſuali, de quibus noſtro Monaſterio ab eodem Henrico annuatim viginti quatuor ſolidi denariorum Bruneſvvicenſium ſolvebantur, vendidimus. religioſis viris Domino Abbati & Conventui de Riddageshauſen, cum omni jure tam in villa, quam in campis, recipientes ab ipſis. Puri argenti marcas quatuordecim in reſtaurum. Nos vero præfatam pecuniam locavimus in ſupplementum manſi unius ſiti in villa Thilighe, quam a nobili Viro Domino Henrico Comite de Regenſtein comparavimus legitimo pretio mediante. Teſtes ſunt iidem, Dominus Henricus Comes, Jordanus de Nendorpe Dapifer, Fridericus de Winniggeſtide, Henricus de Wenden, Baldewinus filius ſuus, milites item Ludolfus fili⁹ ſuus, Johannes Dapifer & alii plures Laici fide digni. Ad majorem autem evidentiam prædictorum nos præſentem litteram duobus Sigillis, noſtro videlicet & conventus noſtri fecimus communiri. Datum & Actum anno Domini M CC XCVI. VIII. Idus Auguſti.* Quorum manſorum in Iggeleve Advocatiam deinde à Friderico & Waltero nobilibus de Dorſtadt, qui hactenus habuerunt in pheodo, pro quatuordecim marcis puri argenti Bruneſvicenſis acceperunt, conſentiente Duce Alberto, his tabulis: *Dei gratia Dux de Brunſvich, omnibus præſentia viſuris & auditur⁹, ſalutem in Domino ſempiternam. Tenore præſentium notum eſſe cupimus & conſtare, quod nos ad honorem virginis glorioſæ & ob animæ noſtræ ſalutem de conſenſu & voluntate omnium*

 hæredum

hæredum noſtrorum contulimus viris religioſis Abbati & Conventui de Riddagesbuſen Advocatiam trium manſorum in Iggeleve, quos nobiles viri Fredericus & Walterus dicti de Dorſtat in pheodo hactenus tenuerant. In cujus noſtræ donationis firmum & evidens teſtimonium præſentem litteram noſtro ſigillo fecimus communiri. Teſtes hujus ſunt: Ecbertus de Aſſeborch, Henricus de Werle, Johannes de Ulteſſe & quàm plures alii fide digni. Datum Anno Domini M CCC IIII. XVIII. Kal. Januar.

De Abbatibus, qui poſt Avi mei tempora fuerunt, quædam, ſed breviter, adjiciam.

Henricus Schele, cum plurima adverſa paſſus eſſet, eo imprimis tempore, quo ſub optimo Principe Friderico Ulrico Satrapæ Provinciales regimen ad ſe magnam partem tranſtulerant, & hinc ante annos corporis viribus defectus, a. 1622. mortuus eſt, & 21. Octobr. in cœnobii templo ſepultus.

Reinerus Scraderus, antehac Abbas Ringelheimenſis, per liberam Conventus electionem, quæ tum adhuc in uſu & valida, ſucceſſor ei datus, à Duce Friderico Ulrico 16. Jan. 1623. confirmatus eſt, ſed vix integro biennio cœnobio præfuit, mortuus Brunſvigæ anno 1625, ibique in æde S. Magni tumulatus.

Petrus Tuckermannus ſucceſſit, libera itidem per conventum electione, ſed ultima. Natus ille in Ducatu Bergenſi in urbe Lennep quinto à Colonia ad Rhenum milliari, fratrem Eberhardum Paſtorem Soltwedelenſem ſecutus, in has oras venit, & in Academia Julia Theologiæ operam diligentem navans, in urbe primum Helmeſtadio, dein Wolffenbuttelo paſtorem egit, & ſoliditate doctrinæ, vitæ pietate, & ſumma in ſancto munere diligentia Principis gratiam ita meruit, ut primi Superintendentis officium ipſi conferret. Cum autem jam antea Reinerus Abbas Tuckermanum in Subpriorem cœnobii ſui, conſenſu Ducis, elegiſſet, mortuo Reinero, unanimi totius Conventus conſenſu Abbas electus & à Principe confirmatus eſt VI. Decembr. 1625. cum nihilominus primario Inſpectionis ſacræ munere fungeretur, & in Conſiſtorio Præſidem ageret. Incidente dein fatali belli calamitate, cum Princeps Fridericus Ulricus modo Brunſuigæ, modo Wolffenbutteli hærere cogeretur, ubique eum ſecutus ſacrorum & conſiſtorii curam habuit, morientique in urbe Brunſuiga Principi anno 1634. 11. Auguſti ad extremum uſque halitum piis precibus aſtitit. Oblatum deinde à Duce Georgio primarium munus Eccleſiaſticum recuſavit, & prius, quod in Ducatu Wolffenbuttelenſi jam tum habuerat, à Duce Auguſto ægre ſibi confirmari paſſus eſt, annis jam & laboribus fractus, impetrata primum à concionando immunitate, dein integra dimiſſione. Mortuus eſt anno 1651. 27. Maji, ſepultus Brunſuigæ in templo Cathariniano, concionem funebrem habente, qui ex intervallo ipſi ſucceſſit, Brandano Dætrio, urbis Superintendente. Epigramma in obitum ejus à Viro magno ſcriptum apponam:

Petro Petra fuit, qui cælos condidit, almus
Cum gnato pater & ſpiritus omnipotens.
Per petram hanc Petrus ventos fluctusque ſonoros,
Et maris irati perdomuit rabiem.
In petra hic poſitus petræ huic affixus, & hærens
A rapido Petrus turbine tutus erat.
Hac nixus petra patitur devolvier in ſe
Magna onera & dextrè munera magna obiit.
Quin etiam rerum dominos, proceresque potentes
In mediis aulis dogma ſacram docuit.
At nunc huic Petræ propius conjunctus, in aulæ
Cæleſtis celſo culmine Petrus ovat.

GEORGIUS CALIXTUS, S. Theol. D. & in Acad. Julia primarius Profeſſor; Abbas Regio-Lutteranus.

In

In illius defuncti locum, cum pietate & prudentia maximus Princeps Auguſtus, *Joachimum Lutkemannum* SS. Theologiæ Doctorem celeberrimum, Roſtochio, ubi in Academia Profeſſorem, & in Eccleſia Paſtorem, paribus utrobique meritis, agebat, evocaſſet, ut primarium munus Eccleſiaſticum in Ducatu ſuo tanto viro conferret, Abbatem quoque Cœnobii Riddageshuſani conſtituit: quamvis non præfuerit diu, 21. Nov. 1655. mortuus, & in Cœnobii templo ſepultus, memoria ejus non minus apud omnes bonos ſacrâ, quam piis, & zelum divinum ſpirantibus, ſcriptis in omne ævum extenſa.

Chriſtophorum Specht/ in Gottingenſi Ducatu antea Superintendentem primarium & Gymnaſii Directorem, in ejus locum vocavit Auguſtus Princeps, eique cum reliqua munera tum Abbatiam contulit, quibus non diu præfuit, longiore vita dignus vir, 12. Februar. 1657. mortuus & Wolfenbuteli ſepultus.

Brandanus Dætrius ſucceſſit: de quo, quoniam plura novi, plura poſſem dicere, niſi adhuc in vivis eſſet, & ante annos viginti quatuor generum me unicæ filiæ ſuæ delegiſſet, quamvis forte nec Taciti, vitam Soceri ſui Agricolæ pari accuratione & elegantia ſcribentis, exemplo, nec profeſſione pietatis apud bonos quosque illaudatus aut inexcuſatus abirem. Natus ille Hamburgi in totius Germaniæ celeberrimo Emporio maritimo IV. Jun. ſeptimo hujus ſeculi an. politioribus primum ſe litteris totum & Philoſophiæ, dein Theologiæ ſtudio ſacravit, felici ſucceſſu, eos nactus Præceptores, quos litteratus orbis & Eccleſia purior ſuſpexit, & inter primos numeravit. Academiæ Juliæ celeberrimos Doctores dico, Georgium Calixtum & Conradum Horneium: cujus prioris domo per plures annos uſus, immenſæ eruditionis & infucatæ pietatis in illo viro quotidianus auditor & ſpectator, illam haurire, hanc ſequi omni ope annisus eſt. Primitiæ operum ſacrorum ejus ſingulares plane fuerunt. Hugoni enim Grotio, ſui nominis viro, & quo parem ingenio & doctrina orbis non habuit, Legato tum temporis Reginæ & Regni Suecici ad Galliarũ Regem, commendatus, in domeſtica ejus Eccleſia, Lutetiæ Pariſiorum verbi divini præco, ſacrorum curam in alterum uſque annum habuit, magno ad eum confluxu eorum, qui in urbe Confeſſioni Auguſtanæ addicti erant. Inde redux in Saxoniam noſtram, magno Heroi, Georgio, Brunſuicenſium & Lynæburgenſium Duci à concionibus & conſiliis ſacris aliquamdiu fuit, inde in Principis Friſiæ Orientalis aulam vocatus, hinc in urbem Brunſuigam, denique in aulam Wolfenbutelenſem, ſupremi ubique Antiſtitis munus obivit. Cum apud Brunſuicenſes adhuc ageret, ſingulari ipſum clementia proſequutus eſt Dux Auguſtus, inter cætera principalium virtutum ornamenta pietatis promovendæ ſtudioſiſſimus Princeps, & ad ſe pertrahere annisus. Id quod tandem anno ſeculi hujus ſexageſimo ſecundo factum eſt, quando ipſi primam in Aula & toto Ducatu ſacrorum curam & in Conſiſtorio Directionem commiſit, ſimulque Abbatem cœnobii Riddagshuſani conſtituit. Quem cum magno dolore ante hos viginti & unum annos Patria amiſiſſet, ſereniſſimus ſucceſſor Rudolphus Auguſtus pari Brandanum gratia complexus, in ſacris muneribus confirmavit, quibus ille ad extremum ſenium uſque functus ante paucos demum annos vacationem à gravioribus laboribus & curis Principum Fratrum clementia impetravit. Et nunc octogeſimo primo ætatis anno ſatur vitæ, ſatur laborum, quos per ſemiſeculum in Chriſti vinea ſuſtinuit, piis meditationibus in ſecreto vacat, preces pro Principibus, pro Eccleſiæ & Patriæ pace continue fundens, illamque Benigniſſimi Patris, qui per octoginta annos in hoc mundo ſingulariter fovit, cuique fideliter ſervivit, vocem lætabundus exſpectans: Euge bone ſerve! Cœnobii Riddagshuſani curam quoque diligentem habuit; inprimis, ut in eo Deo ſerviretur, & in ſchola ad pietatem & Chriſto gratam eruditionem alumni ducerentur: ideoque, cum ante annos novem, mortua vidua Tuckermannia, certi reditus ad monaſterium recidiſſent, ut inde ſeptenarius alumnorum numerus ad duodenarium uſque augeretur, à Sereniſſimo Principe Rudolpho Auguſto impetravit. Alia multa prætereo: non poſſum tamen, quin adjiciam Epigramma quod ante aliquot annos ejus imagini ſubſcribi feci, cum præſertim ultimo diſticho genius ejus, & totum in ſacro munere, raro exemplo, propoſitum, fide non poëtica, exprimatur.

Hæc

Hæc vera eſt pietatis, & hæc gravitatis imago,
Si facit ad laudes frontis, & oris, honos.
At quas corporeo hoc Deus abdidit intus in antro,
Non potuit ſollers promere pictor opes.
Vis magna ingenii, & doctrinæ rara ſupellex,
Iudicii robur nobile, Suada potens.
Dotibus his placuit Ducibus, placuitque Dynaſtis,
Sed ſemper ſtuduit plus placuiſſe Deo.

HEN.

HENRICI MEIBOMII
Junioris,
de

FRIDERICI

Ducis Br. & Lyn. in Imperatorem ele-
ctione & miſera cæde
Diſſertatio.

Digitized by Google

NOn fuit hactenus inter Imperatores collocatus (ſi unum excipias *Onuphrium Panvinium* in Faſtis) *Fridericus*, Magni Torquati filius, ex Sereniſſima Ducum Brunſvicenſium & Lyneburgenſium domo: meminit tamen electionis ejus *Joh. Cuſpinianus*, Medicus Cæſareus & orator: *Petrus* quoque *Lambecius*, Conſiliarius & Bibliothecarius Cæſareus, magnæ in hiſtoricis rebus auctoritatis, *in addit. ad Diarium Sacri Itin. Cell.* ab Auguſto noſtro ſuſcepti, cum Fridericum Pulcrum Auſtriacum ex Cæſarum catalogo, non ſine injuria excludi, annotaſſet, de *Friderico* Brunſvicenſi ita pergit p. 286. *Catalogo Imperatorum Romanorum non eſt excludendus, quippe, cum certo conſtet, ſi quis ſecundum conſtitutionem S. Imperii Romani, quæ Aurea dicitur Bulla, vel ab omnibus Electoribus, vel à majori & potiori eorundem parte in Imperatorem rite eligatur, ipſe autem iis conſentiendo oblatam S. Imperii conditionem acceptet, & pro Imperatore ſe gerens, univerſis & ſingulis principibus Electoribus Eccleſiaſticis & Secularibus, omnia ipſorum jura, privilegia, dignitates, conſvetudines ſine mora & contradictione confirmet, hoc facto, etſi ne Germanica quidem ſubſecuta ſit coronatio, revera tamen illum jam eſſe Imperatorem, adeoq́ haud injuria titulo quoque Imperatoris condecorandum eſſe.*

Equidem *Fridericus* Imperator, Maximiliani Pater, non tantùm à plerisque Hiſtoricis Tertius nominatur, ſed & ipſe in Diplomatis, Sigillis, & Nummis ita ſeſe nominat, eoque facto excludere ex ordine Impp. Fridericum, tàm Auſtriacum, quàm Brunſvicenſem, videtur, quartum alias, vel quintum, non tertium, ſe nominaturus: at reſpectu Coronationis Pontificiæ id factum; (quæ Friderico I. & II. non item Friderico Pulchro aut Brunſvicenſi obtigit) cuique tantum tum temporis adhuc tributum, ut non niſi coronati in catalogum Impp. referrentur, rectè monuit *Lambecius.* T. 2. Bibliothec. Vindobon. p. 710.

Cum autem in enarranda Friderici hujus electionis hiſtoria non parum varient hiſtorici, & nonnulli eam plane tranſeant, cædem quoque non eodem modo enarrent, & multas circumſtantias prætereant, ex omnibus, quæ ad manus mihi fuerunt, monumentis, clarè & diſtinctè rem exponere volui.

Natus autem fuit Fridericus hic patre Magno, Torquato dicto, Magni Pii filio, Alberti Pinguis nepoti, qui Henrici Leonis abnepos; id quod ex Annalibus noſtris notiſſimum eſt, ut mirer Virum alias longe doctiſſimum, & in veterum genealogiis concinnandis accuratiſſimum, C. A. *Rupertum* in not. ad *Beſoldi* Synopſin p. 704. eum Henrici Palatini, qui Henrici Leonis filius major natu, trinepotem facere, cum ille ſine liberis maſculis abierit. *Beſoldum* tamen rectè caſtigat, quod Fridericum legitimè electum Cæſarem in Synopſi ſua minori omiſerit, & contra nominaverit Jodocum Barbatum Marchionem Brandenburgenſem, quem Moguntinus & Colonienſis Cæſarem quidem dixerint, ſed conſilio inani.

Pater Magnus Torquatus ex uxore Catharina, Waldemari Marchionis Brandenburgenſis filia, præter quinque filias, illuſtribus omnes matrimoniis elocatas, quatuor filios habuit, *Fridericum* hunc, *Bernhardum*, *Henricum* & *Ottonem*, ex quibus, cum *Otto*, Epiſcopus primo Verdenſis, dein Bremenſis, ob religionem uxorem non duxiſſet, *Bernhardus* & *Henricus* familiam propagarunt, *Henricus* quidem conditor illius lineæ, quæ in Friderico Ulrico anno hujus ſeculi 34. deſiit, *Bernhardus* vero alterius, quæ hodieq; in omnibus Ducibus Brunſvicenſibus & Lynæburgenſibus floret.

Fridericus vero prolem maſculam nullam habuit, ſed filias tantum duas, ex Anna Wenceſlai Saxoniæ Ducis filia, *Annam* & *Eliſabetham*. Ex quibus *Eliſabetha* Comiti de Schwartzburg, quem *Cuſpinianus* Guntherum, alii Henricum nominant matrimonio juncta plures ipſi liberos peperit. Altera *Anna* Friderico Seniori, Leopoldi Probi filio, Duci Auſtriæ, Comiti Tyrolis (de quo *Lambec.* Biblioth. Vindob. t. 2. pag. 708. quique eum Friederich mit der leeren Taſchen dictum notat) nupta peperit ei Sigismundum, Archiducem Auſtriæ, opulentum dictum, Wolfgangum, Margaritam, & Hedwigem, cum quibus omnibus liberis ſuis in Monaſterio Stams ſepultam notat *Cuſpinianus*, qui omnium ætatis ſuæ religioſiſſimam mulierem fuiſſe ait, uti à mira pulcritudine omnes Annales eam commendant.

Inclaruit autem Fridericus rei militaris peritia & animi magnitudine, imprimis prælio Winſenenſi ad Alleram, ante hos trecentos annos contra Duces Saxoniæ

feliciter commiſſo, recuperatione quoque Wolfenbuttell, & coercitione nobilium de Swichelt: nec minus juſtitiæ & prudentiæ laude, unde in graviſſimis cauſis arbiter lectus eſt.

Et hæc de eo paſſim in Imperio bona opinio, & celebris fama fecit, ut in Imperatorem eligeretur, eo tempore, quo per Wenceslai ſocordiam omnia ruinæ erant proxima, cum eligentes aliquem quærerent (ut verbis utar *Gobelini* in Coſmodromio, his temporibus ferè coævi, *qui poſſet & vellet contra Wenceslaum regnum vindicare, defendere & reformare.* Errant enim, qui Wenceslaum primum depoſitum, dein autem ſubrogatum Fridericum narrant, cum ſolemnis illa depoſitio Wenceslai menſis Auguſti 20 die demum publicata ſit, Electio vero Friderici omnium conſenſu menſe Majo præcedente facta ſit. Scilicet Principes Electores *propter indecentes ac deteſtabiles Wenceslai in Imperando mores & actiones nec non Eccleſiæ orbisq; Chriſtiani defectus incommoda atq; diſſidia, graviſſimas item Imperii ſacri membrorum avulſiones diminutionesq;, contra nominis ſui dignitatem damnosè factas, fieriq; permiſſas* (verba ſunt ipſiſſima Johannis Archiepiſcopi Moguntini in ſententia exauctorationis & privationis Wenceslai apud *Chriſtianum Urſtiſium Hiſt Germ. part. 2. in fin.*) de illo ſæpius monito, correctionemque non moliente, tandem exauctorando cogitarant, cumque id non ſine tumultu futurum prudenter proſpicerent, de alia capite, ſub quo tuti eſſent, prius ſolliciti erant, unde plurium deliberationum, quas inter ſe habuerint *Cuſpinianus*, & *ſingularium tractatuum plurimorum* meminit *Gobelinus*.

Tandem facta eſt convocatio Principum ad Imperii Comitia, quam plane ſingularem fuiſſe notat *Cuſpinianus*; ſcilicet, non factam à Moguntino Archiepiſcopo & Electore, ſed à Ruperto Palatino, qui, ut naſcenti occurreret calamitati, ex officio ſuo Imperii Principes ad publica convocarit comitia. *Nondum enim*, inquit, *Aurea Bulla Caroli firmata erat, qua hodie electores in convocandis Principibus utuntur, qua Moguntinus, defuncto Cæſare. pro novo ſubſtituendo, imperii proceres accerſit.* Quod cum ita conſtanter aſſerat *Cuſpinianus*, toties Orator Cæſareus, & rerum Imperii peritus, negare id non auſim nec velim, quamvis eodem anno Moguntinum Archiepiſcopum ſui officii, juxta præſcriptum Aureæ Bullæ ſatis fuiſſe memorem, doceat ſententia exauctorationis Wenceslai, ab ipſo publicata, cujus memini modo, ubi *ſufficienter coelectores ſuos exoratos*, id eſt, convocatos, narrat.

Quicquid autem hac de re ſit, Fridericum Brunſvicenſem Ducem ad illa quoque Comitia veniſſe, certum eſt. Quinam autem alii, præter Electores, Johannem Moguntinum, Rupertum Palatinum, & Rudolphum Saxonem, adfuerint, non inveni apud Hiſtoricos. Quod ſi ſupponamus,, omnes illos, qui Friderici, cum Francofurto redux ad Frislariam occideretur, Comites nominantur, Comitiis quoque Francofurtenſibus interfuiſſe, Bernhardum Ducem Brunſvicenſem, Friderici Fratrem, Conradum Epiſcopum Verdenſem, Sigismundum Principem Anhaltinum, Comites de Barby, de Scrapelau, de Honſteine, de Schwartzenborg ſimul adfuiſſe, liquidum eſt. Venit autem eo Fridericus cum fratre, ut de ſalute publica Imperii una cum aliis conſultaret. Unde in Rythmis vulgatis & à *Cuſpiniano* quoque productis, *pro Republica Francofurtum perveniſſe* ſcribitur. Unde non poſſum ſatis mirari, quid induxerit *Albertum Cranzum*, ut Saxoniæ l. 10. c. 9. ſcribat, ab Electoribus Imperii Francofordiæ congregatis, Wenceslao deplorato & deſtituto, Robertum Ducem Bavariæ in Regem Romanorum eſſe electum, *& ad hujus Principis ſalutationem aſcendiſſe Fridericum Ducem Brunſvicenſem.* Quamvis habeat anteceſſorem, *Auctorem* ſcilicet *Chronicæ Slavici*, editi à Lindenbrogio, ad an. 1400. qui Fridericum *dum eſſet in via ad viſitandum novum Regem Romanorum*, occiſum eſſe ſcribit. Falluntur ſanè inſigniter. Francofurtenſia enim Comitia Menſe Majo habita fuerunt, & in iis non Rupertus, ſed Fridericus in Regem electus eſt, & quidem die Urbani: poſtea ſententia Exauctorationis Wenceslai prænunciata eſt ſub caſtro Lonſtein, ad Rhenum d. 20. Menſis Auguſti, cui ſubſcripſit Rupertus, tandemque die Bartholomæi, id eſt, 24. Auguſti, ut habet *Vetus Chronicon Colonienſe*, electus eſt Rupertus mortuo jam dudum Friderico. Id quod diſcere *Crantzius*, ſi non aliunde, ſaltem ex *Gobelino*, potuiſſet, quem ſequi aliàs non infrequenter & deſcribere ſolet. Neque etjam *Procopium Lopacium* moror, qui in Chronologia ſua ſcribit, Wenceslao 1399, 20. Aug. abrogatum eſſe imperium, a. 1400. menſe majo Friderico Duci Brunſvicenſi

delatum, eoque Nonis Maji interempto, ſummam rerum ad Palatinum rediiſſe. Hæc enim ex antedictis refelluntur.

In Francofurtenſibus igitur illis Comitiis, ab iis, ad quod negotium electionis pertinebat, electus eſt Fridericus, (*deſignatum eſſe Regem* diſierte ſcribit *Cuſpinianus*) quamvis deinde publicatio non facta; ſive, quod, Wenceslao per publicum decretum nondum exauctorato è re Imperii id non eſſet: ſive, quod publicationem impediret Moguntinus Elector, ut habetur in *Chronico Saxonico veteri*, quod vernacula lingua in certo auctore a. 1492. Moguntiæ prodiit. Et hinc factum, ut quidam Annaliſtæ hanc electionem planè prætermiſerint, *Gobelinus Perſona* quoque *Electionis negotium non plenum pro tunc ſortitum effectum, & in diem alium fuiſſe prorogatum* ſcribat, *Browerus* vero Hiſt. Trev. l. 18, p. 259. *non facile credat Fridericum publicis votis Cæſarem deſignatum, etſi in eam ſpem acceſſiſſet, aliunde forte oblatam.* At Fridericum diſceſſiſſe cum ampliſſimo comitatu, *reverſurum ad Coronationem*, notanter ſcribit *Cuſpinianus*. Electus igitur fuit, & præter coronationem, nihil ſuperfluit.

Comitatus ipſe Friderici, quando Francofurto diſceſſit, videtur aliquid auguſtius ſolito habuiſſe, cum plures Principes & Comites, de quibus antea dixi, adfuerint, & quaſi honoris cauſa electum Imperatorem deduxerint: imo ex antiquo *Diario* nongentos & triginta equites in comitatu illo fuiſſe, referat Auctor der Waldeckiſchen Ehren Rettung part. 1. c. 7.

Factum autem eſt, ut hi in via publica violenta manu invaderentur ab aliis inopinatò, & partim captivarentur, partim occiderentur: quod ultimum Fridcrico quoque contigit. Diem infelicis caſus notant diſtinctè, *Engelbuſius*, *Chronicon Saxonicum vernaculum*, aliique, diem ſcilicet Bonifacii, Vigiliam Pentecoſtes, V. Junii, & adducit eo nomine hos Rythmos *Engelbuſius*.

Eſt morti deditus de Brunſvic Dux Fridericus
Vigilia feſti pentaque die Bonifaci.

Locus invaſionis & cædis collocatur in Haſſia, *haud longe à Friſlaria*, aut, ut alii loquuntur, *inter Amsbrun & Friſlar*, vel *ad parvum pagum Engelis, non longe à Friſlar, in territorio Haſſiaco in planitie*: ubi in ipſo loco cædis Friderici *erectam fuiſſe altam crucem lapideam*, notatur in Chronico Haſſiæ p. 221.

De Autoribus hujus cædis major eſt difficultas. Alii enim, abſentes licet, conſilium dediſſe, & incentores fuiſſe: alii armata manu Fridericum ejusque Comites invaſiſſe; alius denique cædem ipſam Friderici peregiſſe memoratur. Quæ omnia diſtinctè conſiderabo, & quid pro innocentia quorundam afferatur, ſimul examinabo.

Conſilii dati nomine male apud omnes pene illorum temporum Scriptores audit *Johannes*, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus. Filius is erat Adolphi Comitis de Naſſau, ex Anna Friderici V. Comitis Norimbergenſis filia, in quartum jam annum Archiepiſcopus Moguntinus, quam eandem dignitatem patruus quoque ejus Gerlacus habuerat. Suſpectus autem non in vulgus tantum eo nomine fuit, unde varii in eum verſus, & in totam Moguntiam, (quos *Cuſpinianus* aliique recitant) ſed & Henricus, Comes Waldeccius, (quem Fridericum invaſiſſe mox oſtendam) qui tum temporis Moguntino à conſiliis, & arci Ruſteberg ab eo præfectus, ſeu arcis illius advocatus, aſſeruit, *ſe de mandato ejus* (Moguntini) *hoc feciſſe*, ut ſcribit *Gobelinus*. Tantum quoque hæc ſuſpicio apud Friderici fratres pondus habuit, ut gravi bello, de quo deinde, eum peterent, eoque adigerent, ut omnibus modis ſe purgare & innocentiam ſuam probare teneretur. *Crantzius* loco citato generalius quidem loquitur, *Eccleſiaſticos* ſcilicet *Principes rei fuiſſe conſcios*, deinde tamen & ipſe Moguntinum Archiepiſcopum ſolum nominat, & accuſatum refert. Tradunt vero etiam Scriptores, veteres inimicitias interceſſiſſe inter hunc Archiepiſcopum & Fridericum, quo nomine etiam electioni hujus ille obſtiterit, id quod *Chronicon Saxonicum vetus* narrat. Quales tamen inimicitiæ fuerint, & unde originem habuerint, nemo addit, ideoque in antiqua tempora regreſſus *Crantzius*, cum Principum animi diu memores injuriarum ſint, ſuſpicatur, Johannem Archiepiſcopum voluiſſe vindicare Gerhardum Archiepiſcopum Moguntinum, quem Albertus Dux Brunſvicenſis, proavus Friderici, captivum tenuerit, nec niſi magno ære numerato dimiſerit. Id quod tamen longius petitum videtur. Excuſatur vero Moguntinus Archiepiſcopus ab aliis, & quidem imprimis à *Nic. Serrario*, rer. Moguntinarum l. V. p. 868. tri-

bus

bus argumentis. Primo enim Johannem ſolemni juramento ſe purgaſſe, teſte MSto quodam libro, quod in occultis ejusmodi criminibus ab Archiepiſcopo & Electore juratum magnam vim habeat. Non producit quidem verba ex MSto, nec quale illud ſit, & cujus auctoritatis, addit, interim fama præſtiti illius juramenti ad *Gobelinum* quoq; pervenit, qui coram Principibus factum memorat, uti coram Imperatore Marpurgi *Henningeſius* in Genealog. Rudolphi Ducis Saxoniæ eum ſe purgaſſe notat.

Deinde provocat *Serrarius* ad confeſſionem ipſorum qui cædis auctores, Archiepiſcopi innocentiam aſſerentium: in quam rem ipſæ tabulæ à *Serrario* productæ, ſaltem Latinè, ut ab ipſo verſæ ſunt, hic quoque legi merentur, cum contradicant iis, quæ antea de Waldeccii Comitis confeſſione ex *Gobelino* adduxi. *Nos Henricus Comes de Waldeck, Cuntzmannus à* Falckenberg/ *Fridericus ab Hertinghauſen, Equeſtres, publicè ac palam profitemur, omnibusq; qui has vel viderint vel audierint, manifeſtum fecimus, quod, cum in ejus facinoris, quo illuſtriſſimi Principes ac Domini, Dominus Rudolphus Saxoniæ Dux & piæ memoriæ Dn. Fridericus Dux Brunſvicenſis una cum aliis quibusdam Dominis Comitibus, Equeſtribus, Famulis, & Equitibus occiſi & proſtrati ſunt, ſuſpicionem trahatur, Reverendus in Chriſto Pater ac Dominus, Dn. Johannes Archiepiſcopus Moguntinus, dilectus ac clemens noſter Dominus, eum facinoris & cædis ejusdem prorſus innocentem eſſe, perq; ſacramenta, quæ Dominis noſtris omnes præſtitimus, affirmamus, eum illius, neque conſilio, neque facto, cognitione & auxilio conſcium ullo modo fuiſſe. Quod ſi vero incideret aliquid, ut videretur idem Dominus amplius adhuc ab eodem facto ac ſtrage purgandus, id ipſum ex Principum, Comitum, Dominorum, Equeſtrium & Famulorum indicio, prout ab iis edocti & certiores facti fuerimus, facere volumus. In cujus fidem appendit hisce litteris quilibit ſigillum proprium. Datum Fritzlariæ Dominica proxima poſt feſtum Beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum, anno Domini milleſimo quadringenteſimo.* Tertium argumentum ſumit *Serrarius* ex Imperatoris Ruperti ſententia, quam an. 1403. Norimbergæ in Sabbato poſt beatæ virginis purificationem in ſontes ipſos, hoc eſt, Hartinghauſium & Falckenbergium tulerit, nulla facta mentione Archiepiſcopi Moguntini. Non producit autem ſententiam ipſam, ſed aſſervari eam authenticam in Moguntino Archivo ſcribit. Ego tamen deinde, ubi de Hartinghuſio agendum, producam tabulas memoratas, in quibus nulla mentio Archiopiſcopi, nec ulla in eum pœna decernitur: an autem inde concludi poſſit, Archiepiſcopum innocentem & nullo modo cædis conſcium fuiſſe, lectoribus arbitrandum relinquo. Eruditiſſimus *Auctor* der Waldeckiſcheu Ehrenrettung part. 1. cap. 7. inde Archiepiſcopi innocentiam patere arbitratur, quod Waldeccius Comes propter hoc factum ipſi Archiepiſcopo ſit reconciliatus. Cum tamen tabulas ipſas factæ reconciliationis non producat, ſuſpendere judicium cogor; valde tamen ſuſpicor, reconciliationem illam cum Archiepiſcopo eo forſan ſpectaſſe tantum, quod Archiepiſcopi juſſu id feciſſe Waldeccium, aut ipſe teſtatus, ut ex *Gobelino* ſupra aſſerui, aut alii affirmaverint, illudque jam negando, Archiepiſcopo iterum conciliatus fuerit.

Verum de Archiepiſcopo Moguntino hæc ſufficiant. Ad Waldeccium comitem nunc progredior, à quo invaſionem illam factam minus dubitari poteſt. Fuit is Henricus, Henrici, Ferrei dicti, filius, Ottonis nepos, Henrici pronepos, qui uxorem habuit Eliſabetham Bergenſem. Collocatur autem non inter conſiliarios, ſed aggreſſores ipſos, nec negavit factum, ubi patet ex tabulis ſupra â me productis, aliis item, quibus à Rudolpho Electore Saxoniæ, Balthaſare ibidem & Friderico Landgravio Thuringiæ, & Marchionibus Miſniæ, veniam impetravit, quæ exſtant in der Gräfl. Waldeckiſchen Ehrenrettung n. 17. 18. Nec tamen ullam Hiſtorici adducunt cauſam, quare Waldeccius Comes illam invaſionem fecerit, ſi Juſſu Archiepiſcopi Moguntini, in cujus tum ſervitio erat, non fecit, quod ipſe diffitetur. Solus doctiſſimus *Autor Apologiæ Waldeccianæ* ſæpius citatus, aliam graviſſimam cauſam probabiliter adducit, ut ſimul belli alicujus, ſaltem ex conſuetudine tum liciti, ſpeciem huic facto imponat. Scilicet ex Ottone Duce Brunſw. & Lyn. & conjuge ejus Margareta Meclenburgica natam filiam Mechtildin anno 33. ſeculo 14. Henrico Comiti Waldeccenſi conjugem datam: Hinc jus ad Ducatum Lunæburgenſem enatum, & mortuo Duce Ottone, Comites Henricum modo dictum, filiumque & nepotem, Ottonem & Henricum, jus ſuum contra Wilhelmum, ſucceſſorem & poſſeſſorem Ducatus Lunæburgenſis, apud Carolum IV. Imp. urſiſſe, eo eventu, ut per Decreta, Actores, Comites Waldeccii, in

Ducis Wilhelmi terras ratione centum millium marcarum argenti puri, immiſſionem impetrarent, ſubſecuta deinde proſcriptione Ducis Wilhelmi. Enata poſtea, mortuo Wilhelmo, de ſucceſſione lite inter Duces Brunſ. & Lunæb. ab una; & Saxoniæ Angariæque Duces ab altera parte, cum Comites Waldeccii jure ſuo idcirco potiri non poſſent, de capiendis adverſariis, diffidatione promiſſa, conſilia agitaſſe, & hinc ortam triſtem illam cædem Friderici, qui capi tantum debuerit, capi autem ſe non paſſus, perierit, ut verba *Crantzii* habent. Verum non licet fortaſſis accurate, neque operæ eſt pretium, litibus dein plane ſopitis, in cauſas Waldeccium moventes inquirere: Ad reliquos, qui Fridericum invaſerunt, progrediamur. *Hermannus de Leerbeke* in Chron, Schaumb. ad an. 1400. *Impios caſtrenſes de* Badberge in genere nominat; alii duos præcipue, *Fridericum Hartinghuſium*, *& Cunomannum Falkoburgium* milites ſeu equites auratos. Fuiſſe autem non parvam illorum multitudinem, inde eſt conjicere, quoniam ab adverſa parte millenarium fere numerum implerunt, illi autem ſuperiores fuerunt, & hos captivarunt. Niſi eos ex inſidiis irruiſſe dicas in non opinantes & imparatos, & ita à paucis multos fugatos, captos & interemptos.

Pugna ipſa vehemens fuiſſe ſcribitur, fortiter pugnantibus & contra invaſores ſe defendentibus Principibus cum ſuis. Rudolphus Elector Saxoniæ, Wenceslai filius, cujus Sororii Fridericus & Bernhardus Duces, captus eſt, cum prius vulneratus fuisſet. Conradus de Soltau Epiſcopus Verdenſis, princeps doctiſſimus & S. Theologiæ Doctor, ut *Engelbuſius* notat, itidem captus. *Hermannus de Leerbeke* l. c. Principem de Anbalt, Nobilem de Barbey/Scrapelau/& Hohnſtein & de Schwartzenberg omnes captos memorat. Alii tamen Sigiſmundum Principem Anhaltinum, aliquot aggreſſoribus ſua manu jugulatis, evaliſſe ſcribunt. At fortiſſimus Princeps Fridericus, cum ſeſe dedere hoſtibus generoſo animo nollet, gladio transfoſſus eſt, & quidem, ſi *Chronico Saxonico* vernaculo credimus, manu Friderici Hartingshuſii. Corpus è loco cædis deportatum eſt Wibbrechtshuſum, ubi cœnobium Virginum ibique more apud Principes recepto exenteratum, & exempta viſcera in choro, ante ſummum altare, terræ mandata, & ſingulari lapide tecta ſunt. Ante plures annos lamina ibi inventa eſt ex Orichalco, cui duo Leopardi, Ducis inſignia, inſculpti, in qua etiam hæ litteræ legi adhuc potuerunt: *A. M CCCC Fridericus Dux Brunſvicenſis*. Deportatum tamen deinde reliquum corpus Brunſvigam, ibique in Cathedrali Eccleſia ſepultum, notat *Chronicon Saxonicum vetus*.

Quid reliquis captivis factum ſit, non annotatur quidem à Scriptoribus diſtincte. Dimiſſos tamen omnes è captivitate ſua ab Henrico Waldeccio, ſpoliis reſtitutis, narrat *Gobelinus* & alii. Et tum quidem, quando è captivitate dimiſſi, videntur tabulæ illæ datæ à Rudolfo ipſo, Balthaſare item & Friderico, Landgraviis Thuringiæ & Marchionibus Miſniæ, Sigismundo quoque & Alberto Principibus Anhaltinis, in quibus Henricus Comes Waldeccius, Fridericus Hartinghuſius, Cunomannus Falkenburgius & reliqui conſortes, venia accepta penitus reconciliatur, productæ in *Apologia Waldecciana ſæpius citata n. 17 & 18*.

Non tamen id circo ſtatim etiam cum Ducibus Brunſvicenſibus, Friderici occiſi fratribus, res tranſacta eſt, ipſumque factum manſit impunitum. Rupertus enim Cæſar inquiſitionem inſtituit, Moguntinus juramento ſe purgavit, & tandem Norimbergæ a. 1403, triennio fere poſt factam cædem, ſententia à Judice Cæſare in ſontes pronunciata eſt. Interim Brunſvicenſes & Lyneburgenſes Duces Fratres vindictam bello â Moguntino & Waldeccio ſumere conati ſunt. *Autor* quidem *Apologiæ Waldeccianæ* ſæpius citatus, inter Brunſvicenſem & Waldeccenſem donum rem eſſe compoſitam probare voluit, inde, quod Albertus & Philippus Duces Brunſvicenſes ex illuſtri domo Comitum Walbecciorum uxores ſibi aſciverint: verum id poſt ſexaginta amplius annos factum eſt demum, nec quisquam negat, compoſitam deinde rem omnem eſſe, interveniente imprimis Cæſarea ſententia, in qua diſerte vetantur Duces Brunſvicenſes & poſteri eorum ullo modo id vindicare. Interim tribus primis annis poſt Friderici cædem, fratres ejus, Henricus cumprimis, cum aliis confœderatis Principibus bellum grave Moguntino Archiepiſcopo & Waldeccio Comiti intulerunt. Tredecim millia in exercitu fuiſſe, quem Henricus, Friderici frater, altero poſt cædem anno coegit, notat *Engelbuſius*. Confœderati autem cum ipſo, junctis copiis, fuerunt, præter Fratres, Ducem Bernardum, & Ottonem Epiſcopum Bremenſem (non Hildes-

hei-

heimenſem, ut male *Cuſpinianus*) Hermannus Haſſiæ Landgravius, & *fere omnes Duces, Comites & Barones Saxoniæ*, ut inquit *Gobelinus*. Ottonem Ducem de Leina, ex eadem familia, adfuiſſe quoque ſcribit *Cranzius l. 10. Saxon c. 20.* Qui in illo bello urbis Heiligenſtadii ad Geisledæ & Leinæ fluenta obſidioni interfuerint, eorum diſtincta memoria ſervatur in verſibus, à Cl. V. *Gudenio* in Hiſt. Erfurt. l. 2. p. 127. productis:

De Brunſvick Henrich Dux, Otto Princeps illuſtris,
Herman Haſſorum, Balthaſar princeps Thuringorum,
Marchio de Miſſen Wilhelmus cum ſua turma,
Anhalt, Mansfelt, Reinſtein, Querfurt, Gleichen, quoque Honſtein
Alii quam plures hanc urbem circumvallantes.

Cum tamen variæ & diverſæ fuerint expeditiones, qui quolibet tempore adfuerint, diſtinctè dicere non poſſum, continuato per aliquot annos bello. Unus, quod ſciam, *Engelhuſius* adfuiſſe quoque Henrico Duci Regem Sveciæ memorat, quem Albertum, Ducem Meclenburgenſem, interpretor. Quamvis enim hujus expeditionis tempore Rex Sveciæ fuerit Ericus Pomeranus, tamen Albertus Meclenburgicus, qui quondam Rex Sveciæ fuerat, & à Margareta Regina regno excluſus, iſto nomine Regio adhuc appellabatur. Tanto autem veroſimilius eſt, Albertum hunc ab *Engelhuſio* indigitari, quoniam is Helenam, Magni Torquati filiam, Friderici ſororem, uxorem duxerat. Corrigendus enim hic eſt Cl. *Spenerus*, quando in *Syllog. Genealog.* p. 712. Albertum Sveciæ Regem jam anno 1394. obiiſſe ſcribit, cujus tamen codicillos duos a. 1409. datos refert *Iſaac. Pontanus hiſt. Dan.* p. 537. ejusque adhuc mentionem facit ad an. 1416. & 1417. Nec audiendus *Loccen.* qui *hiſt. Svec.* p. 123. Albertum regno expulſum in Monaſterium Doberanenſe ſe abdidiſſe, & ibi, procul imperio, ætatem egiſſe ſcribit, cum poſt captivitatem a. 1395. uxorem duxerit.

Verùm, redeundum eſt è diverticulo in viam. Vis igitur belli illius, quod motum dixi, incubuit in Moguntinum & Waldeccium, quorum terræ vaſtatæ. *Cuſpinianus* paucis: *Moguntinos ferro & igne vaſtavit* (Henricus) *ut etiam hodie cernantur ruinæ.* Videtur tamen magnus ille exercitus, qui prima vice eductus fuit, non potuiſſe ibi ſubſiſtere, ideoque dilapſus eſſe, quod notant *Engelhuſius* & *Gobelinus*. *Chronicon Saxon.* vernaculum addit, Principes cum exercitu ſuo exſpectaſſe Moguntinum, qui ſe venturum ſæpius ſignificaverat, non veniſſe autem, & ita Principes ſe & ſua conſumpſiſſe. Redintegrarunt tamen ſequentibus annis bellum, notatque *Gobelinus* ad an. 1403. illud perſeveraſſe inter Henricum Ducem de Lyneborg & Landgravium Haſſiæ ab unâ, Archiepiſcopum vero Moguntinum ab altera parte, & *Principes caſtra quædam ipſius Archiepiſcopi potenter cepiſſe, nec illum valuiſſe eis reſiſtere.* Obſidio autem urbis Heiligenſtadii, de qua pluribus agit *Gudenus* l. c. refertur ad an. 1404. Interim magno ære propter hoc bellum gravatos Duces Brunſvico-Lynæburgicos, Senatuique urbis Brunſvicenſis arces & præfecturas nonnullas, & quidem Aſſeburg, inque ipſa urbe Monetam, & partes urbis Oldewich und Sack / oppigneraſſe notat *Chronicon Saxonicum* vernaculum.

Quomodo tandem res transacta, & quibus conditionibus pax facta, non invenio in Annalibus. Videntur autem ſucceſſu temporis animi pacati & Principes ſumtibus nimium gravati diſceſſiſſe, & tandem Cæſaris in ſontes lata ſententia terminum bellis & deprædationibus poſuiſſe. De illa autem Cæſaris ſententia aliquid adhuc addendum eſt. *Chronicon Saxonicum* vetus vernaculum refert quidem *Hartinghuſium* ab Henrico Duce captum & diſſectum in quatuor partes rotæ totidem in locis impoſitum, (un lent em leggen up veer ende up en rad) ejusque fidem in hoc ſequuntur non pauci, ut *Spangenbergius* & *Fabricius* quoq; *Rer. Memorab. Saxon. Univerſ.* l. 2. p. 277. Falſum tamen id eſt. Nam cum arcem Gebeldehauſen, in qua erant, qui occiderant Fridericum, occupaſſent Principes, illi evaſiſſe memorantur à *Crantzio* aliisque: Sententia vero in Harringhuſium pariter & Falckenbergium à Cæſare lata Chronicon illud abunde refellit. *Nic. Serrar. Rer. Mog.* l. V. p. 869. ſententiam illam Cæſaris Authenticam aſſervari in Archivo Moguntino ſcribit, non producit tamen, ideoque tanto magis ſemper deſideravi, & tandem eam accepi beneficio Illuſtris Domini *Hulderici Eybenii*, Imperialis Cameræ Adſeſſoris, in reliqua doctrinæ magnitudine hiſtoriæ quoq; Germanicæ peritiſſimi, cui hoc nomine curioſus lector plurimum debebit, cum in ea multa egregia contineantur. Ita autem habet, Teutonico, quo ſcripta eſt, ſermone:

Wir

Wir Rupert von Gottes Gnaden/ Römiſcher König/ zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ bekennen und thun kund offenbahr mit dieſem Brieff allen denen / die ihn ſehen oder hören leſen/ als Friderich von Herttingshauſen und Cuntzman von Falckenberg/ Rittere/ ſich verſchrieben haben/ eines Hintergangs hinter uns/ den ſie mit Hand-gegebenen Treuen an Aides ſtatt gelobt haben zu halten/ nach Anweiſung des Anlaß-Brieffs/ den ſie uns darüber gegeben haben/ von der Geſchicht und Handlung wegen/ als der hochgebohrne Fürſt Hertzog Friderich zu Brunſchweig und Lüneburg unſer lieber Ohm / Schaden genommen hat und erſchlagen worden iſt/ deren man ſie beſchuldiget/ alſo wie wir ihne darum/ Beſſerunge/ Schäden und Anſprächen/ daß ſie das bey denſelben ihren Treuen halten und vollführen ſollen und wollen/ ohne Gefehrde/ alſo geſcheiden und ſcheiden wir uns/ als hernach geſchrieben ſtehet; Zum erſten / daß dieſelbe Fridrich und Cuntzman eine ewige Meſſe und einen Altar wiedmen und ſtifften ſollen / da ein ehrlicher Priſter eine redliche gute Nahrung wohl gehaben möge/ mit Nahmen zu den Meſſen 40. Fl. ewigen Geldes jährlicher Gültde/ und die alſo gewiedmet werden auff ſolchen Gütern/ da es Geiſtlichen gefallen möge/ und dieſelbe Meſſe ſoll gemachet und gewidmet werden in dem Stifft zu Fritzlar/ und dieſelbe Pfründe uñ Altar ſollen auch gemachet und geordnet werden ohne des Pfarrers Schaden / ausgenommen allein als hernach geſchrieben ſtehet; Und dieſelbe Meſſe/ Pfründe und Altar ſollen gemachet und geſtifftet werden in Jahrsfriſt nach dato dieſes Brieffs/ und wenn die alſo gemachet und geſtifftet werden/ ſo ſoll ein jeglicher Hertzog von Braunſchweig der der älteſte iſt/ dieſelbe Pfründe und Altare-Lehen für loß und ewiglich/ als offt die ledig werden und dieſe obgenante Fridrich von Härtingshauſen und Cuntzman von Falckenberg/ Rittere/ ſollen auch das Auſtragen mit dem Biſchoff und Pfarrer/ darunter dieſelbe Pfründe geſtifftet iſt/ unterthänig und gehorſam ſeyn ſoll/ als ob er nicht thäte und vollführete/ alßdem der Pfründe und Meſſe zugehöret; daß ihn dann der Pfarrer darum zu ſtraffen habe nach Beſcheidenheit/ als ziemblich iſt/ ohne Gefehrde. Auch ſprechen und ſcheiden wir/ daß die obgenante Rittere zu den Heiligen ſchwehren ſollen/ daß ſie/ dieweil ſie leben/ wider die vorgenante von Braunſchweig und ihre Nachkommen und die Ihren nimmermehr ſeyn noch thun ſollen/ in keine Weiſe ohnbeſcheiden freventlich rachen mit Gefehrde noch ohne Gefehrde. Wir ſcheiden und ſprechen auch/ daß die vorgenante Rittere in einen Thorn ſolten/ dahin wir den / den wir das an unſer ſtatt empfelen / ſie weiſen und heiſſen/ und ſollen darin ſeyn und liegen / als lange biß wir das befehlen/ daraus heiſſen und davor kommen / und wann ſie aus dem Thorne alſo kommen/ ſo ſollen ſie ſichern Geleit hebben/ aus teutſchen Lande zureiten und in Teutſchland nicht kommen in 10. Jahren/ die ſchierſt nach einander kommen / die erſten 4. Jahr ohn Gnade/ und die andere 6. Jahren ſollen zu unſern Gnaden ſtehen/ alſo wenn wir ſie nach denſelben 4. Jahren heiſſen oder ihn erlauben herein zuziehen / das mögen ſie denn wohl thun/ wäre es aber/ daß wir in den ehegenanten 4. Jahren von Todewegen abgiengen/ da GOtt vor ſeye/ ſo ſoll fürbaß dieſelbe Gnade ſtehen an unſern älteſten Sohn; Item/ wir ſcheiden und ſprechen auch/ daß die vorgeſchriebene Beſſerung / mit Nahmen die Meſſe/ in Jahres-friſt nach dato dieſes Brieffs/ bereitet und gefertiget ſoll werden / als vorgeſchrieben ſtehet/ und daß auch die Bündniß wider die vorgenante unſer Ohm von Brauns. angehen ſolle zur Stunde/ als in dem ehegenanten Brieff geantwortet wird / und ſollen ſich auch in dem nechſten halben Jahr nach dato dieſes Brieffs bereiten und erheben / in den Thorn zu ziehen/ dahin wir ſie dann gewieſen und darnach zur Stunde von Land reiten und ziehen/ als obgeſchrieben ſtehet/ und begriffen iſt/ ohne Gefehrde/ wir ſcheiden und ſprechen auch/ daß unſer Ohm von Brauns. alle ihre Nachkomen und die ihren um die vorgenante That und geſchicht den obgenanten Rittern und ihren Erben kein arges warten noch thun und zufügen ſollen in keine weiſe/ wo das möglich/ und alle vorgeſchriebene Stück und Articul &c. zu Uhrkund und ſtetter Feſthaltung / haben wir unſer Königl. Maj. Inſigel an dieſen Brieff thun hangen/ Geben zu Nürnberg / Sambſtag nach Purif. Mariæ 1403. unſers Reichs im 3ten Jahr.

An autem executioni ſententia demandata fuerit, & effectum habuerit, certo dicere non poſſum. *In Apologia Waldeccenſi ex Chronico Caſſelenſi* p. 230. narratur, Hartinghuſium adhuc A. 1416. in Comitis Waldeccenſis miniſterio fuiſſe. Hoc igitur fuit optimi Principis Friderici fatum, quem unanimi conſenſu annales laudant, à virtute bellica, prudentia & juſtitiæ amore. *Chron. Slavicum Lindenbrogii* vocat *Principem Pacis, verbo veracem, & hominibus affabilem*, Cuſpinianus vero *bellicoſum* [illegible] *& prudentem, & summo dignum, qui Imperii habenas tractaret*, Albertus Cranzius *optimum* [illegible] *& ſanctiſſimum Principem, & qui multo labore ad juſtitiam & Pacem contenderit digniſſimum Imperio.*

[illegible] HEN-

HENRICI MEIBOMII
Junioris,
de
HVGONIS DE S. VICTORE
Patria Saxonia.

MAgnum fuit ſeculo XII. nomen Hugonis de S. Victore, claruitque ſub Henrico Imp. V. at famam ſuam plurimis in omne ævum extendit. Solius *Joh. Tritbemii* de eo verba adducam, & Epitaphium tumulo ejus inſcriptum. *Hugo presbyter & monachus S. Victoris Pariſienſis, ordinis Canonicorum Regularium Auguſtini & Abbas, ut ferunt, ibidem, natione Saxo, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia nulli priſcorum inferior, qui velut alter Auguſtinus doctor celeberrimus ſuo tempore eſt habitus, ingenio ſubtilis, & ornatus eloquio, nec minus converſatione quàm eruditione venerandus.*

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quem brevis eximium continet urna virum
Dogmate præcipuus, nulliq; ſecundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

Hunc magnum virum Saxonem fuiſſe, plures aſſeruerunt, idque conſtanter creditum fuit non à Germanis tantum, ſed Gallis quoque & Italis, de natali tamen loco, cum ampliſſima ſit Saxonia, nemo quicquam determinavit, donec ſuperiori ſeculo *Avus meus, in notis ad Gobelini Perſonæ Coſmodromium*, eum Saxoniæ huic inferiori, & quidem viciniæ noſtræ aſſerint, Natalesque illuſtres ex Blanckenburgicorum Comitum ad ſylvam Hartzicam familia aſſignavit, nactus ſine dubio notitiam illam alicubi ex Monaſteriorum, quorum plurima luſtravit, antiquis monumentis. Secuti etiam ſunt autoritatem ejus alii, ut celeberrimus Theologus *Georgius Calixtus* lib. de Pactis §. 28. aliique, & Hugonem, non tantum patria Saxonem, ſed & familia Blanckoburgicum ſcripſerunt.

At nuper vir doctiſſimus, qui ſtupendo Hiſtoriæ Diplomaticæ opere, & accurata perveſtigatione, liberalique communicatione omnium antiquitatum, de Republica litteraria optime meritus eſt *Job. Mabillonius* eum Saxoniæ noſtræ ſubducere, & Belgicis Scriptoribus accenſere voluit, cujus ipſa verba ex *Analector. T. I. pag. 326.* primo ſubjiciam. *De Hugonis Victorini patria qui hactenus ſcripſere, eum origine Saxonem fuiſſe tradunt. Verum potius accedo auctoritati veteris Codicis Aquicinctenſis in quo hæc de eo leguntur* : Anno ab Incarnatione Domini MCXLII. obiit Dominus Hugo Canonicus S. Victoris III. Id. Febr. qui ex Iprenſi territorio ortus à puero exulavit, & hæc & plura alia ſui ingenii monumenta reliquit. *Tum ſubditur vulgatum Epitaphium Magiſtri Hugonis Theologi:*

Dormit in hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo &c. *Hunc locum ſi legiſſet eruditus vir Aubertus Miræus, ſane correxiſſet id, quod ad Henricum Gandavenſem adnotavit, Hugonem natione Saxonem fuiſſe, quin potius cum Belgicis Scriptoribus accenſuiſſet permagno patriæ ſuæ ornamento. Ne quis vero vetuſtis membranis autoris nomine deſtitutis, integram non*

habeat fidem, alium teſtem adhibeo, Robertum ſcilicet de Torinnejo Abbatem in monte S. Michaelis de periculo maris, qui auctor in cap. 5. de immutatione ordinis Monachorum agens, de Pariſienſi Monaſterio S. Victoris ait, multos clericos nobiles in illum locum conveniſſe: inter quos, inquit, Magiſter Hugo Lotharienſis, & ſcientia literarum & humili religione maximè effloruit. *Erat ergo Hugo Lotharienſis, teſtante auctore, ejus fere æquali, id eſt, de regno Lotharii, ſub quo etiam Flandria, atque adeo territorium Iprenſe continebatur: non vero Saxonia, quæ ad Germaniæ regnum pertinebat.* Hæc *Mabillonius.*

Quamvis autem illud, quod de anno obitus Hugonis in veteri codice Aquicinctenſi annotatum eſt, libenter accipiam, cum mortis tempus aliis fortè rectius ſcire potuerit, quisquis ea annotavit auctor; tamen in iis, quæ de patria, incerta fortè, fama narrat, non meretur apud me fidem, cum plurima obſtent, & ex Saxonia oriundum illum longè veroſimilius ſit. Interim ex membranis illis libenter accipio, quod Hugo *à puero exulaverit*; & ex *Roberto Torinnejo* eum inter nobiles fuiſſe, *Mabillonioq;* gratias ago, quod illam notitiam publico invidere noluerit.

Equidem, qui primi Doctorum Eccleſiæ vitas ſcripſerunt, ut *Robertus de Monte*, qui ſub finem ſec. XII. & initium ſequentis ſuam ad Chronogr. Sigeberti Appendicem compoſuit, & *Henricus de Gandavo*, qui ſub finem ſec. XIII. floruit, & *Siffridus Præsbyter in Epitome*, qui ſub finem ſec. XIII. & initium ſequentis vixit, Hugonis de S. Victore meminerunt, at de patria ejus nihil habent. A Saxonicis vero deinde Hiſtoricis ſeu Annaliſtis & Compilatoribus *Saxonem* vocari adverto. *M. Theodorus Engelbuſius*, qui ad ann. 1420. ſuum Chronicon finit, p. 224. hæc habet: *Hugo de S. Victore, Præpoſitus Canonicorum Regularium, Doctor ſacræ Theologiæ, Pariſiis ſepultus ſub hoc Epitaphio:*

Hic jacet in ſaxo nunc Hugo, germine Saxo.

Nullus quidem alius, quod ſciam, hoc Epitaphium habet, ideoque neſcio, an tuto illi in Saxonia viventi, credi poſſit ſub hoc Epitaphio Hugonem Pariſiis tumulatum. Sine dubio tamen aliunde hoc habuit *Engelbuſius* & patet inde, tum temporis in Saxonia creditum, Hugonem Saxonem fuiſſe: id quod illi coævus, in antiqua Saxonia, Weſtphalia, vivens *Gobelinus Perſona* in Coſmodrom. æt. VI. c. 58. teſtatur. Seculo XV. finiente *Joh. Trithemius* infinitæ lectionis vir, & curioſiſſimus circa doctorum virorum vitas & ſcripta, ſuos ſine dubio auctores ſecutus, *Saxonem* vocat, eumque ſecuti ſunt, ſive ſola ejus auctoritate ducti, ſive aliunde id cognitum habentes *Henricus Pantaleon*, *Matthias Flacius Illyricus*, *Robertus Bellarminus*, *Aubertus Miræus*, *Johan. Gerhardus Voſſius*, *Ferdinandus Ughellus*; & qui non? *Paullus Langius*, qui *Chronicon* ſuum *Citicenſe* usque ad annum 1515. produxit, quædam de Hugone ſingularia annotat ad ann. 1123. ideoque ipſa ejus verba apponam. *Eodem tempore Hugo de S. Victore, natione Saxo, Pariſiis floruit, qui ob eximiam eruditionem & ſcripturarum doctrinam alter Auguſtinus ævo ſuo habitus eſt. Hic novitius fuit in Monaſterio Hamersleve, non longe ab Halberſtadio. Hic ob ſtudium miſſus Pariſios in magnum Eccleſiæ crevit Doctorem, factus Prior in Monaſterio S. Victoris, in quo & usque in finem vitæ permanſit. Scripſit fratribus ſuis in Hamersleve in ſui memoriam devotum libellum de arrha animæ, ut patet in ea, quam promiſit, proœmiali epiſtola.* Poſt quem *Joannes Lindenbornius* in Hiſtoria Epiſcopatus Daventrienſis pag. 350. n. 60. ita: *S. Pancratii Hamersleve Diœceſis Halberſtadenſis. In ea religioſæ vitæ tyronem egit, & ut quidam volunt.*

lunt, vota nuncupavit magnus ille & inter Aſcetices magiſtros famoſiſſimus Hugo de S. Victore, qui poſt ad Univerſitatem ſe contulit, & ibi in Virum perfectum & doctum excrevit. Quod ſi igitur Hugo in Hamerslebienſi S. Pancratii cœnobio, quod in hac Saxonia inferiore in diœceſi Halberſtadenſi, duobus ab urbe Halberſtadio & totidem ab urbe noſtra Helmæſtadio milliaribus ſitum eſt, tyronem egit, & vota nuncupavit quis eum Yprenſem fuiſſe ſibi perſuadeat? Non enim is erat tum Saxoniæ noſtræ ſtatus, non ea cœnobii illius fama, ut ex locis tam remotis nobiles pueri in id mitterentur. Salva autem res eſt, ſi Hugonem ex Comitum Blanckenburgicorum familia ortum habuiſſe dicamus: cum arx Blanckenburgum, ſedes illorum, dum florerent, Comitum vix quarto ab Hamerslebienſi Cœnobio lapide diſtet. Vellem equidem ut Avus meus ſuam de Natalibus Hugonis Blanckenburgicis ſententiam ſuam ipſe tueri poſſet, proditurus tum ſine dubio monumenta, ex quibus id hauſerat, non ſolitus vir φιλαθέςατος aliquid aſſerere, novi præſertim, quod non idoneis firmare documentis poſſet. Interim ex alio Scriptore idem probabo. Is eſt *Johannes Winnigſtadius*, Monachus primo Auguſtinianus in Cœnobio S. Johannis ante urbem Halberſtadium, dein Quedlinburgi paſtor in æde S. Blaſii, qui antiquitates Saxonicas, Halberſtadenſis inprimis diœceſis, ſuperiore ſeculo indefeſſe ſcrutatus eſt, & ex monumentis antiquis Halberſtadenſes & Quedlinburgenſes Annales, etſi non pari ſemper judicio, magna tamen diligentia, conſcripſit. Hic in hiſtoria Reinhardi Epiſcopi Halberſtadenſis, uti ex MSto Codice Germanico verti, ita de Hugone loquitur: *Illius temporibus celeberrimus Dominus Hugo de S. Victore in cœnobio Hamerslebienſi novitius fuit, & jam ibi cœpit ſcribere. Fuit Dynaſta de Blanckenburg, & à parentibus ſuis in ſcholam Hamerslebienſem miſſus fuit, & ibi etiam invitis parentibus manſit, donec propter bellum, quod totam pene Saxoniam ſub Henrico IV. vaſtaverat, abire cogeretur, quando eum Epiſcopus Halberſtadenſis Reinhardus Pariſios in Monaſterium S. Victoris miſit, in quo propter eruditorum virorum, qui in eo vivebant, copiam manſit, obtinuitque, ut propter vitam honeſte & ſancte actam, & ſapientiam alter Auguſtinus diceretur.* Ut autem hæc rectius intelligantur, ab exteris præſertim, qui locorum noſtrorum & hiſtoriæ noſtratis minus ſunt periti, quædam de Reinhardo Epiſcopo, fundatione cænobii Hamerslebienſis, & Dynaſtis ſeu Comitibus Blankoburgicis addam. Reinhardus, Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus XV. (qui ab aliis, ut *Helmoldo*, & *Alberto Stadenſi* Reingerus dicitur) Henrico V. Imperante ad Eccleſiæ regimen pervenit a. 1107, fuitque ex primaria nobilitate Saxonica, & quidem, ſi *Henningeſio* credimus, Querfurtina, unde Lotharius III. Imp. etiam oriundus. *Winnigſtadius* à parentibus Pariſios eſſe miſſum ſtudiorum cauſa, ibidemque, ut majori commoditate iis vacare poſſet monaſterium S. Victoris intraſſe, & ibi ſecundum regulam S. Auguſtini vixiſſe ſcribit. Redux hinc in Saxoniam à Lothario Duce Saxoniæ ad Epiſcopatum Halberſtadenſem commendatus fuit. Factus autem Epiſcopus, inter alia Cœnobia fundavit quoque Hamerslebienſe, & initia quidem ejus ante muros urbis Oſterwici a. 1108 inſtituit, quadriennio autem poſt Hamerslebium tranſtulit, S. Pancratio ſacratum, eique præfecit Dithmarum, pietate & eruditione præſtantem virum. Ab hoc Hamerslebio tribus milliaribus diſtat Arx Blancoburgum in confinio Harzicæ ſilvæ ſita, nunc ſub Dominio Ducis Brunſvicenſis, à longo autem tempore Dynaſtarum & dein Comitum ſedes. Inter initia forte Dynaſtæ tantum fuerunt ex nobilitate non infima, ſeculo tamen XII. frequens eorum fit mentio, vocanturque Comites. Poppo Comes de Blankenburg cum filio Sigfrido citatur in litteris Theodorici Epiſcopi Halberſtadenſis ad an. 1148. Siffridus vero Henrico Leoni familiaris fuit, & cum eo an. 1147 in Palæſtinam ivit, ut eſt apud Arnoldum Lubecenſem l. 3. c. 2. Sed redeundum eſt in viam, uti igitur ſupra dixi, non videri probabile, aliquem nobilem Yprenſem miſſum eſſe illo tempore in devaſtatæ Saxoniæ ignobile tum monaſterium: ita contra in noſtra ſententia omnia liquida ſunt. Parens Hugonis, Dynaſta Blankenburgicus miſit, filium ſuum ad vicini Monaſterii Hamerslebienſis ſcholam; quem deinde Cœnobii fundator & Patronus Reinhardus Epiſcopus, qui ipſe Pariſiis in cœnobio S. Victoris vixerat, ſuo exemplo in Galliam miſit. Puto equidem hæc omnia eſſe clariſſima: Unde autem Scriptorum eorum, quorum verba re-

Digitized by Google

ba refert *Mabillonius*, error natus, non facile divinaverim: niſi forte Hugo prius in Belgii Monaſteriis vixerit, & inde Pariſios venerit, & ita ex Belgio, (non patria, ſed aliquantulæ commorationis loco) ortum habere creditus fuerit.

Interim meliora docenti libenter manus dabo: Mihi tamen gratum hactenus fuit, aſſeruiſſe iterum Saxoniæ huic inferiori tam celebrem civem, de quo merito ſibi ob ſummam & illo quidem tempore rariſſimam, eruditionem gloriari poteſt, ad quem exſtat una longa & lectu digna Epiſtola *Bernhardi*, Abbatis Claræval-lenſis, *num.* 77, quemque etiam Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum factum, docet *Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ Tom. I. p.* 264.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum & Nominum
TOMI III.

Numerus paginas, & additæ literæ, i. initium, m. medium, f. finem paginæ ſignificant.

A.

A. nummerum Merſpurgenſium ſignum 22, i.
Abares, avares, populi 195, i.
Abbas unus duorum monaſteriorum 295, f.
Abbatis Werthinenſis aula ſive curia Helmſtadii 234, m.
Abdias Prætorius linguarum peritiſſ. 218, m.
Conr. Abensbergius Archiepiſc. Salisburg 177, m. *contra Imperatorem pro Papa* 178, m.
Abodriti, Obodriti, populi 59, i. f.
de Abſtracto & Concreto controverſia turbat Academ. Regiomontanam 218, m.
Academia Julia colonia quodammodo eſt Jenenſis 219, m. *affligitur peſtilentia ſtatim poſt introductionem* 220, f. *adverſitates ejus plures* 221, m.
Achilles Abbas Bergenſis 301, m 319, m.
Acker *ab ager dictus* 57, i.
in Acken *Diaconus Jacob, Kupffer* 332, i.
Adalbero Werdenſ. Abbas 258, m.
Adaldagus ab Ottone inveſtitus 173, i.
Adalgarius Archiep. Hamb. 172, f.
Adamus Balchen Abb. Mariævallenſ. 279, f.
M. Adamus Bremenſ. Canonicus unde fuerit 37, f.
Adduſtendorf vicus 106, m.
Adela ſ. Adelheidis Alberti Summerſeburgi F. Abbatiſſa Quedlinburg. 229, f.
S. Adelberts reliquiæ 99, m.
Adelbertus Archiep Bremenſ. 60, f. 61, m. *penes eum, luxuriante Cæſare, ſumma Imperii fuit* 247, m.
Adelbertus Brandenb. Marchio 61, m.
Adelbertus Saxoniæ D. 204, i.
Adelbertus Com. Summerſeburg. Frider. junioris F. 249, f.
Adelbertus Urſus marchio Soltwedelenſis, prætendit in Saxon. Ducatum 61, f
Adelgotus Archiep. Magd. 8, f.
Adelgot. Veltheimius 312, m.
Adelheidis Alberti Com. Pal. Sommerſeburgenſ. ſoror, vendit comitatum 252, m.
Adelheidis Ottonis M. vidua decedit 203, i.
Adeltadis avia S. Ludgeri 226, f.
Adelmi Annales Francici 57, m.
Adinge ſ. Atinge vicus 106, m.
Adolais Veromandui Comes 163, f.
Adolphus Archiep. Colon perjurii pœnam dat dignitate ſua exutus 120 f. 121, m.
Adolphus Archiepiſc. Mogunt. 214, m.
Adolphi multi in Schauenburg. Com. familia 32, f 61, m.
